Observationes de febribus, praecipue intermittentibus et ex earum genere continuis deque earum periculis ac reversionibus praenoscendis et praecavendis per medelam tempestivam efficacem adaequatam candide et perspicue propositam ... / [Paul Gottlieb Werlhof].

Contributors

Werlhof, Paul Gottlieb, 1699-1767.

Publication/Creation

Hannoverae : Sumptibus haeredum Foersterianorum, 1745.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/m5rjkqgx

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

54730/B

BIBLIOTHÉQUE
de
M.r L. A. ENCELY,
DOCTEUR EN MÉDECINE.

55450

OBSERVATIONES
DE
FEBRIBVS
PRAECIPVE INTERMITTENTIBVS
ET EX EARVM GENERE CONTINVIS
DEQVE EARVM PERICVLIS AC REVERSIONIBVS
PRAENOSCENDIS
ET PRAECAVENDIS
PER MEDELAM TEMPESTIVAM EFFICACEM ADAEQVATAM
CANDIDE ET PERSPICVE PROPOSITAM
AD VIROS CLARISSIMOS ET EXPERIENTISSIMOS
AVCTORES
COMMERCII LITTERARII
NORIMBERGENSIS
QVI PROBLEMA PROPOSVERANT
DE
FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS SOPOROSIS ET APOPLECTICIS
SCRIBEBAT

PAVL. GOTTLIEB WERLHOF D.
MAGNAE BRITANNIAE REGIS ARCHIATER.

EDITIO SECVNDA, AVCTIOR ET EMENDATIOR.

Neque hercule ſatis eſt ipſas tantum febres medicum intueri, ſed etiam totius corporis habitum, & ad eum dirigere curationem, ſeu ſuperſunt vires, ſeu deſunt, ſeu quidam mali affectus interueniunt.
Corn. Celſus. Lib. III. c. 6.

το καρωδες αρα γε πανταχυ κακον;
annon ſoporoſus affectus vbique malus eſt?
Hippocrat. prorrhet. L. I. 63.

HANNOVERAE
SVMPTIBVS HAEREDVM FOERSTERIANORVM.
MDCCXLV.

1745

OBSERVATIONES
DE
FEBRIBVS

AVCTORES
COMMERCII LITTERARII
NORIMBERGENSIS

PAVL. GOTTLIEB WERLHOF D.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

BIBLIOPOLA LECTORI S.

Diu eſt, quod libri huius, ante tredecim annos primum editi exemplaria deſiderantur. Neque denuo edere feſtinauimus, quia ſpem fecerat auctor elaborandi, deo aliquando forſan plus otii faciente, iuſti operis de febribus intermittentibus, ceterisque ex harum genere morbis. At iſta ſpes vel decollare omnino, vel ſaltim nimis remota eſſe videtur, tum quia a litterario otio magis magisque abſtrahunt cumulati labores, tum quia ipſe, alios id melius ſiue præſtitiſſe, ſiue præſtituros eſſe, exiſtimat, quod ſibi tunc propoſitum habuit, quum ſuam hanc ſymbolam in artem febres iudicandi & curandi conferret. Confirmarunt paſſim atque illuſtrarunt ſuis experimentis obſeruationes hasce, præter ipſum ſcriptis poſterioribus auctorem, antiſtites medicinæ complures, quos ſeſe doctiores peritioresque ſuſpicit, ſibique experientia & praxi conſentientes gratulatur, quæcunque aliis atque aliis theoria arrideat. Aliqui vlteriora detexerunt, quemadmodum qui ex ipſa corticis Peruuiani patria hiſtoriam eius naturalem veriorem certioremque attulit, & commentariis academiæ ſcientiarum inſeruit, ſolertiſſimus CONDAMINIVS. Ex quibus omnibus clarior iam lux ad illas doctrinas acceſſit, in quas digitum intendit obſeruationum ſcriptor. Neque vero multorum deſideriis deeſſe voluimus, vt earum nouam faceremus editionem, concedente auctore, & conſulto nihil noui addente, vt tale maneat, quale primitus ſcriptum eſt, opuſculum, cuius ſcopus adimpletus eſſe videtur. Problema enim, de quo agitur, ſolutum eo ſibi eſſe, in ipſis commercii Norimbergenſis ſchedis, quæ adhuc in publica commoda continuantur, beneuole profeſſus eſt, qui ibi anonymus primo propoſuerat, CHRISTIANVS FRIDERICVS IOERDENS, medicus Curiæ Variscorum eximius. Vale, lector, & candido auctori, noſtrisque curis faue. Dab. Hannoueræ d. xxi. Aprilis a. cIↃ IↃ cc xxxxv.

PRAEFATIO AVCTORIS
AD PRIMAM EDITIONEM.

Nihil iam a pluribus annis in medicina facienda obuium magis fuit febribus intermittentibus, aliisque ex earum radice progerminantibus morbis. Inde eſt, quod fieri vix potuerit, quin medicus quilibet, in curatione ægrorum curioſus, obſeruauerit aliqua circa iſtud afflictionis popularis genus, aut meditatus ſit, haud omnino ſaltim indigna, quæ cum aliis, quos eadem cura ſollicitos habet, communicentur. Conſtitui equidem meæ etiam tenuitatis obſeruationes meditationesque in ſyſtema aliquod theoreticum & practicum colligere, quo doctrinam vniuerſam, vti meo quidem animo comprehenſa eſt, de iſto febrium genere, eiusque medelis, ordine pertractare, ac verum a falſo, probabile a certo, opinionem ab experientia, vtile ab inutili, proficuum a noxio, per ſingulas morbi & medicaminum ſpecies, æqua lance expenſas, discriminare allaborem. Attamen, & accurate elaborandi operis operoſum ſtudium, & ratio eius vitæ generis, cui memet obſtrinxi, retardare forſan diu ſatis poſſunt iuſti voluminis conſcriptionem, correctionem, editionem. Sunt vero obſeruata aliqua, & vberiori obſeruatione indies firmantur, de quibus alienam experientiam, pro propriæ confirmatione aut illuſtratione, exquirere dudum optaui, præſertim circa febres indolis magis periculoſæ, earumque ſigna & medicinam, circa vſum decantati illius corticis, febrium exterminatoris, & circa prænotionem & auerſionem reuerſionum, quas σκανδαλον antiquum medentum iure voces: ſicut ante corticem repertum quartana audiuit, in qua

Plinius (l. 30. c. 11.) medicinam nihil propemodum pollere dixit. Accidit opportune, vt in elegantiſſimis illis ſchedis Norimbergenſibus, quæ commercii litterarii nomine veniunt, problema aliquod de obſeruandis, prænoscendis, curandis, febribus quibusdam intermittentibus ſubito exitioſis, proponeretur. Arrepta occaſione, epiſtolam ad illos fructuoſorum mercimoniorum negotiatores breuiter exarare inſtitui, forſan, ſi haud plane diſpliceret, ipſis commercii ſpeciminibus inſerendam. At cœptum ſemel opusculum in hanc, quam vides, lector, molem, vltra eorum ſchediasmatum ſpatium, inuitante ſenſim argumenti vbertate, excreuit. Nomen meum alieno velo tegere conſtitueram, dum aliquid vberius elaboratum darem, eoque conſilio tota iam opella ſcriptione & typis abſoluta erat: neque enim videbatur lectorum intereſſe, ſcriptorem nosci, modo quid ſcriptum eſſet pernosceretur. Ita factitaſſe plures medicos obſeruationum ſuarum editores notum eſt: quos inter memorare lubet cl. *Dauinium*, medicum aulicum Mutinenſem, qui, vt verbis collegæ eius, cl. *Torti*, vtar (ex therap. ſpecial. p. 241.) "lucubra-"tiones in tutamen corticis Peruuiani, *Hectoreo* plane robore confla-"tas, ſub nomine *Hectoris a Valle*, tum latino idiomate, tum He-"trusco, conſcripſit, easque a. 1708. proprio velato nomine, tomo "ſexto diarii litterarii Veneti, quod *galleria di Minerua*, muſeum Mi-"neruæ, inſcriptum eſt, voluit inſertas." Mentem mihi fuiſſe, vt nomen tantiſper ſileretur meum, præmoneo, ne obſcura legenti maneant dicta varia, occulendi auctoris cauſſa aliter paullo enuntiata, ac fuiſſet futurum, ſi nomen meum profiteri placuiſſet. Ipſos meos præceptores, amicosque & fautores alios, vel reticui, vel haud ſaltim ſatis pro animi mei propenſione commemoraui, ne vel exinde dignoſcerer: præcipue amantiſſimos meos in academia Iulia patria, vbi maxima vitæ ſtudiorumque meorum pars eſt exacta, doctores, quibus primitus debeo, ſi quid in me eſt, Brandanum *Meibomium*, Henrici, qui auunculus parentis mei fuit, filium, & Laurentium *Heiſterum*, vtinam diu bono publico ſuperſtites:

Quos mihi gratus ego, quos Iulia ducit honori
Grata ſibi, quos Phœbus amat, naturaque myſtas,
Doctaque poſteritas ſero venerabitur ævo.

Non memoraui ceteros, qui vita iam functi sunt, quibus ego vero immortales gratias habeo, viros celeberrimos, *Böttcherum*, *Gakenholtzium*, *Spiessium*: & hunc quidem etiam in tebrium per corticem Peruuianum curatione profitenda, & perficienda, magistrum inter præcipuos luculentum & felicem. Ei ego, quum fato sat præmaturo viuis eriperetur, ante hoc triennium successor designatus, in procinctu eram, vt ad functionis vitæque academicæ in patria, iam vndecim annis relicta, exoptatas inde a iuuentute delitias, me reciperem: tunc vero, clementiæ regiæ nutu, collata aulici medici prouincia, in stabili heic sede retentus sum; sed in praxi inquieta, qua a studiorum dulcedine distineor. Quos, dum hic dego, fautores mihi gratulor eximios, & curationum consiliorumque amice socios sæpe habeo, medici nostrates omnes, viri incliti & peritissimi, laudandi mihi fuissent passim, nisi ciuitatem cum nomine meo lubuisset reticere. Neque nominatus mihi est ex his ipse, quem tamen sæpe (p. 224. & passim) tecto indicaui nomine, vir supra laudes meas positus,

Ille & præsidium & dulce decus meum,

Augustus Iohannes *Hugo*, archiater regius, quo hic loci, vbi octauum nunc annum ago, præeunte, dirigente, iuuante, consulente, feliciores curationes, quas recensui, peractas ingenue fateor. Tecte alicubi (p. 186.) allegaui socerum meum, Iohann. Andream *Plohr*, medicum ante paucos annos haud proletariæ doctrinæ, & famigeratæ praxeos: itemque duos archiatros heic olim illustres, quorum prior, Franciscus Iacobus *Kotzebue*, primus inter nostros præclaram cortice sanationem præstitit (p. 249. sq.) alter, Brandanus Augustus *Conerding*, idem remedium, sub specierum cordialium anodynarum nomine (p. 186.) & sulfur antimonii *Glauberianum*, (p. 77.) sub purgantis catholici titulo, in officinam pharmaceuticam introduxit. Typis exscribi cœptum est opusculum fere simulatque conscriptum fuit; interuenientibus vero aliis atque aliis apud typographum impedimentis, in hunc vsque diem retardatum. Mora ista occasionem mihi præbuit, quintæ maxime, & postremæ sectioni, quæ serius typis expressæ sunt, inserendi varia, quæ exquisita scribendi methodus ad priores sectiones, aliumue locum ablegari, aut pleniori ope-

ri

ri rite diſpoſito relinqui iuberet. Optauit typographus, & votum eius ſecundarunt conſilia paucorum amicorum conſciorum, vt nomen denique meum præfigerem, ne quid perſpicuitati obſeruationum decederet, ſi & locus & auctor ignoraretur. Atque facile conieceram fore, vt neque diu, neque omnino, inter noſtrates certe, occultare me poſſem: & ideo fere domeſtica tantum litteris hisce conſignaram obſeruationum exempla, quæ, ſi quid ex me quæratur, ita liceat explicare, vt digito monſtrare queam, & dicere: hic eſt. Prodeo igitur in lucem leuidenſis libelli auctor, nullo profecto, quod ſinceram conſcientiam teſtor, niſi eo cum animi voto ſcripti, vt, ſi per ingenii mei viriumque paupertatem liceret, merce aliqua haud plane reiicula, quantumuis exigua, commercium medicum augerem; vt quasdam noxias hominum opinationes, ſalutis ægrorum cauſſa, corrigerem apud æquos æſtimatores, vel hos præmunirem; & vt denique alienæ cordatorum virorum experientiæ trutina expendendum publice exponerem, quod ſedula pro virili attentione reperiſſe mihi videor. Febres præcipue propoſui intermittentes, & quæ ex earum genere periculum & reuerſionem minantur. Ab his indicari ſtatui remedium ληξιπυρετον certum: certum, inquam, quod non niſi vnum ars medica poſſidet. Huius deſcripſi præbitionem occaſionis electione tempeſtiuam, doſi vero, & continuatione, & accurato repetitionis ordine, efficacem & adæquatam. Non potui ſimul, quin idemtidem erroneas quorumdam perſuaſiones de febrium intermittentium indole perpetuo tuta, & quaſi ſacro ſancta, ſuſpicionesque, quibus id medicamen premitur, modeſte refellerem, ac huius demonſtrarem, ſub legitimo vſu, innocentiam, neceſſitatem, vtilitatem, & vniuerſalem fere aſſererem medicorum vere experientiſſimorum, a longo inde tempore, per regiones conſtitutionesque plurimas, ſtabilitum iis in rebus conſenſum: quem ſunt qui, ob diuulgata paucorum, leuibus ex cauſſis diſſentientium, vel diſſenſum affectantium, theoremata, effata, & ſchediasmata, & vagas maleuolorum aut aberrantium ſermocinationes, ſibi ita non perſuadent, vti re vera eſt. Obſeruationes potiſſimum generaliores, nempe quæ in plerisque ſimiliter laborantibus æque reſponderunt, annotaui, ſexcentorum exemplorum narratione, niſi ea ſuperuacanea eſſe & nauſeoſa

videa-

videatur, roborandas. Particulares, quæ dicendæ visæ sunt, obseruationes passim immiscui, sed eas solum, in quibus singulare aliquid a ceteris notatum est. Regulas ex obseruationibus repetitis, & generatim similiter succedentibus constitui, &, quantum per breuitatis consiliique rationem fieri potuit, distincte inculcaui, additisque exceptionibus limitaui. Repetii aliquoties, quæ apud multos semel dixisse suffecerit: dum lectores æque attentione munitos, & præcepta opinione vacuos, mihi non spopondi, neque per aphorismos, aut more mathematico, sed stylo obseruationum & epistolarum liberiori, scribere animus fuit. Interspersi iudicia, experimenta, & amenitates, ex aliis auctoribus conquisita; immiscui hic illic, data occasione, alienas aliquo modo a proprio tractationis argumento, sed itidem in experientia fundatas, annotationes medicas; adiunxi etiam, cum licita in rei publicæ litterariæ toto ambitu sentiendi libertate modesta, sententias & coniecturas theoreticas: vt, varietate aliqua, tædium lectorum amolirer, quod argumenti ipsius ratio, & concinnitas deficiens, næuique styli negligenter labentis, neque ab adscitis ex sequioris dictionis scriptorum commercio formulis castigati, creare facile possunt. Rari sunt *Lommii*, *Borrichii*, *Bergeri*, quibus per praxeos medicæ turbas, per multas desuescendi purioris styli causas, per consuetudinem cum pharmacopœorum lingua, & omnis æui auctoribus multifario sermone vtentibus, intemeratum scriptionis nitorem seruare licet. Istorum vero defectuum, & tractationis haud exasciatæ, veniam impetraturum me apud benignos iudices spero, qui candorem obseruatoris, quippe in medicis obseruationibus præcipue ponderandum, æstimauerint, (quo vno nomine commendatum me velim) & quibus loci huius, medico clinico negotiosi, ratio, meaque temporis penuria, haud fuerit ignota. Etenim, quod hi facile intelligent,

hæc ego scripsi
Per breuis & dubiæ rara interualla quietis,
Et curas inter, perturbantesque querelas,
Luteoli ad Leinæ ripas, vbi nocte diuque,
Et mentem & corpus studio cursuque fatigans,
Huc illuc vocat ægra cohors: dum limpida longe
Flumina Permessi, doctæque beata cohortis
Otia prospicio, quæ non mihi fecit Apollo.

Hannoueræ prid. Kal. Decembr. clɔ lɔ ccxxxii.

ELEN-

ELENCHVS.

Proœmium.

Occaſio ſcriptionis: commercium *Noribergenſe:* obſeruationes & problema de febribus intermittentibus ſoporoſis & apoplecticis. p. 1.

Sectio prima
docet affectus notitiam, pericula, ſigna, cauſſas.

§. 1. Nomen affectus ſoporoſi febribus accidentis carus, ſiue ſubeth. Eius definitio, & differentia exigua ab apoplexia, lethargo ſeu veterno, cataphora, comate ſomnolento; item maior a vigili, catoche, catalepſi, ſuffocatione hyſterica & ſpasmodica, ſyncope. Febres ſyncopales. Permutatio affectuum ſoporoſorum. p. 4.

§. 2. Exempla experientiæ alienæ antiquæ & nouæ. p. 6.

§. 3. Experientia propria ſub ſtatu epidemio nouiſſimo. Breuis hiſtoria eius ſtatus. Cauſſæ generales. Noxia paludum effluuia. Multitudo febrium inſolita, ingenium ambiguum. p. 9.

§. 4. Securitas febrium fallax. Impoſtura & noxa remediis imputata, febribus etiam imputanda. Laudatæ ſecuritatis febrium moderamen. *Hippocratis* prognoſis rectius explicata. Tertianæ multis periculis expoſitæ. Quotidianæ periculoſæ. Quartanæ nimium laudatæ, difficillimæ, infidæ. Epilepſiam nonnunquam ſuſpendunt. Medela ſimilis vtrique apta. Quartanæ hibernæ metuendæ, ex obſeruatione *Hippocratis*, & aliorum. Morbus & mors *Kanoldi.* p. 10.

§. 5. Hiſtoria, deſcriptio, & euentus febris cum caro. Carus in tertianis, quartanis, quotidianis, apoplexiæ ſimillimus. Paroxysmus tertius grauiſſimus. Tertianæ intermittentes malignæ. Obſeruationes de febre ſoporoſa generales & particulares. Partus in ipſo ſopore. Abſceſſus in femore & dorſo. p. 17.

§. 6. Signa prænuntia medicum attentum poscunt. 1. Somnus naturali profundior. 2. Vrina: frequens micturitio. 3. Sanguis vena emiſſus. 4. Hypochondriorum dolor. 5. Cardialgia. p. 20.

§. 7. Cauſſæ ad prænotionem cognitu vtiles. 1. Purgatio ſine indicatione. Cruditas, coctio, orgasmus, niſus naturæ, attendenda in febribus. Puluis *Cornachini.* Scammonei benignitas & virtus febrifuga. Aquarum mineralium vis ſoporifera. 2. Remedia vel potulenta ſpirituoſa, febrifuga vulgi ſulfurea, calida, vaporifera, lac ſæpe coctum, vrina propria. 3. Diſpoſitio corporis, & proportio ad violentiam paroxysmorum. p. 24.

§. 8. Ingenium tertianarum epidemiarum bilioſum, ferox, capiti infenſum, ſæpe malignum. Symptomata comitantia & pediſſequa. Colica & cardialgia epidemia. Tu-

bercula in cerebro. Serum lactis ad ſurditatem. Sopor in febribus biliosis monſtrum alit. Cur *Emdæ* frequens? Cauſſa ad noſtrates applicata. p. 27.

Sectio ſecunda

indicat curationem per remedium certum & opportunum tempeſtiuam.

§. 1. Indicatio vrgens ex ſignis notatis: febrim fugandam. p. 27.

§. 2. Cortex Peruuianus per ſe tutiſſimus, & ſolus certiſſime febrifugus. Etymon nominis chinchina. Vis corticis in morbis variis: effectus circa profluuia ſanguinis & aluum: ſanitas poſt legitimum vſum firmior. p. 30.

§. 3. Certa eius efficacia cum aliis comparata præſtantior. Laus eius num temporaria? Curatio febrium apud veteres dubia per remedia incerta, ſordida, periculoſa. Vulgus materiæ medicæ iudex & auctor vanus. Ingens catalogus ſpecificorum laudatorum. Quorundam recentiorum imitatio affectata. p. 35.

§. 4. Experientia circa alia febrifuga. Arſenici vſus temerarius. Salia. Febrifugum *Kergeri*. Oleum animale *Dippelii*. Eius vſus in epilepſia, paſſione hyſterica, chorea S. Viti, cuius etiam cortex antidotus. Abſorbentia terrea. Doſis magna horum, aliorumque remediorum. Cascarilla ſpem fruſtrans. Adſtringentia. Adſtrictio non exhaurit vim febrifugam. Lactis vſus in febribus. Lac aſininum *Hoffmanno* mire laudatum, a *Stahlio* explosum. Remedia domeſtica num cuiuis regioni ſufficiant? p. 41.

§. 5. Vſus corticis opportunus, vel ſecus, in morbis variis. Febres corticem prohibentes. *Mortoni* error in nomine febris continentis. Exanthemata in intermittentibus. Hemitritæus verus. Paroxysmus. Morbi periodici ex cauſſa non intermittente chronica. Febres intermittentes putridæ. Morbi ſpaſtici, fluxionibus ſtipati, chronici ſine febre. p. 50.

§. 6. Morbi chronici ex genere febrium intermittentium. Febriles phthiſes, cachexiæ, hydropes, tympanitides, arthritides, icteri. Tabes Anglica. Vſus corticis in ætate infantili & puerili. Cauſſæ hydropis ex febribus. Succus ireos noſtratis anthydropicus. Cortex diureticus. Subdolæ febrium occultationes multifariæ. p. 53.

§. 7. Vſus corticis opportunus, vel ſecus, in febribus ex genere intermittentium, intermittentibus veris, continuis, ſemitertianis nothis. Cautio circa vſum & abuſum. Hemitritæus verus præpediendus. Præmittenda, miſcenda, ſubiungenda. Febres innoxiæ, ſalutares, faciliores. p. 61.

§. 8. Regula vſurpandi corticis prima ex præſcriptis fluens. p. 66.

Sectio tertia

medicinam exhibet, tum habitu, & præparatione corporis, tum electione, doſi, continuatione, efficacem.

§. 1.

§. 1. Neceſſitas & opportunitas eius remedii in febribus ſoporoſis. Carus vbique malus. *Galeno* ſæpe obſeruatus in febrium paroxysmis. Cortex ibi commendatus a *Ramazzino*. Cur interdum non profuerit? Feliciter in eodem caſu vſurpatus a medicis *Mutinenſibus*, item a *Lanciſio*. Veſicatoria. *Apinus* cortice proſperrime vſus. Verum corticem adhibuiſſe probatur, non cascarillam. Felix multorum medicorum experientia de efficacia illius in febribus ſoporoſis.

§. 2. Methodus medendi in paroxysmo, & ſi quid corticem prohibet. Euacuationes. Venæ ſectio in febribus. In eius loco eligendo regulæ de reuulſione & deriuatione vtiles ſunt, ſed non ſufficiunt. Aqua benedicta *Rulandi*. Purgans catholicum *Glauberi*. Enemata febrifuga. Remedia excitantia alia. Purgatio ex ialappa, aut ſcammoneo, hoc in caſu periculoſa. Laudanum *Riuerio* laudatum παραδοξον. Naſturtium aquaticum ſoporem prohibens, & febrifugum. Eius ſemen emulſum. Potus theæ. Solutio acceſſionis nimium imperfecta corticem prohibet. p. 72.

§. 3. Corticis electio, diuerſa ſpecies, indicia bonitatis præcipua odor & ſapor. Cortex trunci, ramulorum, radicis, fructuum, ipſumque ſemen febrifuga, lignum vero ſecus. Dignotio cascarillæ, chinchinæ ſpuriæ, ſeu eleterii. Hæc mire a *Stahlio* laudatur, item a *Stiſſero*. Febrifuga virtus exigua. p. 82.

§. 4. Vſus electi corticis efficax, in ſubſtantia, doſi, tempore. Doſis minor alias vtilis, item maior vna ante paroxysmum, ſed in hoc affectu non conuenit. Methodus *Talboriana*. Lintea poſt ſudorem renouanda. p. 88.

§. 5. Vſus continuandus. Eius ſufficientis ſigna certo ſecutura. Cibatio poſt doſin remedii. Cubitus in lecto. Huius ſumma vtilitas in multis caſibus. Purgantia cortici interpoſita, addita, ſubiuncta. Sanguinis ſub medicatione fluxus naturales, adſueti, irregulares, morboſi. p. 94.

§. 6. Symptomata emergentia. Hæmorrhoides cœcæ, tenesmus, alui adſtrictio. Lac ſulfuris laudatum. Album Græcum ad hæmorrhoides. Aurium tinnitus, ſurditas, temulentia, abſceſſus auris. Rheumatismus vagus calidus *Sydenhamio*; fixus frigidus nobis poſt febres obſeruatus. Vſus exempl. de hyoscyamo. Tuſſes, dolores, diarrhœæ. Aquæ *Emſanæ* in diarrhœis laudatæ. Simarouba remedium nouum laudatiſſimum. Paſſiones hypochondriacæ. Scorbutus, febris lenta. Aquarum mineralium virtus. Serum lactis *Hoffmannianum*, correctum, chalybeatum, medicatum. p. 79.

§. 7. Exempla aliquot ſingularia curatarum febrium ſoporoſarum: in corpore virilis ætatis im-

penſe corrupto; in ſene ſeptuagenario; in alio fere nonagenario; in grauida conſtitutionis teneræ & valetudinaria; in ſexagenaria graui lapſu læſa; in ſexagenario multis pathematibus prius afflicto. Exſiccatio fiſtulæ lacrimalis antiquæ. Vſus corticis internus ophthalmicus. p. 105.

§. 8. Curatio imperfecta. Paucarum & minorum corticis doſium vſus & abuſus. Accuſationes falſæ aliis obſoletis propediem ſimiles futuræ. Παρεκβασις de mali venerei indole, cura, remediis ſpecificis. Eius complicatio cum febribus. Martyrologium antimonii, chinæ, & religionis ab hac abhorrentis. Accuſatio iuſta ex vſu imperfecto. Culpa accuſatorum. Infida æque curatio per naturam, & alias medelas imperfectas. Febres faciliores pro ceterarum norma perperam habitæ. Noxæ curationis imperfectæ cuiusuis, ipſo recto vſu vnico ſæpe reſarciendæ, ſæpe vix ſine eo. Petitio ad nos ſatis expertos. p. 109.

§. 9. Regula pro cortitis vſu ſecunda ex præmiſſis fluens. p. 119.

Sectio quarta

de prænoscendis & præcauendis febribus recidiuis agit, & oſtendit medelam, ordine & repetitione adæquatam.

§. 1. Febrium recidiuarum iuſtus metus ex morbi ingenio. Obſeruatæ omni æuo, quacunque methodo adhibita. Virtus vnicornu Grœnlandici. Febres ad redeundum non pronæ. Recurſus earum, quæ ſine potenti medicina curatæ ſunt. Reuerſiones poſt febrifugum remedium. Poſt curationem imperfectam quamuis febres recidiuæ nothæ. De reuocatione febris. Medela reuocatione tutior. Reuerſiones poſt morbum ſubito periculoſum: poſt morbum indolis diuturnioris. Remora reuerſionum, & morbus longior, per culpam remedii. Error in continuatione inutili. Nimii remediorum febrifugorum vſus noxæ. p. 120.

§ 2. Febris recidiua ab ipſa febre ſæpius oritur. Theſis *Arabum* & *Campanellæ*, febrim non eſſe morbum, a *Stahlio* renouata. Notio popularis & medica vocabuli morbus. Febris inſtrumentum naturæ omni æuo creditum. Conſenſus hac in re omnium medicorum; diſſenſus exigui momenti. Matura febrium fuga ab *Hoffmanno* defenſa. Naturæ errores & defectus. Paroxysmorum particularium criſis infida. Cur plures febres indolis chronicæ redeant, quam acutæ? Contagium intermittentium proprio corpori aliisque minatur. Febris febrim generat. Sententia *Stahlii* de paroxysmis ex conſuetudine, & ibi adhibendo cortice. p. 131.

§. 3. Problema & obſeruationes de cita febris fuga reuerſionem præpediente. Vſus, doſis, præparatio Martis. Vermes cucurbitini: ſolius. Aliæ præter corticem medelæ cito vſurpatæ pariter felicio-

res.

res. Puluis *Cornachini*, & alia purgantia. Miſtura ſimplex. De ſpiritu ſcorbutico *Drawizii*. Vſus eius in morbis variis, ſigillatim in paralyſi ſcorbutica, & apoplectica. Tenesmus hæmorrhoidalis ſub corticis vſu. Vis ſalium volatilium ad præcauendos febrium reditus. p. 138.

§. 4. Monitio de non præiudicando. Reuerſiones faciliores, vel difficiliores morbo priori. Vis ſalium, & aquarum martialium, & lixiuiarum ad febres recidiuas. Aquarum mineralium ſal volatile acidulum & medium. Obſeruationes de reuerſionum tempore. Tempus incertum ex cauſſis extraordinariis. Tempus certum ex morbi indole tertiana, quartana, quotidiana. Quotidianæ veræ. Harum cum quartanis conformitas. Monitum *Sydenhamii* de purgatione poſt corticem limitandum. Hæc, aliæque redituum cauſſæ pro temporis ratione efficaces, vel ſecus. Petitio ad obſeruatores. p. 148.

§. 5. Obſeruationes alienæ concordes, de tempore febrium recidiuarum, & maxime de curatione ad eius normam inſtituenda. p 156.

§. 6. Methodus præcauendarum reuerſionum. Febrium indoles ἐπακμασικὴ. Vſus corticis interpolandus. ὑστερέργια. Tempus repetitionis in tertianis. Doſis. Fortuita ſanationum quarundam conſtantia, vt methodi *Talborianæ*, & ſimilium. Puluis Berolinenſis *du Cloſii*. Iterandæ repetitionis, & ſufficienter factæ, indicium. Methodus *Tortiana*. Eius conſenſus nobiscum in præcipuis. Felicior aliquanto noſtræ methodi in febribus ſoporoſis ſucceſſus. p. 160.

§ 7. Methodus præcauendi reuerſiones quotidianarum, quartanarum, erraticarum. Efficacia corticis ante paroxysmum dati. *Tortianum* inuentum nobile. Quartana in duplicem prona, anomala, periculoſa. Febres mixtæ. p. 170.

§. 8. Regula tertia pro genuino corticis vſu ex præſcriptis deducta. p. 175.

Sectio quinta

ſubiungit aliqua de conſtantia effectuum, & methodi ſecuritate.

§. 1. Conſtantia ſanationis. Effatum graue *Brunneri*. De cenſura curationis in caſu deſperato. Abſoluta noſtra methodo fere certo non redit febris. Si etiam aliquando redeat, cauſſa eſt ſontica, aut noua, nec remedium ideo culpandum, aut metuendum. Excuſatione hac vix opus eſt. p. 175.

§. 2. Experientia & conſenſus doctorum. Παραλογισμοὶ de corticis vſu recto noxio exploſi. *Boerhauius* de corticis vſu. Obſtructiones viscerum quando hunc prohibeant? *Torti* elogia. Conſenſus medicorum noſtratium, & exterorum per totum fere orbem. p. 181.

§. 3. Diſſenſus quorundam apparens. Diſſimulatio. Rationes politicæ diſſimulandi, carpendi, limitandi. *Mechiauellus* medicus. Incongrua doſeos cenſura. *Ramazzini*

ad meliores partes transitus. Genuinum doseos moderamen. p. 88.

§. 4. Præparationis & expectationis laudatio nimis generalis. Remedii præparatio inutilis. Expectare & corpus præparare iuuat sæpe, sæpe nocet. *Hoffmanni* ea de re iudicium explicatum. Opinio de motibus sine materia. Eius rei signum non datur. Cur redeant tandem ad corticem, qui eum reddunt suspectum. Excusationes eius vsurpati ex consuetudine naturæ. Methodus naturalis dicta ad febres curandas laudata, sed sæpe non sufficiens. Humectantia necessaria. Arsenicum ληξιπυρετον infidum & incertum. Consensus eorum, qui circa corticem dissentire videntur. Vera remedii, temporis, doseos indicatio. p. 96.

§. 5. De aliquorum medicorum dissensione vera, & hæsitatione. Fluctuatio *Ramazzini*. Hæsitatio *Geuderi*. Huius experientia de cortice, cum regulis elegantibus. Error medentium sine medicinæ culpa. Fundamenta dissensus. Spes de eo melior. p. 209.

§. 6. Dissensus & hæsitatio quorundam non medicorum. Admonitio rationi & artis indoli congruens. Fallacia non caussæ vt caussæ. Noxæ censurarum in remedia. Indoctiorum & insipientum pseudodoxia epidemia. Πολυπραγμοσυνη nociua. p. 216.

§. 7. Experientia experientiæ opposita. Experientia manca. Experientia vberrima *Bœcleri*, *Torti*, aliorum. Opusculum de impostura corticis perperam creditum alicuius esse ponderis. p. 222.

§. 8. Absoluta cura reliquiæ neque a febre, neque a remedio metuendæ sunt. Materia febrilis μιασμα σηπονωδες exiguum: arte domabilis est. Effectus medelarum febrifugarum adæquatarum. Dubitatio mire vana, quo abeat materia febris per corticem curatæ. Indicatio reuersionem præcauendi sæpe inutilis. Sufficit ei cortex. Febres aliter ac pro regulis nostris recidiuæ, præsertim annuæ. Naturæ febricitantis vis violenta & incertior. *Haruei* ars curandi per expectationem cum notis *Stahlii*. Cortex diuinum beneficium. Eius particulæ facile digerendæ & innocuæ. Crocus martis antimoniatus. Morbus acutus ex quartana. *Pechlinus* de quartana ex morbo acuto funesta. *Syluius* de tertiana epidemice exitiosa & recidiua. p. 226.

§. 9. Medicamenti securitas exemplis declarata. Non latet noxa sub sanitatis specie. Febris soporosæ terror, & auersio per citam medelam necessaria & felix. Vsus corticis tonicus & digestiuus sine febre; idem post variolas vtilissimus; in infante annicula feliciter copiosus; senectus post eum vegeta; phthisicus superueniente & fugata febre curatus; lepidum longæ & multæ remedii assumtionis exemplum. Explicatio experientiæ medici præclari a *Iunckero* laudatæ. Cor-

tex

tex ad ſphacelum, cancrum, morbos alios. p. 243.

Sectio ſexta

proponit obſeruationes, & coniecturas ætiologicas, de modo quo operatur medicamen, typisque, & periodis.

§. 1. Problema & coniecturæ de modo, quo cortex operatur. Adſtrictio non ſufficit. Inquirenda prius quam decidatur. Coniecturæ noſtræ. p. 256

§. 2. Vis ſpecifica. Remedii ſpecifici notio generalis. Diſſertatio de corticis vſu cauto & ſuſpecto *Sydenhamio* oppoſita. p. 262.

§. 3. Dubitatio generalis de cauſſis febrium, typorum, & periodorum. Dictum argutum *Talborii*. Cauſſa temporum febrilium vniuerſalis. p. 265.

§. 4. Obſeruationes communes de febrium ratione typica, & periodica. Regiones certarum febrium non feraces. Febres multiplices, mixtæ, quintanæ, octanæ, nonanæ, aliæque. Horæ ordinatæ. Tempus anticipandi & poſtponendi regulare. Ex tertio tertianæ paroxysmo indicium: alterni paroxysmi, alternæ hebdomades grauiores. p. 267.

§ 5. Problemata & coniecturæ de febrium, typorum, periodorum cauſſis. Frequentia febrium & ſimilitudo vniuerſalis. Elementum aereum in corpore humano num typorum cauſſa? Reſpiratio calefacit? Aer internus pars athmosphæræ. Oſcillatio eius periodica. Febres brutorum animantium. Differentia & materia ſpecifica ſingularum febrium. Materiæ febrilis generatio & motus. Typi conſtantia & mutatio. Quartanæ finis criticus. Motus naturales quotidiani, tertiani, quartani. p. 272.

§. 6. Explicatio opinionis de athmoſphæræ motu periodico febrium periodos moderante. Motuum athmoſpæræ typus. Fluxus & refluxus maris & aeris. Venti periodici. Aer febrilis fomitis motor. Obiectiones refutatæ. Summa dictorum. p. 282.

§. 7. Periodi in ſtatu ſano & morbis ſine febre. Periodus menſtrua naturalis in viris, feminis, brutis animalibus. Febris menſtrua medica. Fluxui menſtruo plethora non ſufficit. Non fit per rupturam ſeu vulnerationem. Vulneratio in ipſo puerperio non eſt naturalis. Culpa obſtetricum. Secundinæ ſeparatio cautiſſime facienda. Prolapſus vteri. Secundina abortientium ſponte elabens. Cauſſa plerorumque puerperiorum infelicium. Febris miliaris puerperarum num a violenta læſione vteri? Sine hac rara eſt. Intermittentem ſimulat. Non tolerat corticem, niſi quando declinauit. *Hoffmanni* methodus laudata. Emulſionum vtilitas. Eadem febris a læſionibus neruorum & tendinum extra puerperium obſeruata. Signum puerperii ſalutariter terminandi ex ſecundina. Hæmorrhagiæ ex abortu ingentes, frequenter obuiæ, ſed

ſine

ſine violentia circa ſecundinas haud mortiferæ. Sphaceli vteri, & febris miliaris cura, per remedia ad gangrænam abdomini impoſita. Menſtruus fluxus ab orgasmo materiæ ſeminalis, & ſtructura corporis a virili diuerſa: periodus a periodo athmosphæræ. Mulieres barbatæ. Cur animalia pleraque non patiantur menſtrua? Eunuchis hæmorrhoides neceſſariæ. Hæmorrhoides a ſeminali materia vberius abundante, quam elaborata. Menſes, & molimina periodica ſine plethora. De abortibus notata. Reliquiæ abortuum tempus ſtatum ſequuntur. Cauſſa iteratorum abortuum, malorum, hæmorrhagiarum. Methodus præcauendi ea ſymptomata. Imperium ſolis & lunæ in corpus humanum. Medicus naturæ vniuerſi miniſter, humanæ ſæpe dominus. p. 288.

§. 8. Conſenſus practicus cum theoria mechanica & organica. Diſſenſus ab hac theoreticus. Vis animæ in corpus, & viciſſim: etiam animæ matris in corpus embryonis. Inſtrumenta animæ mouentis, & corporeorum motuum, cui ſcopo eadem? Sanitas, ægrotatio, conualescentia, indicationes, mechanice a deo ordinata. Animæ vis occulta neque neceſſaria eſt, neque probabilis. p. 303.

§. 9. Natura humana conſeruans, ſanans, errans, indicans, quid ſit? Corpus quomodo medico conſiderandum? Perquirenda prius quam principium vitale neceſſarium ſtatuatur. Motus & niſus omni materiæ impreſſus, præſertim liquoribus natura calidis. Corpus machina hydraulica & hydroſtatica. Nerui liquore ſubtiliſſimo, eoque elaſtico, turgentes. Controuerſia *Gœlickii* & *Burggrafii*. Corpus ab anima propria non formatum. *Stentzelii* refutatio theoriæ *Stahlianæ*, & cenſura praxeos circa febres. Motus vitales ſine anima. Harmonia præſtabilita demonſtrari nequit. Vnio mentis & corporis. p. 311.

Epicriſis.

Æqua petitio, & prouocatio ad ſolam experientiam iudicem. Regulæ nobis præſcriptæ. Remedia exotica neceſſaria. *Heiſteri* verum de corticis vſu effatum. Obſeruationes de mercurio vitæ cæleſti *Klaunigii*. Simplex cortex præparatis & compoſitis omnibus præſtans, elogio *Ramazzini*. Arcana remediorum occultatio non excuſanda. Conſilium de ſcribendo opere pleniori. p. 319.

Addenda.

Corticis vſus ad ſphacelum nouis experimentis confirmatus. p. 332.

PROOEMIVM
AD AVCTORES COMMERCII LITTERARII NORIMBERGENSIS.

QVod cum orbe litterato, in emolumentum artis salutaris, & naturalis philosophiæ, haud ita pridem instituistis commercium, *viri clarissimi atque experientissimi*, id meum etiam plausum, quanti is cunque est, in satis dissita ab oris vestris regione excitat. Lego relegoque, multa cum animi voluptate, neque sine scientiæ accessione, schediasmata illa, doctrinæ, amenitatis, & elegantiarum plena. Et aliquoties animum induxi, vt qualemcunque ex mea experientia symbolam eo conferrem, quamuis forsan haud satis dignam, quæ reliquis immisceretur: quamquam vix vlla obseruatio in arte medica est, quæ, sincere annotata, non habere aliquid vtilitatis æquis æstimatoribus videri possit. Medicinam facio in πολυανθρωπῳ Germaniæ mediterraneæ ciuitate, vbi obseruationum faciendarum larga messis, publicæ editioni aptandarum parca est opportunitas, quippe muneris & praxeos negotiis obruto. Interim studium meum in rei medicæ & scientiæ naturalis incrementum, & in vos, promotores eiusdem egregios, sincere testor. Æqui igitur bonique consuletis, spero,

Occasio scriptionis.

ſpero, quod via, quam commercium veſtrum concedit, compendiaria vti ſuſtineam, & notationes quasdam meas, volante calamo breuiter lucubratas, circa febrium intermittentium, morbi a pluribus annis inſigniter graſſantis, indolem & medelam, vobis, ſi ita placet, patrocinantibus, in publicam lucem emittam. Occaſionem ei rei maxime præbuit problema aliquod, in laudatiſſimo illo commercio veſtro propoſitum, de ipſis febribus intermittentibus, quæ alioqui adeo tutæ reputari ſolent, infidis tamen aliquoties, immo exitialibus obſeruatis: vnde haud immerito de prænoscendis & auertendis earum periculis quæritur. Et mihi eiusmodi caſus obtigerunt haud pauci, & ſigna mihi eſſe puto, ex quibus ſuſpicio mali haberi poſſit, antequam ipſum ingruat, & medicinam afferri poſſe notaui, ſi tempeſtiue & efficaciter medicemur. Liceat ipſas a vobis editas hiſtorias, & problema exinde natum, propriis obſeruatoris veſtri verbis huc repetere, deinde vero affectus notitiam, prognoſin, & curationis adæquatæ methodum, pro tenuitate mea, explicare. In ſpeciminum veſtrorum aliquo (*) vir cordatus, qui nomen ſuum reticet, *de febre intermittente vera*, ſubito in *affectum ſoporoſum*, & ipſam *apoplexiam* mortiferam terminata, obſeruationes ſuas eleganter recenſet, & alienas expetit, & ſigna eius periculi prænuntia, medicinamque exoptat.

Problemæ de febre intermittente ſoporoſa & apoplectica.

"*In praxi mea*, inquit, *quam per quindecim iam annos* "*exerceo, non ſemel annotare licuit euentum quemdam, quem* "*me apud ſcriptores hiſtoriæ morborum vnquam legere non memi-*"*ni. Scilicet homines quinquagenarii & ſexagenarii, ſympto-*"*matibus, vt videbantur, ordinariis febris intermittentis, vel* "*quotidianæ, vel tertianæ, aut ſtata hora redeuntis, aut anti-*"*cipantis, vel poſtponentis, primo horrore, dein æſtu, ſiti, aliis-*"*que*

(*) Spec. XXIIII. §. 3.

"que affligebantur, nec aliud quicquam moleſtum aut periculo-
"ſum oſtendebant. In his, prout in aliis febre intermittente la-
"borantibus feliciter conſueui, febrem non ſtatim medicamentis
"directe aggreſſus ſum, ſed potius aliquos, cum primo, paro-
"xysmos ſub regimine debito perferre ſuaſi: præſertim cum, vt
"antea dixi, nihil ab ordinario febrium genio diuerſum ſecum
"ferrent. Sed præter omnem exſpectationem factum eſt, vt poſt
"quartum, quintum, vel ſextum paroxysmum, illo tempore, quo
"nouus horror accedere debeat, apoplexia inſequens immedicabilis
"ægrum e medio ſuſtulerit. Eiusmodi caſum præterito menſe in
"muliere quadam vidi, cum hac peculiari circumſtantia, vt apo-
"plexiam præcederet affectus ſoporoſus, in ipſo inſultus febrilis ar-
"ticulo ægram corripiens. Hoc menſe alia duo exempla, in ægris
"meæ curæ quidem non commiſſis, annotare licuit, qui apoplexia,
"ſed absque ſoporoſo affectu prægreſſo, mortui ſunt. Prorſus ni-
"hil extraordinarium, & a genio febris intermittentis alienum,
"nullumque ſignum tam funeſti euentus prænuntium deprehendere
"licuit. Vulgus noſtratium eiusmodi febres die Todten-Fieber
"appellat. Tam ad hiſtoriam morborum pleniorem reddendam;
"quam ad ſemeioticam illuſtrandam, conſultum duxi, ſi aliis egre-
"giis practicis hæc proponerem, illosque humaniſſime rogarem, vt
"ad publicum commodum indicare velint, ſi forte illis ſimiles ca-
"ſus obuenerint, multoque magis, ſi ſignum quoddam nouerint,
"ex quo vel certe, vel probabiliter, euentus præuideri
"queat, vt vel mature obuiam iri, aut ſaltim progno-
"ſi artis noſtræ exiſtimatio ſeruari
"poſſit.

SECTIO PRIMA
DOCET AFFECTVS NOTITIAM, PERICVLA, SIGNA, CAVSSAS.

§. I.

Nomen, definitio, differentia affectus.

Febris intermittens eſt iſta, quæ proponitur, ægrotatio. Pernicioſus, qui inopinato ſuperuenit, affectus *ſopor* eſt *profundiſſimus*, apoplexiæ nomine vocatus. Neque vero ipſa res noua eſt. *Carum* plerique auctores dicunt id ſymptoma, febribus ſat conſuetum, aut cum Arabibus *ſubeth.* (a) "Eſt autem carus veterni (b) ſpecies, affectio "ſoporoſa, lethargo maior, *apoplexia* paullo minor, huic ta- "men valde *affinis*, vt *in ipſam* non raro *tranſeat*, cum reſpira- "tione tamen adhuc paullo liberiori. (c) Si vero ſpirationem "ita vehementer opprimat, vt quis vel magno conatu vix "ſpirare poſſit, eorum exemplo, qui per grauem ſomnum "ſtertere ſolent, (d) apoplexia tunc affectio nominatur:

(a) Nomen hoc ſoporem omnem præter naturam profundum, præcipue carum, ſignificat. *Auicenn.* L. III. ſen. 1. tr. 4. c. 1. *Caſtelli* lexicon. *Rondelet.* method. curand. morbor. c. 19. *Valesci de Taranta* philonium c. 10.

(b) Veternum etiam vocat *Amat. Luſitanus* cent. II. obſ. 27. in ſcholio, quod tamen nomen id proprie latinis ſonare videtur, quod Græcis λήθαργος eſt: quamuis & *Pechlin.* L. II. obſ. 20. lethargum mortiferum ex febre tertiana pro caro vocet, & *Aetius* eadem notione vtatur.

(c) Definitio eſt *Brunonis* in lexico *Caſtelliano.*

(d) Ita facile diſcriminantur hi affectus ſoporoſi a *ſuffocatione hyſterica & ſpasmodica*, vbi fauces veluti vinculo præſtrictæ ſentiuntur, cum metu prævocationis, quod ita ſæpe augetur, vt aliquo tempore plane non ſpirent

"tur: (e) quamuis & ipſa interdum ſpiratio lædatur, ſi carus "magnus eſt." (f) In hoc aliquam, licet exiguam, ſenſus tactus facultatem, ſi æger fortiter irritetur, remanere dicunt; non item in apoplexia: quam deinde etiam, ſi æger in vita maneat, paralyſis conſueuerit ſequi, ex caro non æque facile exſpectanda. (g) Differentia tamen omnino exigua eſt, & facile ſecum hi permutantur affectus, vti & nomina paſſim apud auctores etiam exquiſitiſſimos promiſcue vſurpata leguntur. *Cataphora*, (h) *coma* ſomnolentum, (i) & *lethargus*, quorum definitio apud eosdem au-

ſpirent ægrotantes. Sæpe etiam animo linquuntur, & ſenſibus deſtituuntur, dum tamen pulſus manere, immo vix mutari ſolet. Secus res habet in *ſyncope*, quæ neque ſuffocatio eſt, neque ſopor; ſed ingens animi deliquium, vbi ſubito omnes vires ſentiendi & mouendi labuntur, pulſus aboletur, aut ſumme fit debilis, facies cum gelido ſudore fœde pallet, velut hominis emortui, quæ in caro & apoplexia non ita mutatur, immo ſæpe magis rubet. Neque ergo hic loquimur de *febribus ſyncopalibus*, ſeu, quibus ſyncopes ſymptomata accedit, itidem perquam periculoſis, quas aliquoties obſeruauimus, alibi tractandas, & de quibus, poſt *Galenum*, aliosque plures, ſingulari capite, obſeruationes enarrat *Reſtaurandus* in libello, quem vocat: Hippocrates de vſu chinæ chinæ c. 8. in *Blegny* zodiaco medico Gallico anno V. m. Iulio.

(e) Sunt verba *Caſtelli* in lexico.

(f) Teſte *Piſone* in lib. de cognoscendis & curandis morbis. pag. 88.

(g) add. *Galen.* in Hippocrat. de artic. comm. 2. item comm. 2. in porrhet. & in aphor. 5. L. V. & de loc. affect. c. 2. *Aetius* retrabibl. L. VI. c. 5. *Foreſtus* L. X. obſeru. 38. in ſcholio. *Willis.* pathol. cerebri c. 4. *Trincauelli* epiſt. p. 928. *Lomm.* obſeruat. L. II. *Gorræi* defin. med. voce Καρος. Proſp. *Alpinus* de medic. method. L. X. c. 5.

(h) *Galenus* l. 13. meth. med. apoplexiam, carum, catochen, omnesque affectus ſoporoſos, qui febrem comitem perpetuam non habent, hoc catapho-

ræ

ctores reperitur, minori gradu fere ſolum discrepant, (i) ſuntque itidem ſopores profundi, earumque & apoplexiam referunt, ſicubi incrementum mali inſigne fit: vnde ſine notabile erroris metu confundi poſſunt. (k)

§. II.

Exempla experientiæ alienæ.

Pertinet ergo huc, quod *Galenus* (a) memorat & deſcribit, & deinde *Paulus Aegineta* refert, (b) & omnes fere auctores ſuperioris ætatis repetunt, vbi de ſoporoſis affectibus agi-

ræ nomine complectitur. Eidem auctori magis ſigillatim in 1. prorrhet. 32. & in 3. epid. cataphora comati συνωνυμος, vel paullo grauior eſt, & ad cari definitionem propius accedit. Dicuntur enim illa affecti omni ſenſu & motu priuari 1. de dieb. criticis c. 4.

(i) Euidentius discrepat *coma vigil*, vbi ægri ingenti quidem ad ſomnum procliuitate laborant, dormire tamen nequeunt, ſed ſenſum motumque vigiles ſeruant. Dormituriens vigilia eſt, quamuis vigilans ſopor dicatur. *Catalepſis* eodem ſæpe nomine vocatur, qua ægri correpti velut obrigescunt, &, oculis plerumque apertis, membris immotis, ſenſibus vel omnino, vel maximam partem, ſoporatis, ſed ſpiratione integra, eum ſitum ſeruant, quem habebant, quum corriperentur, vt videantur vigilare. *Catoche* & *catochus* pro catalepſeos ſynonymis habentur.

(k) *Proſp. Alpinus* l. c. "carus, "inquit, differt a comate, quia "comatoſi neque ſenſu, neque "motu priuantur, & a lethar"go, quoniam lethargum fe"bris ſubſequitur & carum an"tecedit, & lethargici ſtimula"ti aliquid loquuntur, neque "omnino muti permanent; in "caro vero nihil, etiam ſtimu"lati, dicunt." Id maxime lethargum diſtinguit, quod febrem lentæ indolis, & ex ſua natura, propriam habeat comitem, ſine qua morbus proprie ita non vocatur: quum contra neque in caro, neque in comate, vbique, & ex proprio affectus ingenio, notetur febris, quamuis ſæpiſſime præcedat & comitetur.

(a) in 1. porrhet. comment. 2. §. 29.

(b) de re medica L. III. c. 9.

agitur: *carus frequenter febrium acceſſionibus ſuperuenit:* (c) id quod vberius explicat, &, in febribus acutis, & chronicis, quotidianis, ſemitertianis, quartanis, vel ſemel, grauiſſimo cum periculo, vel iterum iterumque per periodos, contingere, docet *Aetius* (d). *Zacutus Luſitanus* (e) *apoplexiam, Auicennæ periodicam* dictam, eodem refert. *Alpinus* (f) carum febribus accidere ſolere, & plerumque ſemitertianarum aliarumque febrium acceſſionibus ſuperuenire indicat. *Lommius* (g) "carus, ait, notis lethargo perſimilis, febrim "non facit, ſed ſequitur, eamque non leuem," & alibi (h) "accedit febri cotidianæ dormiendi pæne inexpugnabilis ne"ceſſitas. Omnis autem cotidiana ægerrime remediis ce"dit, tædii & periculorum plena." *Eugalenus* (i) multifariam & dilucide de hoc febrium ſymptomate agit. *Foreſtus* (k) haud abſimilia notat. *Bonetus* (l) *veterni* meminit ſingulorum febris paroxysmorum comitis. *Cl. Cohauſen* (m) febrium *ſoporoſarum* & *apoplecticarum* paſſim mentionem facit, & ex *Puerario* (n) ſtatum epidemium

(c) Recte explicandum eſt, quod in *Mangeti* biblioth. pract. T. I. p. 432. exſtat, *carum eſſe ſomnum ſine febre;* quum, ſæpiſſime cum febre eum eſſe, omnium auctorum concenſus doceat, & ipſe vir celeb. pag. ſeq. "carus, inquiat, progno"ſis omnino eſt ominoſæ, præ"cipue ſi *febrem* malignam, "aliamque non iudicatam, *adiunctam* habet.

(d) tetrabibl. II. ſerm. 2. c. 3. Nomen adhibet *lethargi:* deſcriptio vero apprime congruens caro eſt.

(e) hiſtor. morbor. princip. l. I. hiſtor. 33. dubio 17.

(f) de medic. method. l. X. c. 5.

(g) obſeru. medicinal. l. 2. p. 69.

(h) L. I. p. 18. ſq. cotidianas vero plerasque *tertianas duplices* cenſet, adeoque cum noſtris obſeruationibus §. 5. conſpirat.

(i) de ſcorbuto p. 66. 199. 366.

(k) l. X. obſeruat. 39.

(l) in medic. ſeptentrion. paralip. ad l. V. ſect. 3. obſeru. 1.

(m) in archeo febrium fabro, præſertim p. 110.

(n) in notis ad *Burneti* theſaur. med. practic.

mium tertianum annotat, vbi non pauci ex affectione *ſoporoſa* perierint. *Mortonus* (o) *apoplexiam* inter ea proteiformis, vti vocat, febris intermittentis ſymptomata, vel ſchemata, refert, quibus præſentibus æger vnoquoque paroxysmo in vitæ discrimen adducitur: & idem auctor hiſtorias nonnullas affert, plures etiam pollicetur, capiti affecto de febre *apoplectica* & *paralytica* ſubiungendas. Referenda huc videntur, quæ *Ramazzinus* (p) de febribus tertianis malignis Mutinenſibus memorat, ſtupore & *aphonia* (q) accedente, exitioſis. Neque non huc quadrat *ſopor profundus*, quem *Syluius* (r) inter ſymptomata febris epidemiæ intermittentis Lugdunenſis, eiusque impenſe periculoſæ, enumerat. *Lanciſius* (s) febres tertianas perniciosas recenſet, ſemper in principio typum intermittentium ſeruantes, quinta plerumque die in continuum verſas, ſeptima, nona, vel raro vndecima, *cum graui ſopore*, (t) ſudore algido, vrinis tenuibus, parotidibus, in mortem terminatas, *priusquam opportuna inuenta eſſet medendi ratio.* (u) *Sydenhamius* (x) *de apoplexia* ſub certo ſtatu epidemio febribus intermittentibus ſuperueniente, ſigillatim agit. *Goblius* (y) caſum febris tertianæ, ſubito in *apoplexiam* & mortem deſinentis, enarrat. Plura, ſi vacaret

(o) pyretolog. exerc. 4. 5. 9. & ibi hiſtor. 25. 26.

(p) diſſ. de abuſu chinæ chinæ, operum p 228. ſeq.

(q) Hoc vocabulum *Hippocrati* frequens, quod vocis priuationem notat, *apoplexiam*, catalepſin, ſyncopen, & id genus affectus, complectitur. v. *Caſtell.* in lexico, *Hollerius*, *Foeſius* ceterique Hippocratis interpretes.

(r) prax. med. append. 10. §. 37. 347.

(s) de noxiis paludum effluuiis l. II. epid. 1. c. 5.

(t) Eos, qui ita perierunt, *apoplectico modo* deceſſiſſe dicit l. II. epid. 1. c. 6.

(u) v. infra ſect. 3. §. 1.

(x) epiſt. 1. oper. p. m. 286. ſq.

(y) act. medic. Berolin. dec. II. vol. 1.

caret, exempla ex medicorum commentariis cumulari poſſent. (s)

§. III.

Similia mihi quoque, in ſenioribus præſertim, ſed & in iuuenilibus nonnunquam corporibus, obſervare & lugere contigit in conſtitutione epidemia, qua, inde ab enormi illo calore æſtiuo annorum huius ſeculi XXVI. & VII. putrefactis paſſim & in vapores roriferos impuros exſolutis aquis, corporibus hominum putredine, partim etiam verminoſa, inquinatis, (a) & per varias ſui partes textura & ordine

Experientia propria ſub ſtatu epidemio nouiſſimo.

B emo-

(s) Huc ſpectant, quæ de febribus intermittentibus *comatoſis* paſſim leguntur: vt apud *Riuerium* prax. L. I. c. 2. & centur. II. obſeru. 26. *Amat Luſitan.* L. II. obſ. 27. *Apinum* hiſt. febr. epid. obſerv. 8. *Williſium* de morbis conuulſiuis c. 8. p. 45. 53. & pathol. cerebr. c. 4. p. 120. in *miſcell. natur. curios.* dec. III. ann. obs. 138. obſeruante *Raygero.* & ann. 7. & 8. obſeruante *Blauuio.* Tertianam cum *lethargo* notat *Pechlinus* L. II. obſ. 20. *Reſtaurandus* c. 11. quod de cura hemitritæi per chinam chinæ agit, varias effert hiſtorias febris continuæ periodicæ ex intermittentium genere cum *ſopore* moleſto & fere *lethargico*, quam hemitritæum vocat. *Blegny* A. IIII. m. Febr. obs. 19. ex tertiana primo ſimplici, hinc duplici, a febrifugo remedio nescio quo exhibito, *ſoporem cataphoricum*, hinc mentis ſtuporem, tabem, & mortem obſeruauit. *Heluetius* in *recueil des methodes* p. 196. agit de febribus intermittentibus malignis, ſuperueniente *ſopore & reſpiratione difficili*, hoc eſt, caro in apoplexiam transeunte, ægrotos ſuffocantibus. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 751. ſtupiditatem, *comatoſum* affectum, & ceu leuem *apoplexiam* ſine ſtertore, ex febre recenſet. El. Rud. *Camerarius* ſcripſit diſſertationem de *apoplexia cum febre*, quam memorat *filius*, Alex. *Camerarius* in de corticis uſu ad icterum p. 2 Euolui poſſunt auctores ſub titulis *carus coma*, *ſopor*, *febres cum variis ſymptomatibus*, in *Waltheri* ſiua medica, *Moroni* directorio ſimilibusque collectionibus coaceruati.

(a) Leg. omnino immortalis libellus *Lanciſii* de noxiis paludum effluuiis. add. *Sponius* in *Blegny* Zodiaco a. 2. m. Ianuar. quæſt. 18. cur loca paludoſa & humida febrium ſint feracia?

emotis, colliquefactis, incenſis, innumerabilis febrium copia multifarii typi vniuerſam fere Europam, & loca maxime paludoſa, infeſtauit, (b) immo nuperrime denuo, quamuis graſſatio fatiscere tandem videatur. Hæc hiberno quidem tempore quotannis ſopita quaſi viſa eſt, niſi quod quartanæ & quotidianæ paſſim perdurarunt, vel ſub acutorum chronicorumue morborum inuolucro latitarunt reliquiæ materiæ febriculoſæ. Primo vere magno numero emerſerunt tertianæ, innoxiæ tunc vt plurimum, neque rebelles: menſibus æſtiuis (c) & autumnalibus varii generis febres diuerſa ratione grauiores apparuerunt, vel anomalias omnigenas, vel continuarum ſpeciem induentes, vel in ipſas febres acutas, aut chronicorum morborum aliquem, degenerantes, vel truculentis ſymptomatibus comitatæ, quæ inter maxime omnium formidabile fuit, quod tum in continuarum, tum in verarum intermittentium paroxyſmis interdum ſubito corripuit, veternus profundiſſimus, haud raro, ſicubi accidit, pernicioſus, & veræ apoplexiæ immedicabilis nomine dignus.

§. IIII.

Securitas febrium fallax.

Eſt ſane hæc res ex plurium cenſu, quæ laudibus febrium, dudum a *Mercato* (a), & nuper poſt alios a viro illuſtri *Io. Godofredo Bergo* (b) ſuſpectis redditis, modum ponere debent.

(b) Sane inſolita illa febrium multitudo ſolitos calculos magnopere turbauit, quos refert celeb. *Stahlius* in de infrequentia morborum perſonali theſ. I. p. 11.

(c) *Hippocr.* epid. VII. cholericæ, "inquit, affectiones magis in "*æſtate* fiunt, & febres *intermit*-"*tentes*, & quibus *horrores* acce-"dunt: hæ interdum *malignæ* "ſunt.

(a) de febrium eſſentia, differentia, cauſſa, curatione L. VI. vbi ſigna & cauſſæ perniciei metuendæ egregie recenſentur. add *Sennertus* de febribus. L. II. c. 18.

(b) peculiari diſſert. de laudibus febris ſuſpectis.

debent. Et viri quidem egregii, qui impoſturas, vti loqui amant, & noxas remediorum febres fugantium perperam adhibitorum accuſant, merito cauebunt, ne *impoſturæ* (c) *& noxæ febrium* mentionem itidem facere obliuiscantur. Facile alias diſcipulos lectoreſue ſuos metu medicamentorum generoſorum, & fiducia in medelas incertas fragilemque naturæ virtutem, ita patientur decipi, vt, ſeu in ſtatum epidemium endemiumue periculoſiorem delati, ſeu corpora febrium minus ſecure patientia curantes, torturam inutilem, vel ipſam mortem ægrorum expectare malint, quam certo aliquo, quod inuiſum forte redditum fuerit, auerruncare medicamine. Laudes ſecuritatis, quas antiqua experientia febribus intermittentibus vniuerſim decreuiſſe putatur, ita omnino moderandas eſſe nemo prudens diffitebitur, vt

(c) Prodibit forſan aliquando altera de hoc quidem argumento diſſertatio, quæ priori illi, de *impoſtura corticis Peruuiani*, ſub cl. *Goelickii* præſidio diſputatæ, iungatur: niſi malit auctor, quod perfacile ipſi, vel tirorum cuiuis, fuerit, veterum declamatorum more, theſin inuertere, & *candorem ſeu probitatem corticis Peruuiani* ſimili ſtylo & paribus argumentis decantare, ne quem indoctiorem declamationes ludicræ decipiant. Credent tunc viri omni laude maiores, qui eo remedio vtuntur, impoſturæ maculam non ſibi impudenter adſpergi, ſed ingenioſa fictione medicamentum pro perſona aliqua haberi, quam, exercitii cauſſa, productis ex fallaci memoria, et ſine probationis neruo, paucorum auctorum teſtimoniis, figuris rhetoricis, & variis luſibus circa artes dialecticas, luxuriante ingenio criminari, vel laudare audacter poſſis, nulla illorum ſeu iniuria, ſeu gloria, qui ægris propinant. Eodem olim præſide haud abſimilis prodiit diſſertatio, qua *corpus medicinæ mutilum* eſſe diſputatur, *quia dentur chirurgi & pharmocopæi*, quos omnes ex orbe relegari præſtet, lepidaque eam in rem ſuggeruntur conſilia. Migrabit forte cum iisdem in Americam cortex Americanus, quod auctor diſſertationis optat, niſi vtrumque conſilium effectu deſtitui ſalus rei publicæ iubeat.

non niſi tum conueniant, quando æger, vna cum adſtantibus, & medentibus, officium facit, & ætas, & corporis habitus, & aeris, aquarum, locorumque natura, & alii affectus comitantes, pro morbi vehementia, nihil metuendum eſſe commonſtrant, neque morbus, ex quacunque cauſſa, a conſueta ſibi indole deflectit. Ad Hippocraticæ diætæ leges, pro noſtri ſeculi moribus, vix centeſimus ægrotantium ſe penitus adſtringet, ac raro ægrotos, cum amicis, a primo morbi initio, & ſub longioris durationis tædio, (d) & confluentibus vndequaque conſiliolis & cenſuris, τα δεουτα per omnia præſtituros ſperare licebit. Neque Cous vbique ſpirat aer, & alius locus alio, veluti annus etiam anno, morborum certis generibus minus ſecurus eſt. Immo decantatus ille *Hippocratis* aphorismus (e), qui febres, quocunque modo intermittant, periculi expertes prædicere creditur, non ſolum naturam aphoriſmi, ſiue breuis regulæ, habet, vt exceptionibus ſit ſubiectus, ſed & aliud plane, idque fere conſtanter verum, & noſtra qualicunque experientia multoties confirmatum, & ad prognoſin vtiliſſimum, edicere videtur, ſi integer legatur, quam quod eumdem, vti fieri ſolet, dimidiatum indicare apparet. Fe-"bres, inquit ſenex Cous, non intermittentes, ξυνεχεες, & tertio "quoque die exaſperatæ, magis periculoſæ ſunt: ſicubi vero "quouis modo intermittunt, tunc iam abeſſe periculum "apparet. Hoc eſt, quando tertianæ continuæ in intermittentes mutantur, quocunque modo id fiat, etiamſi breuiſſima & vix obſeruabilis intermiſſio ſit, & vel quotidie, vel alter-

(d) *Pechlin* L. II. obſeru. 20. Quod "ſi moram trahant *tertianæ*, qui "autumnalium *ſæpe mos* eſt, hoc "*ſæpe* cum iis coniunctum eſt *pe*-"*riculi*, vt tædio morbi lentioris "ægroti in *diæta delinquant*, vi-vendique ordine morbi αχαιριαν "infament: itaque in alium *ple*-"*rumque* & deteriorem mor-"bum mutatur, qui tandem eti-"am, oppreſſis naturæ viribus, "*vitæ finem* imponat.

(e) L. IIII. aphor. 43. Coac. præ-not. 116. ſq.

alternis diebus notetur, egregium eſt ſuperati periculi indicium. (f) Quid idem grauiſſimus auctor de chronicarum magis febrium ſecura & facili, ſi diis placet, indole ſenſerit, ex eius ſcriptis abunde patet (g). Quæ ex tertianarum genere ſunt febres, tum legitimas, (h) niſi optime curentur,

(f) Ita non claudicat aphoriſimus, vti vult *Sinapius* paradox. medic. P. III. p. 161. ſed probe cum veritate, & cum iis conſtat, quæ "ipſe cenſor ſubiungit: inter- "mittentes, inquiens, ſæpius "ſunt periculi plenæ, vt in ſeni- "bus quartana, item tertiana len- "ta puerperarum. Quot & quan- "ti denique moriuntur ex febre "intermittente, formaliter, qua "tali! Neque enim de his ſermo eſt Hippocrati, ſed de continuis, qua talibus, quæ deinde feliciter intermittunt.

(g) Exempli cauſſa ſit hiſtoria epi- "demia L. III. ſect. 3. Multa, in- "quit, alia paſſim vulgata ſunt "febrium genera, tertianæ, quar- "tanæ, quotidianæ, nocturnæ, "continuæ remittentes, diutur- "næ, erraticæ, irrequietæ, incon- "ſtantes. Atque hæ omnes non "ſine multa perturbatione con- "tingebant. Plerisque enim alui "cum horrore turbatæ erant, ſu- "dores non critici, vrinæ crudæ. "Plurimis morbus erat longus. "Neque vero, niſi paucis, con- "tigit, vt critice aliquis abſces- "ſus fierte. His vero ipſis diu- "turna maxime iudicatio fuit, "vti omnibus omnino difficilis, "aut nulla, aut diuturna. Atque "illi pauci circa octogeſimum di- "em criſi defungebantur. Cete- "ros plerosque febris ita deſeru- "it, vti id forte fortuna tandem "accidere potuit. Pauciores ho- "rum ex hydrope mortui ſunt, "ſine in lectum decubitu. Plures "fuerunt, quos, præter alias æ- "gritudines, tumores œdemate- "ſi excruciarunt, præſertim tabi- "dos. Maximum autem & gra- "uiſſimum malum, quodque "plurimos morti dedit, phthi- "ſis fuit.

(h) *Galenus* 1. ad Glauc. c. 8. in 1. epid. ſect. 3. comm. 8. in 2. de criſibus c. 3. docet tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus iudicari, & non eſſe pernicioſam, ſi recte curetur: alias vero, annotante *Albino* ſæpius mutatur in continuas, ardentes, malignas, colliquatiuas, hecticas, tabidasque, & has plerumque inſanabiles Recte autem febrim eam curari negat, niſi diæta omnino ſit exactiſſima, vbi multis de cauſſis aberratio facillima eſt.

tum maxime illegitimas, (i) & τριταιοφυεων nomine apud antiquos insignes, diuersis periculis, & acutis, & chronicis, ægros exponere, satis inter medicos constat: (k) quamuis id morbi alius superuenientis, vel occulti, titulo tegere soleat vulgus, cui febres illas omnes innoxias esse debere falso persuasum est: quemadmodum, si qua earum continua fit, vel grauius affligit, ardentis, aut semitertianæ, horrifico nomine manifestum discrimen excusant, quibus morbi patrocinium suscipere lubet. Quotidianas febres a *Galeno* (l), *Celso* (m), omnique posteriorum medicorum schola, periculi neutiquam expertes pronuntiari, notissimum est. Quartanas ipsas forte aliqua ex parte curationis certæ ingnorantia, quum, quod apud poetam est, medicina medelæ insçia tacito dolore mussaret (e), in glorioſum illud solium euexit, (o) vt non tantum secu-

(i) conf. infra §. V. nota (a) et supra hoc §. not. (d)(g) sparsique passim per Hippocratis, Galeni, ceterorumque græcorum, latinorum, arabum medicorum volumina aphorismi, eruditiorum per omnia sæcula virorum obseruationibus & scriptis confirmati.

(k) Prosp. *Alpinus*, medicus sub initium superioris sæculi summus, in de medicina methodi- "ca L. VI. c. 2. tertiana notha, "inquit, non septem circuitibus "terminatur, sed longe pluri- "bus, vt sex mensibus perdu- "rasse a multis fuerit obseruа- "tum: atque ni cito tollatur, mi- "natur lienis obstructionem, "tumorem, cachexiam, vel in "continuam mutatur summe "periculosam.

(l) I. ad Glauc. 8.

(m) L. III. c. 15. sub finem.

(n) *Meibomius*.

(o) conf. *Menapii* encomion febris quartanæ, quod exstat in *Dornauii* amphitheatro sapientiæ iocoseriæ. *Gellius* L. XVII. c. 12. refert, *Phauorium*, infames materias laudare ingenioſe solitum, febris etiam quartanæ laudes, *Platonis* auctoritate, & ludicris argumentis, celebrasse. Add. erudite notata a *Reies* in campo elysio iucund. quæstion. c. 71. vbi plane curioſum videtur

ſecuriſſimæ, verum etiam, panaceæ inſtar aduerſus morbos grauiſſimos, exoptabiles eſſe videantur: vt adeo Galli ſuo prouerbio, quo febres quartanas illis apprecantur, quos diris deuouere volunt, bene omnino contra animi ſui ſenſa optare videri poſſint. Verum enimuero, vt tarditatem malignamque contumaciam (p) & lentas corporis corruptelas taceam, quas, multis de cauſſis, facillime inde naſci omnium ſæculorum conſenſus teſtatur; (q) veriſſime etiam edicit Hippocrates: (r) „quartanas

detur, quod aliqui auctores obſeruarunt, ope quartanæ conſpicuam corpori proceritatem, molemque aliquando giganteam, conciliari.

(p) Sunt verba *Dalechampii* ad *Plin.* L. VII. c. 50. oppido vera, quia duratio annua, vel certe ſemeſtris, breuiſſima olim viſa eſt, morbo omnem prius medelam eludere ſolito. Octennem obſeruauimus & curauimus ipſi.

(q) Conf. elegans *Pechlini* obſeruatio L. II. 21. quartanæ ideam & pericula exhibens. Inter vetuſtiores neruoſe dixit *Campanella* medicinal. L. II. c. 7. art. 4. Quartana intermittens habe-
"tur pro tutiſſima febrium,
"quamuis longiſſima: contingit
"tamen *plerumque ob tot febriles*
"circuitus, habitus *hecticus*: &,
"cum lien ſcirrhum ob hanc
"febrem incurrit, aut cancro-
"ſam diſpoſitionem, *lethalis* eſt
"& *ſæpe hydropem* affert.

(r) Locus egregius, plerumque neglectus, exſtat Coac. prænot. 159. Idem quidem auctor quartanam non ſolum, ob longa interualla, toleratu facillimam, ſed et febrium ſecuriſſimam dicit: quod in comparatione ad alias febres, præſertim ex tertianarum genere, intelligendum, & verum eſſe nouimus. Alibi epid. & 1. 6. eos, qui quartana afficiuntur, a *magno morbo* non capi obſeruat. Ibi vero certiſſime epilepticas conuulſiones ſolas intelligit, quas morbum *magnum*, heroicum, herculeum, ſacrum, vocabat antiquitas. v. *Lang.* epiſt. medic. 25. 48. L. I. *Galenus* ad 6. epid. ſect. 6. item in 1. epid. ſect. 1. longa quar-
"tana *comitialem morbum*, dis-
"cuti teſtatur, ſed lienoſis eſſe
"valde incommodam, *complu-*
"*resque* ipſorum exinde factos *hydropicos* & *mortuos* ſe vidiſſe. Ipſius *Hippocratis* aphor.

70.

"tanas hibernas in morbos acutos tranſire ſolere. (s) Sæpe id annotare nobis quoque licuit, pleuritide præſertim, & febre catarrhali, rheumatica, aut exanthematica, per hiemem populari. Immo perſeuerauit paſſim in ipſis febribus acutis, exanthematicis, & inflamatione ſtipatis exquiſitus quartanæ typus, ſuique paroxyſmi interceſſione grauia pericula induxit, vt ſemiquartanas haud immerito dicere queamus ſemitertianis quamuis rariores, attamen non minus pernicioſas. Felicibus e contrario ægris eſſe contigit, quibus prius adæquato remedio curata fuit quartana, quam in eiusmodi morbum acutum hibernum inciderunt.

obſeruatio particularis I.

Non diu eſt, quod, multo boni publici diſpendio, doctiſſimus annalium phyſico medicorum Vratislauienſium collector *Kanoldus* quartana autumnali, quæ poſt menſem in febrim acutam cum purpura deſiit, e viuis ereptus eſt (t): qui

70. L. 5. & aliorum experientia, illud elogium eo vsque verum eſſe docet, vt epileptici, ſi in quartanam incidant, quam diu hac tortura laborant, alteri illi, nempe conuulſionibus epilepticis, tantiſper non obnoxii eſſe ſoleant. conf. obſeruatio *Crugeri* ephem. curioſ. dec III. ann. 1. obſ. 148. Ex hac Hippocratis doctrina fulcrum obſeruationibus recentiorum naſcitur, de indole diſpoſitionis febriculoſæ pertinacioris, & epilepticæ, parum diuerſa, & per ſufficientem corticis vſum vtraque ſæpe curabili. Electuarium epilepticum *Fulleri* in pharmacop. extempor. deſcriptum ad magnos morbos magna præſtat.

(s) *Fœſius* ad hunc locum notat: id, "vbi quartana diutius durat, ex "vitæ intemperantia continge-"re, *nulla tunc fere ſperabili ſalute*. Sæpe id verum eſſe videtur: ſed plures longe cauſſas eſſe poſſe, euidentiſſimum eſt, et ſalutem tamen haud fruſtra ſperatam aliquoties vidimus, quamuis periculi plurimum ſemper ſubſit.

(t) v. eius monumentum in ſucceſſoris digniſſimi Cl. *Buchneri* præfatione, tentamini 28. eorumdem annalium præfixa, & quæ inde in ipſo commercio Norico excerpta ſunt.

qui ipſe febrium eiusmodi potiorem, quam corticis Peruuiani, earum remedii vnice adhuc certi, innocentiam eſſe, opinatione ſibi forte ferali, reputare ſolebat, hunc experiri non auſus. (u)

§. V.

Ex tertianarum genere fuerunt omnes (a), in quibus id quidem, de quo agimus, febrium ſymptoma obſeruauimus, vel obſeruatum comperimus, ſimplices aliæ, aliæ, paroxysmo ſecundario adſcito, duplices, quamquam *Galenus* (b) ſoporem quotidianæ maxime proprium eſſe notat, & *Foreſtus* (c) carum ex quartana memorat. Tempus, quo id con-

Hiſtoria, deſcriptio, & euentus febris ſoporoſæ.

C

(u) v. tentam II. p. 303. ſq. & paſſim.

(a) Febres intermittentes malig- "nas frequentiſſimas, ſed terti- "anas, obſeruaui. *Neugranz.* de "purpura. c. 25. p. 413. Vt plu- "rimum ex intermittentibus "non alias, quam tertianas, tri- "plices ſiue duplices, obſeruare "maglinas licet. *H. Meibom.* de febre magligna §. 14. Conſentiunt *Galenus* I. de crif. 3. de typ. 4. & epid. 6. comm. 2 tit. 23. & ibi *Valleſius*, *P. Salius Diuerſus* de febre peſtilenti c. 10. *Claudinus* reſponſion. 7. *Minadous* de febr. malign. L. I. c. 22. *Reineſius* epiſt. medic. 2. *Rhodius* obſeru. 9. & 10. cent. I. *Sim. Pauli* digreſſ. de febre maligna p. m. 79. *El. Rud. Camerarius* de febre *tertiana maligna* cel. *Alberti* de purpura cum febre complicata §. 12. recenſet & miratur eiusmodi malignitatis epidemiæ exemplum.

(b) De typ. 4. & *Foreſtus* L. X. obſ. 39. exemplum habet *Moccha* conſ. 48. fol. 71. add. *Dolæus* encyclop. med. L. IIII. c. 7. §. 2.

(c) L. IIII. obſeru. 39. comatoſum affectum apoplexiæ ſimilem obſeruauit ex quartana *Bianchi* hiſtor. hepat p. 751. & ſoporem cum conuulſionibus ante manifeſtatum veræ quartanæ typum *Schelhammer* de natura p. 275. *Stahlius* ſomnolentiam in quartanæ paroxysmis innoxiam, neque cohibendam eſſe, notat in problem. de febrium theoria & therapia p. 19. quod cum grano ſalis accipiendum eſſe, res ipſa docet. *Galenus* ad II. "aph. 1. quemadmodum, inquit, "ſomnus in acceſſionum decli- "natione eſt vtilis, ſi iuuet æ- "grum, ita, ſi ipſum læſerit, per- "nicioſus eſt.

contigit, in tertium primariæ acceſſionis paroxyſmum, ſiue diem morbi quintum, aut, vbi acceſſiones valde anticiparunt, quartum ſueuit incidere: nonnullos ſerius afflixit. Fuit ſane hoc ipſius febris & paroxyſmi ſymptoma, qui, cum aliquo ſenſu conſuetorum motuum, iuſto tempore plerumque incepit, ſtatim deinde interdum, alias vero non niſi ſenſim, & cum incremento acceſſionis, ſopore illo accedente & in-
obſeruatio partic 2. crescente. Pulſus in plerisque frequens, in vnico per nouem ante mortem dies continuos apoplectico, tardiſſimus, in quibusdam exantlato quidem tempore paroxysmi, non autem ipſo affectu ſoporoſo, naturalis, in multis durus fuit & intermittens. Verbis fere *Eugaleni* (d) ejusmodi acceſſionem deſcribere licet: *profundo ſomno, caro ſcilicet, correptus absque omni ſenſu ac motu iacuit, vt ne digitum haberet, quem dimoueret, & ſola reſpiratione a mortuo differret:* hæc autem plurimis ore hiante ſingultim & cum ſtertore fiebat, quo maxime indicio apoplexiam a caro, gradu ad illam proximo, dirimere ſolent auctores. (e) *Nullis vellicationibus excitari atque reuocari ad ſe potuit, & ſi poſt vellicationes, punctionesque*, vel poſt phlebotomias, ſcarifationes, ſternutamenta, clysmata acria, cauteria, *leuiter aliquando oculorum palpebras attolleret, ſtatim tamen rurſum illæ conniuebant*, interdum inæqualiter, vt altera ſemiclauſa appareret, vel manebant immotæ & apertæ ſine viſionis ſenſu. *Idque malum* quibusdam *in ſingulis febrium acceſſionibus recurrebat, iisque deſinentibus ſponte ſoluebatur, etſi ob-*

(d) de ſcorbut. p. 366.

(c) v. ſupra §. 1. Alia ſigna differentiæ habet *Verzaſcha*, ſecundum quæ maxima certe ægrorum noſtrorum ita affectorum pars apoplectica vocari deberet: primo, quod carus ſenſim, apoplexia repente infeſtet, ſecundo, quod in illo auditus cum aliis ſenſuum operationibus remaneat, ægerque punctus membrum contrahat, ſecus ac in apoplexia. exerc. de apoplexia §. 7.

obtusiores tum quoque sensus viderentur, neque plane integri, sed quodam quasi stupore præoccupati: paroxysmo etiam de inde grauius indies affligere solito. Nonnullis prima statim, vel altera talis accessio exitio fuit. Aliqui euigilarunt quidem finiendi paroxysmi tempore, sed durius longe quam ante hunc laborantes, magis alii, alii minus: continue febricitantes, somniculosi, magno stupore, immo interdum veluti catoche seu catalepsi affecti, delirantes, anxie & assidue micturientes, motibus vel haud voluntariis, vel anxiis iactati, dextro latere interdum, tanquam ab hemiplegia, immoto, vel parum mobili. Hi vero sub ingressum noui paroxysmi plerumque sopore iterum, immo sæpe apoplexia insanabili correpti, sub eo ipso, vel, quod paucioribus euenit, post aliquot demum dies, sensim exspirarunt. Complures, mature satis aduocato medico, posteaquam medicina & tempore excitati fuerunt, melioris & præcipue longioris remissionis, aut intermissionis, participes facti, medicamentis generosis ab instante paroxysmo & mortis periculo vindicati sunt. Pauci sine eiusmodi remediis, sponte naturæ, post toleratos aliquot paroxysmos soporosos, sub longo languore febris intermittentis, variorumque symptomatum, vel conualuerunt sensim, vel consumti, aut relapsi, atque extincti sunt.

Vnicum mihi visum est exemplum in muliercula sexagenaria, quæ quidem extra accessiones aliquantulum, post externa remedia, sensuum vigorem recepit, medicamenta vero nulla admisit, & nihilominus tandem, diu misere conflictata, rediit cum sanitate in gratiam. *obseruatio particularis. 3.*

Etiamnum curo chirurgum, eiusdem ætatis, ruri degentem, qui non nisi emulsa, & remedia palato grata, acceptauit, & omnia nunc nauseat, dum febriculam lentam continuam, tertio quoque die exacerbatam, ex grauissimo tridui sopore, post tres fere hebdomades, reliquam habet. *obseru. partic. 4.*

obſeru. partic. 5. Noui feminam, quæ in ipſo hoc veterno apoplectico, poſt adminiſtratam largam venæ ſectionem, & admotas canthari-des, peperit infantem maturum quidem, ſed conuulſum ſtatim, & mortuum. Ipſa vero, lochiis abunde profluentibus, & enato ſupra femur abſceſſu carbunculi inſtar nigro & ſphaceloſo, ſub mea & chirurgi medicatione, tandem ſanitati reſtituta eſt. Eiusmodi abſceſſus in femore, vel dorſo, vel circa anum, ſæpiuſcule in febribus continuis & malignioribus, præſertim vbi affectus capitis & neruorum concurrunt, obſeruare licet: quæ res plebi indoctæ a longo in dorſum decubitu ſolum, vom bloſſen durchliegen, ſuboriri creditur, atque male ſæpe ac negligenter haberi ſolet.

§. VI.

Signa prænuntiæ. Tam egregie hæ febres intermittentem, vel remittentem benignam, ſimulant, vt vix aliquo ex ſigno certo triſtis euentus prænuntiari poſſe videatur: præcipue, quum morbi ingenium generatim non videatur malignum, ſed potius innumeri, ſub eodem ſtatu epidemio, feliciter facileque, cum quauis medendi methodo, emergant, in quibus fere eadam omnia in principio notantur. Atque id ipſum eſt, quod multos ita decipit, (a) vt, quum vulgatum quoduis remedium,

(a) Appoſite ill. *Stahlius* de æſtu maris microcosmici th. VIII. "eſt, inquit qui videt, aliisque "narrat, vomuiſſe cum eupho-"ria vnum patientem; iam lex "rogatur: *vomant omnes.* dictum "factum. Forte legit in anti-"quis: *quæcunque febris ſine ſu-"dore ceſſet, mala fide id facere.* "*Sudent ergo quantocyus omnes,* "vt in perpetuum emaneat. Ita ſe res cum omnibus medelis habet. Ita argumentantur homines ignari a particulari ad vniuerſale, & ægros immaturis iudiciis & conſiliis in errorem ducunt: immo vbi, alio loco & tempore, aliam medicationem adhibet medicus, quam quæ ipſis alibi viſa eſt ſuccedere, obſtrepunt medenti, vel clanculum obmurmurant, & ſuam experientiam crepant: ſed o quam pauperem!

um, vel temerarium etiam molimen, feliciter in tot corporibus cedere videant, ibi etiam, ſuis ſiſi experimentis, vel naturæ & medelis incertis rem committere, vel vehementibus pharmacis & turbulentis auſibus ægros aggredi ſuſtineant, vbi ipſum hoc, de quo nobis ſermo eſt, ſymptoma, vel quodlibet aliud vere metuendum eſt periculum. Enimuero, cum haud paucis experientia probet exemplis, epidemiarum harum febrium cauſſam, ægros in varia diſcrimina, & in hoc etiam periculoſiſſimum ſymptoma ſenilium corporum plura, & iuuenilium non nulla, improuiſo adducere aptam natam eſſe; caute vtique, nec ſine aliqua formidine, ſub eiusmodi ſtatu epidemio, ſalubritatem & ſecuritatem febris credendam & prædicandam eſſe, conſtat. Expedit potius minutiſſima quæuis indicia probe vbique explorare. Si vsquam alibi, certe in hac fallaci benignioris morbi ſpecie, clinica praxi opus eſſe videtur: hoc eſt, vt, quantum fieri poteſt, ipſos ægros medicus domi illorum dilgenter inuiſat, (b) vel perito adiutore vtatur, neque indoctorum hominum relationibus, & vrinæ iudiciis incertis, fidem nimis adhibeat, vt potius totum corporis habitum rite intueri, & de tempore, modo, & menſura morbi, de ordine & periculis acceſſionum, iuſtos calculos inire qoſſit. Huc illud quadrat,

. . . . . *ſæpe exiguus mus*
Augurium tibi triſte dadit (c)

(b) Nemo verorum medicorum timere debet acuta tela, quæ in *platearum conculcatores* iaciuntur, & ſolos empiricos feriunt, in Sthalii de æſtu maris microcoſmici, & in eiusdem illuſtris auctoris ſcriptis variis. Eſt omnino, vbi plateas conculcare, vel equis vehentibus conculcandas dare, medico etiam peritiſſimo neceſſarium ſit. Inexhauſtæ doctrinæ liber eſt, quem nobis per omnem ætatem attente perluſtrandum propoſuimus, neque perdiscemus vnquam: *corpus humanum ægrotum ſingulare.*

(c) *Fracaſtor*, de contagione L. 1. c. 3.

Signum 1. In omnibus, quotquot equidem vel vidi, vel compertos habeo, vbi hic, in quem inquirimus, affectus ſuperuenit, in primo vel ſecundo ſtatim paroxysmo, ante tertium illum periculoſiorem, vel, vbi ſerius malum accidere debuit, in præcedentium acceſſionum aliqua, *profundiorem naturali ſomnum* obſeruatum eſſe cognoui. Grata ſæpe res fuit amicis, ſenſum febris blando ſopore falli perſuaſis. Inde vero multorum etiam per ἀπυρεξιαν *ſenſus* veluti quodam *ſtupore* occupatos, vt neſcio quam capitis *ſtupiditatem* inſolitam conquererentur, poſt *Eugalenum* experti ſumus. In diverſis caſibus ille ſtatim ſomni periculoſioris prodromus ita ſopiuit ægrum, vt vel ægre, & cum delirio, vel plane non, ante finitum paroxysmum vigil ſeruari potuerit: quantumuis poſtmodum ορθοςαδιος, immo vel ſani inſtar foris obambulans.

obſeru. particul. 6. Memini mulieris viduæ nondum quinquagenariæ, quæ in publico ſub veſperam obuia facta me rogauit, vt ſe inſequenti die inuiſerem, quia febris paroxyſmum tertium exſpectaret. Hodie, inquit, egregie purgata ſum a medicamento ſub heſternam noctem ſumto. Acceſſi altero die, & quidem rurſum ocyus petitus, atque non ſolum impenſe febricitantem, ſed & apoplecticæ inſtar immobilem & ſtertentem reperi; neque expergefieri vllo modo potuit, ſed ſenſim elanguente reſpiratione & pulſu exſpirauit. Toto præcedente paroxyſmo blande dormire viſa erat, neque vigilias vrgere voluerant, qui adſtiterunt: neſcio, an potuiſſent

ſignum 2. *Vrina* craſſa, coloris intenſi, *ſubfusci*, lixiuii, addo etiam in quibusdam ad nigrorem vergentis, & innatante quaſi *pinguedine* aliqua, valde etiam foetens, (d) & præſertim cum *fre-*

(d) vermes per vrinam non quidem in hoc ſymptomate, ſed in illa colica, de qua ad §. ſeq. aliqua dicemus, aſcaridum forma, & alibi diuerſimode, vidimus. conf. celeb *Clericus* hiſtor. lumbr. lator. p. 275. ſeqq. *Ruyſch.* thet. anatom. I.

frequenti micturitione, *& dysuria aut stranguria*, prodiens, & tunc interdum naturali similis, hoc præcipue symptoma, vel febricosi Protei aliam mutationem minus securam, præcessit, & metuendam indicauit.

Sanguis, vena secta, floridus plerumque, & satis æquabilis, *signum 3.* sed cum *copiosissimo sero virideſcente* prodiit: interdum *variegatos* colores ostendit. Aliquoties seri pars viscidior superius in *liquamen gelatinæ instar* coierat, in *fornicem* quasi eleuata, quum subtus pars seri, magis forte grauis, elastica, & fluida, cum intermixtis *grumis sanguinis*, patellæ adhærentibus, fluctuaret. Vbi iam inflamationis metus adfuit, *crusta* quasi pleuritica apparuit. Aliquando *verminosus* exiit sanguis, seu corruptione vermiculos ingenuit, forma seminis cucurbitæ (e), quos ibi vidit medicus.

Sutorem quendam nuperrime hoc malo correptum & *obseru. particul. 7. signum 4.* extinctum comperi, qui diu ante de dolore hypochondrii dextri per interualla conquestus erat: quæ res, quum in alio etiam ægro similiter ante aliquot annos notata fuerit, in memoriam reuocauit prædictionem Hippocratis (f): *febres ex* "*hypochondriorum dolore* obortæ *malignæ* sunt in his το καρωδε, *profundus sopor*, pessimum.

De *præcordiorum dolore* aliqui eum locum exponunt. Sed *signum 5.* & hæc res cum nostris obseruationibus consspirat. Plures enim eorum, quos carus deinde corripuit, *cardialgia graui*, ictericorum & hepatitide laborantium instar, in præeunte accessione afflicti fuerunt: (g) symptomate oriundo ex notissimo consensu hepatis profundius affecti, & ductuum biliariorum grauiter irritatorum, cum orificio ventriculi.

§. VII.

(e) conf. celeb. *Andry de la generation des vers.* c. 3. *Clericus* hist. lumbr. p. 281. seqq. *Borellus* cent. 3. obs. 4.

(f) Coac. prænot. II. 31.

(g) *Claudinus* respons. 7. complures, inquit, febre *tertiana intermittente* laborantes, propter "febris malitiam, ex subsequente *cardialgia perditos vidi.*

§. VII.

Cauſſæ ad prænotionem cognitu vtiles. ſignum 6.

Plerumque, quod probe attendi velimus, ſine expectata aut præſtita coctione, & non bene iudicatis orgasmi & vergentis naturæ indicationibus, haud adeo generatim, vti vulgus arbitratur, in febrium intermittentium principio obuiis, (a) *medicamentum* aliquod *purgans adſumtum* fuit, quod ſolum, ſine vllo fere indicio præuio, aliquos, primo vel ſecundo paroxyſmo ſequente ſopore dandos, reliquit: (b) quemadmodum innumeros febre duplicata, aut continua, aut lenta, aut prauis ſymptomatibus mulctauit. Neque iis tutum fuit, qui non niſi nauſeam, laſſitudinem, cephalalgiam, aut dorſi dolores, ſymptomata febris prænuntia, ſenſerunt, aut neſcio quas impuritates, ſine indicatione, expurgari conſeruationis cauſſa debere opinati ſunt. Complures inde ſtatim febre epidemia, eaque minus ſecura, immo ipſi huic ſymptomati expoſita, correptos noui. Neque tuta fuerunt blandiora ἀμεθοδως & promiſcue data, licet febris, & bilioſi humoris, & obſtructionum, quaſi alexipharmaca

(a) In mentem venit elegans locus ex *Patini* epiſt. ſelect. volum. II. ep. 246. vbi prælectionem academicam a ſe habitam "laudat, qua probauerit, in fe"bribus intermittentibus non "eſſe purgandum, niſi præſenti"bus ſignis coctionis, & oſten"derit, vnde illa eruenda ſint, "quorum optimum ſit, morbi "& ſymptomatum omnium "imminutio. Egregia & magni in praxi vſus, ſi recte adplicetur, doctrina! quæ, iuuentuti ſtudioſæ inſtillata, non poteſt non in vtilitatem multorum ægrorum concedere meliorem, quam laudationes, vel criminationes, morborum medelarumue indiſtinctæ. Sane purgatio omnis, præſertim in febribus ſine ſignis repletionis a materia, quæ expurgari poſſit, vel cocta, vel turgente & ad primas excretionis vias prona, ſeu exitum fruſtra moliente, ſemper artis regulis adverſa fuit.

(b) Conf. *Pechlin.* eph. nat. cur. dec. I. ann. 9. & 10. obſeru. 30. & noſtra obſeruatio particularis ſexta, ſupra §. VI.

pharmaca iactentur: rhabarbarum, ipecacuanha, puluis Cornachini (c), pilulæ polychreſtæ, & quæ contra obſtructiones vocantur, aloe quouis modo parata vel correcta, ſolutio extracti panchymagogi cum mixtura ſimplici, ſalia cathartica, aquæ naturales purgantes (d): vbi præſertim purgationem, vt ſæpe ſolet, ſtrictior aluus inſecuta eſt. Vaniſſimum eſſe conſtat, quod aliqui prætexunt, priſcos medicos, cum regulas de purgatione ſcriberent, non niſi fortiſſima pharmaca nota habuiſſe, leniorum ignaros. Contrarium innumeris locis teſtantur *Hippocratis*, *Galeni*, *Aetii*, *Celſi*, *Cælii* & aliorum ſcripta.

Aliis ægrotis, ante hoc ſymptoma, *remedia vel potulenta ſpirituoſa ſulfurea*, & quæ *bilem craſſiorem agitare* & ad *cerebrum rapere* apta ſunt, exhibita eſſe percepi. Spectant huc *remedia vulgi* αντιπυρετικα calidiora, aut caput ferien- *ſignum 7.*

D tia

(c) Puluis hic, alias comitis Warwici ac purgans febrifugum, haud immerito dictus, in febribus ſecurioribus, etiam non expectata coctione, vbi exitum fruſtra affectant humores abundantes, & morbi fomes ad primas vias tendit, ceteris purgantibus pluribus palmam præripit, & vel ſolus curationem abſoluit. v. M. *Cornachinus* ſingulari de hoc puluere tractatu, ſiue de methodo omnes affectiones ab humoribus ortas curandi. *Heluetius in recueil de methodes* duas tertias febrium eo ſanari memorat. *Kergerus* "de fermentatione p. 250. Cor- "nachini, inquit, puluerem "præ ceteris purgantibus feli- "citer adhibui. Laudatur etiam a *Spigelio* de ſemitert. l. 3. c. 8. a *Fonſeca* in conſil. & aliis. In febribus quartanis popularibus egregie contuliſſe refertur a *Reineſio* epiſt. 58. conf. *F. Syluius* prax. L. 1. c. 2. §. 43. ſeqq. de ſcammonei benignitate. add. de eius vi febres fugante pæne indubia experimentum *Dn. Cloſii* ap. *Blegny* zodiac. med. Gall. menſ. Octobr. obſeru. 2. ann. I.

(d) egregia in multis febribus chronicis medela; hac occaſione vero, ob metum etiam ſomnolentiæ inde ipſis ſanis oboriri ſolitæ, haud ſecura.

tia (e), quæ in morbo ſecuro, facili, & ad fugam proeliui conferre viſa, inde vbique buccinatorum voce celebrantur, ſed febrem difficiliorem incaſſum aggreſſa male irritant, non fugant.

obſerv. partic. 8. Dum hæc ſcripſi, ad hominem vocatus ſum pauperem peregrinum, qui in officina coriarii laborando victitabat. Per tres hebdomadas nil niſi languorem & nauſeam conqueſtus, variis taciturnus remediis, & *proprii lotii potu* vſus, caro tandem correptus eſt. Paroxysmo dudum finito vocatus, ægrum ſine febre, ſed valde ſtupefactum, & quaſi balbutientem reperi. Rediit, antequam medicamenta dari potuiſſent, acceſſio, quæ, poſt octo horarum durationem, per quatuordecim horas intermiſerat. Tum vero cum febre continua, licet poſt horas XII. leuiter remittente, XXX. horarum ſpatio durans, perpetuo miſerum ſopore merſit.

Neque tamen negare auſim, ſine eiusmodi erroribus, ſimilem in corpore materiem, ſimilesque motus ad translationem

ſignum 8. materiæ anomalos, violentæ febris impetu induci poſſe: vnde eſt, quod *proportionem violentiæ inſultuum expectandorum, cum viribus corporis & valetudine reliqua*, probe conferre debet medicus. Enasci poteſt hoc præcipue malum vbi corpus *ſenile* eſt, vbi quod ex *cholerico melancholicum* eſſe, vel *ſcorbuto calido* laborare dixeris, *bilioſum ſimul, & ſuccis craſſis, acribus, & ad putredinem vaporiferam pronis* plenum; *neruis & viſceribus, cerebro* in primis ac *hepate, debilioribus* inſtructum: *menſium*

(e) v. de oleis deſtillatis & natiuis, febrem intermittentem ſubito exitioſam reddentibus, obſeruatio *Hoyeri* in miscell. nat. cur. Dec. III. a. 3. obſeru. 46. Singulare plane eſt, quod ibidem dec. III. a. 9. & 10. narratur "de "vi lactis ſeptuaginta ſeptem "vicibus ebulliendo in pultem "cocti & die ἀπυρεξίας exhibit, "vnde ægri in profundiſſimum "tridui fere ſoporem concide-"rint, deinceps ſponte euigi-"lantes, & a febre ſani. Inſe-"curum ſi ita euentus reſpon-"det, remedium.

ſium & *hæmorrhoidum*, aut *aliorum excrementorum capiti minantium*, turbis *anomalis* obnoxium; *ſcabie* & *vlceribus male ſanatis* corruptum; & *grauibus diætæ vitiis*, *craſſos* ſimul & *vaporibus elaſticis* mixtos ſuccos ingenerantibus, bilis anomalias fouentibus, & robori viscerum inſidiantibus, afflictum.

§. VIII.

Ingenium tertianarum epidemiarum biliosum, ferox, capiti infensum, & sæpe mali moris.

Tertianæ epidemiæ non vernales huius conſtitutionis cum inſigni bilis ferocia, toti corpori & capiti maxime infenſa, infeſtare conſueuerunt, & demonſtratum profecto tum ipſæ dederunt cauſſæ procatarcticæ, tum ſectiones quorumdam defunctorum, (a) quas haud frequenter facere licet, tum etiam ſymptomata pleraque, bilis præcipue officinam, craſin, & directionem valde vitiatam. Comitata ſunt eas, vel imperfecte curatas exceperunt, mala hinc præcipue oriunda plura: vomitiones enormes, anxietates intolerabiles, diarrhoeæ, dyſenteriæ, cardialgiæ, colicæ, (b) icteri, cachexiæ,

(a) Similia iis obſeruauimus, quæ habet *Lanciſ.* de nox. palud. effluu. L. II. epid. 1. c. 6. vbi eorum etiam ſectiones recenſet, qui *ex febribus apoplectico modo* deceſſerunt. add. *Boneti* ſepulcretum L. IIII. ſect. 1. vbi multa exempla, & ſectiones corporum, ex febribus intermittentibus defunctorum, collegit, etiam obſeru. 44. *ex febre comatoſa.*

(b) Inter febres graſſantes, & ante, & poſt easdem, & cum ipſis, ſæpenumero cardialgiam ſimul & colicam, anxietate, doloribus, vomitibus, & alui adſtrictione, horrendum in modum grauem, obſeruauimus. Aemula illius fuit, quam *Aegineta* & *Auicenna*, ætate quisque ſua, epidemiam annotarunt, quamque diuerſi auctores ſub colicæ Pictonum, vinoſæ, lithargyriatæ, ſaturninæ, metallicæ, & alii, minus diſtincte, ſub ſcorbuticæ, hæmorrhoidalis, bilioſæ, conuulſiuæ, arthriticæ, nominibus deſcripſerunt. Endemia habetur Pictauienſibus in Gallia, Caribenſibus, itemque variarum Germaniæ prouinciarum vini feracium incolis, quo noſtrates referre non poſſumus. Metallurgis, pictoribus, figulis, & vel maxi-

hydropes, hepatitides, quæ veræ etiam haud adeo raræ fuerunt; ſeu phlegmonæ ſeu eryſipelati (c) accenſeas; pleuritides dextri præcipue lateris veræ & ſpuriæ, phthiſes, eryſipelata præſertim in capite, rheumatismi arthritici, ſyncopæ, deliria quaſi phrenitica, conuulſiones (d), ſurditates

maxime iis familiaris eſt, qui vinis vtuntur, aut aliquando vſi ſunt, lithargirii, vel bismuthi infectione, ſine natiua bonitate, limpidioribus dulcioribusque: & tunc præſertim, quando febres bilioſæ regnant, & viscera abdominis ſanguine ſcorbutico, & ad hæmorrhoides prono, turgent. Obſeruauimus, inquam, hanc colicam frequentiſſime, quæ, vt cetera ſymptomata hic taceamus, cerebro & neruis maxime fuit infeſta, & conuulſiones, deliria, cœcitates, ſurditates, tremores, arthritides, pareſes, ſyncopen, immo ipſum nonnunquam carum & apoplexiam induxit. Poſtquam ab exiguo preſſionis cardialgicæ ſenſu ſenſim incrementa cepit, difficulter tolerabilis fuit, neque tamen ante quartum, a vomitionis inſultu, diem medicamento facile ſoluenda. Tunc vero plerumque declinare cœpit, licet interdum diutius, immo ad nonum vsque diem, excruciauit, plerumque poſtmodum ex ſua indole eodem modo aliquoties, immo ſæpe ſæpius, recidiua. Hiſtoriam, euentum, ſigna, cauſſas, curamque, & diætam, caute & ſollicite inſtituendam, enarrare, & experimentis demonſtrare, pars erit operis, quod molimur, de febribus, ceterisque ex earum proſapia morbis.

* obſ. partic. 9.

(c) Conf. ill. F. *Hoffmanni* diſſ. de hepatitide vera rariſſima, ſpuria frequentiſſima. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 332. ſeqq. de phlegmone hepatis, p. 377. ſqq. de hepatitide, & 422. de eryſipelate hepatis.

*(d) Corpora duo puerilis ætatis, poſt febres conuulſionibus pertinacibus examinata, exhibuerunt per anatomen in ſubſtantia cerebri tubercula dura, globulorum, quibus milites armantur plumbeorum fere forma, veluti, quæ in phthiſicorum pulmonibus reperiri, & in vlcera abire ſolent. Hæc vero ſine vlceratione, aut coloris a cerebro diuerſitate, apparebant: qua de re alibi vberius.

tes (e) & abſceſſus aurium, dextræ inprimis, qui frequenter obtigerunt.

Hoc ipſum, de quo heic mentio fit, ſoporis ſymptoma, ad cetera comparatum, quæ immenſam hominum multitudinem inuaſerunt, aliquanto rarius, haud male *Eugalenus* (f) monſtri aliquid alere innuit, "quandoquidem, vti ait, bilis, cuius co- "mes tertiana eſſe ſolet, magis de ſua natura ἀγρυπνιαν excitare "nata eſt, quam carum & ſoporem. Indigitat idem ratio- "nem (g), & medendi regulam: plures, inquiens, Embdæ, "vbi vehemens hic morbus propter aerem humidum & craſ- "ſum, aquasque ſalſas & putridas eſt, ab hoc caro extinctos "ſcio. Concurrit autem nonnunquam cum febre intermitten- "te hoc malum, quod iisdem quoque, quibus febris ipſa, ſignis, "a melancholici humoris putrefactione, ſiue ſcorbuto, eſſe "dignoſcitur, cuius hic ſomnus ſymptoma eſt. Curatur etiam "iisdem, quibus febris, medicamentis, iuxta illud, quod ſubla- "ta cauſſa tolli quoque effectus dicitur. Enimuero, quod inter nos *natiua aeris & aquarum ratio* haud ita forte effectum dare queat, id *ſtagnatione*, *putrefactione*, *variaque mutatione* per *tempeſtates* & *ventos*, & ipſam maxime *ſingularium corporum naturam*, induci potuiſſe, triſtis experientia docuit.

Sopor in febribus bilioſis monſtrum alit.

SECTIO SECVNDA

INDICAT CVRATIONEM REMEDIO CERTO ET OPPORTVNO TEMPESTIVAM.

§. I.

Ergo quoties, ſub hoc ſtatu epidemio, in priorum paro- xy- *Indicatio vrgens.*

(e) Ibi egregie ſe geſſit continuata potio matutina & pomeridiana ſeri limpidi ex lactis libris duabus aut pluribus, per cremoris tartari drachmas forte duas aut ſimile ſal acidum coagulatis. Extus profuit vel ſolum oleum amygdalarum amararum, mane & veſperi ad paucas guttas inſtillatum.

(f) p. 367.

(g) p. 202.

xysmorum aliquo, ægrum maxime ſeniorem vel debilem, "ſopitum præter naturam, aut cardialgia afflictum, ſed quæ "cum febris acceſſione declinauit, aut deinde ſtupore aliquo "occupatum obſeruauimus, vel vrinæ notauimus vitium, "quale ſupra deſcriptum eſt, vel ſanguinem vena eductum "variegatum, putridum, ſero copioſiſſimo, aut in liquamen "ſpiſſius, aut cruſtam pleuriticam, nondum tamen præſente "inflammatione, coagulato abundantem, cognouimus, vel "ægroti corporis, præſertim inepto pharmaco turbati, con- "ſtitutionem ita, vti antea monitum eſt, comparatam, & he- "pate maxime ac cerebro ægre affectam, iudicare licuit, vt, pro febris vehementia, vel hic ipſe, vel alius certe periculoſus affectus, iure ſuſpicandus eſſe videretur; toties nos de febre velociter fuganda (a) conſilium iniuimus, quo ſubito inſtans periculum auerteretur, velut vrgente hanc rem indicatione prophylactica vitali. (b)

§. II.

Cortex Peruuianus per ſe tutiſſimus & certiſſime febrifugus.

Neque vero vllum ex remediis, quæ febrifuga audiunt, in tam ancipiti rerum ſtatu, certum ſatis fidumque comperimus, præter vnum illum corticem Peruuianum, ſiue Cinchi-

(a) confer. verba *Eugaleni* §. proxime ſuperiori notata. *Foreſt.* L. 10. obſ. 39. n. ſi carus febrem "cauſſam habeat, febris remediis curatur. *Campanella* me- "dicinal. L. VI. c. 4. art. 9. Quo- "niam carus non eſt morbus "a ſe incipiens, ſed ſequitur "poſt epilepſiam, & poſt febres "diras, & alias cauſſas, talia ex- "hibebis remedia, qualia iu- "bent cauſſæ.

(b) *Hippocr.* Signa febris ingenio "non reſpondentia, abſceſſum "niſi præmonſtrent, malignita- "tem denotant. Coac. 145. v. quæ §o. præcedenti de monſtroſa indole cari in tertianis monuimus. add. *Reſtaurand.* Hippocrat. de vſu chinæ chinæ c. 5. vbi ad hunc locum Hippocratis notat, *ſopores* intelligi, aliasque, vt ait, frigiditatis ſoboles, quæ, ni cito ſoluantur, malignitatem indicent.

chinam, (a) tantopere multis inuiſam. Eius vero virtus omnium manifeſtiſſima in reſtituenda ſubito oeconomia corporis, horrendis ſymptomatibus per paroxyſmos turbata, excitare potius ad rectum vſum detegendum, vel confirmandum, & contra abuſus muniendum, cordatos medicos deberet, quam vt theoria vel hypotheſi nimis generaliter definiente, & imperfectis de modo agendi ideis, ad vituperandum hoc diuinæ prouidentiæ munus, & caſtrandam generoſo præſidio materiam medicam febribus medentem, ſeduci

*(a) Dubium eſt, vnde barbarum corticis chinæ chinæ, quinæ, quinquinæ, kinkinæ, nomen ortum ducat. Arborem *gannanaperide*, aut querango, ab incolis vocari conſtat, non, vti *Hermannus* vult, kinkina. *Quina* Americanis febrem deſignare *Blegnyus*, neſcio vnde edoctus, coniicit, vnde alii quina quina febrim febris ſignificare autumant. Similitudinem plantæ Malabaricæ, quæ ab indis kina vocetur, allegat *Raius*. Ex regni *Quitenſis*, quod corticis patria eſt, nomine corruptum vocabulum, aliqui putant. Nobis maxime probabilis fit, quæ in indice pyretologiæ *Mortoni*, & in *Boecleri* notis ad Hermanni cynos. mater. med. reperitur deriuatio, ab vxore comitis *del Cinchon*, proregis Mexicani, quæ prima inter Europæos hoc medicamine curata eſt, idque in noſtrum orbem propaiauit, vnde etiam alias puluis comitiſſæ, &, minus barbare, *cortex Cinchina* vocatur. Nomen medicinæ, Europæis tunc ignotæ, cum familiæ illius nomine facile confundi, & radicis chinæ, notæ iam tunc, ſed longiſſime patria & natura diuerſæ, titulo inſigniri potuit, quæ Gallis *esquine*, ſiue *sqine*, mutatis ſimiliter conſonis, ſonat. Ob duorum horum medicamentorum diuerſitatem, quæ ab indoctis hominibus confunduntur, medici congruo magis *corticis Peruuiani*, quam chinæ vel chinæ chinæ barbaro nomine, ipſum hoc remedium, de quo loquimur, discriminare ſolent, relicta Chinenſi radici denominatione *chinæ*, cui ob patriam melius quadrat, & ſemper data eſt, & ad diſtinctionem merito relinquitur.

*chinchinæ etymon.

ci nos patiamur (b). Innumerabilibus (c) ſummorum medicorum per integrum fere ſæculum & vniuerſam Europam repetitis, & meis etiam multiplicibus experimentis, quæ primum ante rationis inuentionem inuenienda eſſe, apud *Celſum* dicitur, tam perſuaſum habeo, quam quod in toto artis medicæ ambitu maxime: remedii huius particulas humano corpori ſano, æque ac innocentiſſimum quoduis medicamentum moderate amarum & aromaticum ſubadſtringens, innocuas eſſe, nequaquam autem per ſe nociuas, aut venenatas: quæ vulgi fabula eſt, ex male intellectis doctorum quorundam placitis, & obſtetricante aliquorum medicorum errore, vel etiam conſilio medicaſtrorum, Apolline inuito, nata & enutrita. Ad febres intermittentes, & quæ ex earum genere ſunt, vere adæquata, tuta, & certa efficacitate pollet, cui nihil adhuc ſuppar natura, vel ars æmula, exhibuit. Taceo æque fere certam & tutiſſimam ſaltim virtutem in morbis aliis ſine febre, ex viſcerum & neruorum debilitate, vermibus diuerſi generis, motibus circa ſecretiones & excretiones nonnullas anomalis, variorum corporis humorum, chyli præſertim, & bilis, & ſucci pancreatici, lentore, acore, & inertia, vel præcauendo orgasmo paroxyſtico. Enimuero in corpore ſano, cuiuscunque ſit ætatis & temperiei, quantumuis ſat magnis, & diu repetitis doſibus adſumtus, vix vnquam motus naturales aut minuit, aut vltra naturam auget. Neque naturalia, aut neceſſaria ſanguinis profluuia ſiſti inde, aut vltra modum propelli ſolere obſeruamus, quamquam enormia mo-

Sanguinis profluuia.

de-

(b) *Hippocrates* de arte: "Sunt, inquit, qui artem putant, reliquas artes turpiter inceſſendo dehoneſtare: atqui id quidem, quod putant, non conſequuntur. Mihi vero inuenire aliquid eorum, quæ inuenta nondum ſunt, aut ſemiperfecta ad finem perducere, ſcientiæ votum ac opus eſſe videtur.

(c) conf. infra ſect. V. §. 2.

derari, (d) & moderata promoueri ſoleant. Vim blande emmenagogam, & ſimul tonicam, ipſis quibus menſes fluunt, & puerperis, vrgente neceſſitate, ſed & grauidis, rite obſeruata εὐφορία, habituque & textura corporis, innoxiam nobiscum obſeruarunt alii, *Blegny*, (e) *Mauriceau*, (f) *Mortonus*, (g) *Apinus*, (h) *Friendius*, (i) &, qui inſtar plurium ſit, illuſtris *Boerhaauius*. (k) vt adeo merito ſuſpicemur, menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſionem, quam aliqui remedio tribuere amant, febri potiſſimum imperfecte curatæ deberi, qua ſola id malum ſæpiſſime inductum, cortice autem ſolo medicatum, nouimus. Pro neruorum ſenſu delicatiori, & potentiori ſanguinis niſu, corporisque & materiæ forſan morbidæ habitu, aliquando retardari vel imminui, aliquando pelli vel augescere fluxum aliquem notamus, quod per ſe quidem tunc innoxium, & interdum vtile aut neceſſarium eſt, & facile medici, vſum & præparationem (l) moderantis, manu a qua-

E cun-

(d) illuſtr. *Mead.* de imperio ſolis & lunæ in corpus humanum c. 3. p. m. 384. add. de hæmorrhagiis dicta infra §. 5.

(e) *remede Anglois* p. 73.

(f) *Obſeruations ſur la groſſeſſe & l'acouchement.* obſ. 272. 697. & aliis.

(g) Exerc. 1. c. 7. p. 51.

(h) Hiſtor. febr. epid. p. 93. ſq. & ab eo adductum *Ledelii* teſtimonium in ephem. nat. cur. Dec. III. a. 2. p. 60.

(i) Emmenolog. c. 11.

(k) de medicam. facult. P. 3. c. 18. add. cl. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 636. ſeqq. item obſeruatio de febre puerperæ periculoſiſſima copioſo corticis vſu primis diebus audacter curata apud *Schelhammer.* de natura p. 248.

(l) Infuſio præſertim vinoſa, immo & aquea, & moderatius paratum decoctum, & extractum, vbi particulæ remedii magis terreſtres ſeiunctæ ſunt, blandiſſime ſine vllo adſtrictionis metu impellere ſolent menſium fluxum, ſicubi remoram qualemcunque eidem per remedii ſubſtantiam, circa id tempus exhibitam, iniici poſſe vereamur, quod tamen penes pauciores conſtitutiones metuendum

cunque noxa impediri poteſt, & rite perſanato morbo ipſo nihil poſt ſe incommodi relinquere ſolet.

Alvus. Ipſam alui adſtrictionem, quam timent aliqui, quia remedium adſtringens dici audiunt, vix ac ne vix quidem ſubtili ſua virtute tonica æque inducere aptus eſt cortex, ac vinum rubellum, moderate in potum ordinarium tot populis cedens, vel potio infuſi theæ & ſimilium, vel aromatum & condimentorum vſus ſolitus, vel cibus toſtus quicunque. Pro ægrotorum corporum, & materiæ morbidæ, eiusque motuum & directionis diuerſitate, modo ſoluit aluum veluti a pharmaco purgante adſumto, (m) modo ſtringit aliquanto tempore, & tum, pro εὐφορίᾳ, vel moderari euacuationem, vel reſerare ſtricturam aliis remediis apte additis poteſt medicus, vel tempori & continuato vſui rem permittere. Plerumque enim, ſuperato ita morbo ipſo, ceſſat etiam illud ſymptoma, quemadmodum cetera omnia. Immo ſæpe ſæpius obſeruauimus, hominibus ad alui obſtructionem pronis corticis per morbos vſum feliciter ita contuliſſe, vt, peracta rite curatione, ab illa etiam moleſtia ſeſe liberatos ſenſerint.

legitimi vſus in morbis effectus poſteriores. Aduerſus febres, aliasque ægrotationes, recte adſumtus, poſt multorum etiam annorum reuolutionem nullam relinquit noxam

dum eſt. Hæc vero ſubſtantia ipſa ſæpiſſime, præſertim in laxiori fibrarum habitu, & ſanguine vappescente, vti in chloroſi, & languore febriculoſo obſeruatur, apprime promouet naturale profluuium, tono potentius reſtituto. Si quando præter morem fluxus nimius ſuboriri videatur, quem tamen remedium ipſum moderari continuato vſu conſueuit, tunc a ſanguinis miſſione, nitro, cascarilla, millefolio, ſimilibus, ipſisque, vbi ex re videtur, anodynis, ſubſidium mutuari licet, id quod etiam de alui fluctibus medelam interturbantibus monitum eſto.

(m) v. de corticis aliquanto adhuc recentioris vi natiua cathartica *Raius* hiſtor. plantar. L. 32. c. 9. p. m. 1797.

noxam. Immo potius, teſte *Mortono* (n) quem πραακτικωτατος *Brunnerus* (o) *practicorum coryphæum* (p) vocat, & teſte quotidiana experientia, "inde ſæpe appetitus magis firmatus, "concoctio alimentorum in ventriculo reſtituta, generi ner- "uoſo robur adiectum, & habitus corporis a ſtatu tabido in "athleticum mutatus obſeruatur. Quot ego ipſe, inquit, "poſt quatuor luſtra annorum & quod excurrit, ab vſu cor- "ticis vegetos, & firma valetudine vtentes, vidi, & magis "athleticos, quam prius! Experientia reclamante, & rei ipſi- "us natura, neſcio quam omnipotentem conſtringendi & ob- "ſtruendi facultatem pharmaco huic ineſſe, commenti ſunt.

§. III.

Agnouit dudum veram hanc recte vſurpati corticis ſe- curitatem, & certiorem ceteris remediis omnibus virtutem febrifugam, vir multiiugæ experientiæ Fr. *Hoffmannus*, qui, in propemptico ad diſſertationem de chinæ chinæ modo "operandi, vſu, & abuſu, meam, inquit, ſi interponere licet "experientiam, ingenue & aperte fateor, me inſigniſſimam "non ſolum in febribus debellandis, ſed & in aliis morbis

Certa corticis efficacia cum aliis comparata

(n) Exerc. 1. c. 7. pyretol. p. m. 54.

(o) De pancreate ſecundar. p. 101.

(p) Patet ex eius auctoris candidiſſimi ſcriptis & regulis practicis, vti ex ipſa felici praxi, iniquum pariter ac frigidum iocum eſſe, quo, in diſſertatione Halenſi de corticis chinæ vſu febrifugo cauto & ſuſpecto, *Mortoni* nomen mali ominis eſſe dicitur, ob immerito imputatam prudentiſſimo medico doctrinam indiſtincti vſus corticis in omnibus febribus continuis; quum etiam, ſicubi errauiſſe æquo iudici deprehendatur, id non ſtatim in nominis dedecus traduci debeat. Legat ipſa viri ſcripta, legat integra, iudicet, & ſeligat, quisquis analogia practica vti nouit. Lectores non attenti, aut iudicio practico non vtentes, abſtineant velim ab vſu omnium obſeruationum practicarum, ne ſuos deinde lapſus & errores ſcriptoribus bene meritis, ſed male vſurpatis, imputandi occaſionem præbeant.

"expedite curandis, deprehendiſſe efficaciam, vt jure illud "omnibus huc vsque notis medicamentis anteferre non "erubescam. Plures ſane orco proximi hoc diuino auxilio "ſeruati ſunt, &, quos vel febres, vel ex illis alii propullulantes "grauiſſimi morbi, iam dudum neci dediſſent, illi, auſpica- "tiſſimo euentu, ſanitati perfecte reſtituti ſunt. Immo mi- "hi nullum ſimplex cognitum eſt, quod tanta virtute pol- "leat, vel ſimile efficere poſſit. Sunt, qui ſurrogare ſtudent "alia, ſed efficacia longe infeliciori, ſunt quædam ſimplicia, "quibus deus & natura ſingulare quid, & aliis non conceſ- "ſum, tribuit. (a) Atque certa hæc, & ſuo modo vere ſpeci- fica, huius medicamenti efficacitas, non in hyperbolicis præconum laudationibus fundata, ſed ante oculos collocata, & manibus palpabilis eſt. Neque adeo locus eſt incongruenti paucorum cauillationi, qua hoc remedium hodie qui-

Laus corticis num temporaria?

(a) Add. Fr. *Redi* experim. natur. p. 143. ſqq. Celeb. M. B. *Valentini* in miscell. nat. curioſ. Dec. III. a. 2. obſeruat. 123. polychr. exotic. diſſert. III. *Spon obſeruat. ſur les febrifuges* ap. *Raium* in hiſt. plant. de gannanaperide. *Ramazzin.* p. 218. opp. *Boecler.* ad *Hermanni* cynos. mat. med. P. I. p. 204. ſeq. B. *Albinus*, diſſ. de febre quartana, poſtquam remedia ad febres celebriora propoſuit, ſalia, terrea, antimoniata, chamæmelum, chelidonium maius, plantaginem, coriandrum, pentaphyllum, aſarum, bardanam, chamædryn, carduum benedictum, verbenam, alumen, ſudorifera potentiſſima, ſtercus caninum, porcinum, anſerinum, bufonem, eiusque cor toſtum, opiata, immo *Bovvlii* experimento, quod apud *Raium* hiſtor. plant. L. 9. c. 8. deſcriptum eſt, ipſam cicutæ radicem. Poſtquam deinde diaphoreticis, ſanguinisque craſin reſtituentibus, juſtas præbuit "laudes, th. 22. optima ſunt, "inquit, quæ recenſui, ſed "poſtquam china chinæ inno- "tuit, multum eorum pretio "& æſtimio deceſſit: licet e- "nim optima ſint, chinæ chi- "næ tamen æquiparari non "poſſunt. Alia puto aliis an- "tecellere, prout ad corticis "texturam propius accedunt.

quidem florere dicunt, vti plura alia olim floruerint, iam oblitterata; posteriori vero ætate obliuioni rursum & contemtui datum iri, Florent adhuc florebuntque perpetuo medelæ vetustæ & recentes, quarum efficacia manifesta est, & laus non opinioni, sed experientiæ debetur. Quicquid vero primis forsan temporibus obiiciat metus aut hypothesis, id in vmbras inanes euanescit, vbi, progrediente experimentorum lumine, vsus ab abusu clarius distinguitur. Neque vero laudamus illum vulgarium medendi artificum neglectum, qui, veluti femellarum in vestitu nouando ingenium est, remedia, vnius pluriumue sæculorum experimentis comprobata, obsolescere plane, & vsu excidere patiuntur. Prudentiorum virorum indoles non ita variabilis, aut incuria est. Seruant omnia, veluti in thesauro accumulata, &, vbi quid negligenter habitum obseruant, studiose ex vetustis loculis repetunt, &, iustum toti materiæ medicæ pretium statuere allaborantes, tum ab encomiorum hyperbole, tum a nimii contemtus exinatione, quodlibet artis auxilium vindicare student. Manebit ergo eo magis sua recte vsurpato cortici existimatio, vti ceteris, quamuis paucis, ad certa morborum genera vere specificis medicamentis, quæ antiqua recensue industria, aut felicitas, reperit, præsertim, vbi nihil adhuc per tot sæcula inuentum est, quod, suffragante experientia, comparari mereatur, & paria pro scopis propositis æque certo præstet, quamuis sua aliarum medelarum minus certarum cuique laus merito maneat. Sunt, qui interrogant, si talia apud auctores legunt, vel dici audiunt: quid ergo veteres egerint ante repertum corticem, sine quo tot febricitantes & olim conualescere debuerint, & nunc conualescant? Respondeo, quod res est: priscis medicis præstantioribus nequaquam ea insidebat fabula, quasi febres tardissime fugari, & plerumque naturæ permitti debeant, & ipsis remediis tutiores sint. *Hippocrates*, si

Curatio febrium apud veteres.

"(b) ſi febris, inquit, tertianæ quarta occaſio prehendat, "medicamentum deorſum purgans dato. Quo, ſi opus non "eſſe videatur, penthaphylli radicem exhibe. Si ne ſic qui- "dem ſedetur, trifolium & laſeris ſuccum propinato, vt ſu- "det æger. Deinde quartanarum curationem tentandam "docet purgationibus repetitis, ſemine hyoscyami, & man- "dragora, aliisque remediis, quibus febris fugari videba- "tur, & vomitu ex allio primum, deinde ex elleboro albo "ipſo: qua violentia incerta hodie opus non eſt. Plurimas vero antiqui curarunt febres ſecuras, aut minus rebelles, quas etiamnum ſæpiſſime remediis facilioribus antiquitus notis feliciter expugnamus, niſi ſatius eſſe videatur, dolores & anxietates certius leuare, quum tuto leuari poſſint. Eam methodum, quæ in huiusmodi morbis profuit, aut prodeſſe viſa eſt, generatim omnibus febribus ſufficere debere putarunt indoctiores & inexperti. Quando vero ægritudo cognitis & vſitatis medicamentis ſuperior reperta eſt, id quod multoties accidit, tunc aliqui, ſpecioſa excuſatione,

te, febris, fecere deam, cæloque locarunt (c)

Iouem lapidem iurantes, quantumuis febris moleſtiſſima ſit, bonam tamen, ſalutarem, & ſacroſanctam eſſe, & artem

(b) L. 2. de morbis. add. *Galenus* 2. de differ. febrium. c. ult. 1. ad Glauc. c. 9. ſqq. *Aetius* tum vbi de febribus agit, tum etiam titulo de lethargo, loco ſupra ad ſect. I. §. 2. not. (c) cit. vbi ſoporem periculoſum febribus, vt ait, quotidianis, ſemitertianis, quartanis, accidere ſolitum, & maturandam curationem, deſcribit. Conſentit, quicquid fere medicorum, ad corticis vsque inuentionem, de febribus ſcripſit.

(c) in theſauro inſcriptionum *Gruteri* vocatur *febris magna ſanctaque* diua. *Aelianus* L. XII. c. 11. *Valerius Maximus* & alii, templa deæ febri ſtructa memorant, quam ideo colebant, ne noceret, quibus noxa comperta erat.

tem fore ſacrilegam, quæ illos motus reprimere anniteretur: cauſſam vero, neſcio quam, cur bonus genius ita excandeſcat, non niſi longis luſtrationibus, multisque ægrorum ſuſpiriis, & patientia, poſſe expiari. Rediit ſæpius per naturæ temporisque benignitatem, per morbi ipſius incertam innocentiam, & per tolerantiam ægroto ſatis difficilem, ſanitas: quamuis ex aduerſo varii ſæpe caſus, multiplex diſcrimen, immo feralis exitus interceſſerit. Quare alii viri ſagaces & ſinceri, artis ſuæ hac in re penuriam agnoſcentes, & ingemiſcentes, totam rerum naturam pro virili perueſtigare ſategerunt, vt remedium certum edomandæ morbi pertinaciæ, & præcauendis periculis & reuerſionibus, reperirent. Hinc alia ex aliis experimenta per tot ſæculorum ſucceſſionem factitata ſunt, ambiguo cum ſucceſſu, vti in tentaminibus faciundis fieri aſſolet.

Per varios caſus artem experientia fecit (d)

Ex ipſo vulgo multi, impatientes expectationis conſolationisque medicæ, partim curioſe arripuerunt eas res, quæ, vbi aliqua febris tandem, quacunque ex cauſſa, forte ceſ-

(d) *Manilius*. Videſis, quæ paullo ſupra ex *Albino* adduximus, de ſtercorum, & bufonum, & venenatæ radicis cicutæ vſu ad febres, quæque *Hippocrates* de hyoscyamo & mandragora, & elleboro albo præcipit, & paſſim habent alii, præſertim *Paulini* pharmacopœa ſtercoraria, Dreck-Apotheke, & *Fricius* de virtute venenorum medica, vt medelas ſuperſtitione deteſtabiles præteream. Hinc patet, ad quem vsque gradum, in tentaminibus audendis, horrendi febrium cruciatus, & pertinacia, & earum periculi formido, procedere fecerint hos, qui, certa medicina deſtituti, quaſi palpando in tenebris, remedium anxie anquirere opus habebant. Facile ergo, & tuto, & certo ſemper peragi poſſe febrium curam, cognitis per antiquiorem experientiam medicamentis, neque certiori aliquo opus eſſe, credat Iudæus Apella, non ego.

ceſſauit, datæ vel factæ poſtremo fuerant, quippe quæ ſolæ & vere iuuiſſe reputantur; partim ingenia ſua & amicorum, cuiusque ſexus & ſortis, mire exercuerunt, vt artem ſæpe trepidantem labantemque nouo aliquo iterum atque iterum ſuffulcirent conſilio. Quodſi horum aliquod, qualibet de cauſſa, felici euentu beari viſum fuit, id laudibus in cælum, ſupra omnes deas febres, ſubito extulit genuinæ logicæ ignorantia. Hinc ingens remediorum de febribus triumphantium catalogus in materiæ medicæ doctrinam irrepſit, e quibus quota pars, & quo vsque, laudes adſcriptas certo & conſtanter tueatur, iudicium ſit penes repetitam experientiam (e). Quod veteribus, vel inuitis, contigit, id hodie aliqui volentes imitari amant, qui medicamentum vnice certum ſollicite ſubterfugere allaborant: neſcio an militibus parum abſimiles, qui hodie non niſi baliſtis, catapultis, arietibus, hoſtium munimenta impugnare, & Alexandri, Cæſarisue, artibus bellicis militarem ſcientiam abſoluere, conarentur: vel nautis, qui, abiecta acu magnetica, ceterisque recentioribus inuentis phyſicis, aſtronomicis, mechanicis, & hodiernis nauigationis commodis, ad veterum apparatum naualem redire, eorumque arti nauticæ minus perfectæ, in infido oceano, merces vitasque hominum committere auderent, forte ideo, quia etiamnum, partim tempeſtatum & ſcopulorum ineuitabilium iniuriis, partim hominum imperitia, aut negligentia, naufragia eueniunt.

§. III.

(e) *Pechlin.* L. II. obſ. 20. Febris, "vbi altius inſedit, ſpecificis, "quæ vocant, certandum, &, "ſiue attenuantibus, ſiue figen- "tibus medelis, fermenti febri- "culoſi malignitas ſuperanda. "In illa autem tam copioſa ſpeci- "ficorum commendatione, mi- "rum eſt, tam pauca eſſe, quæ "famam ſuſtineant, &, niſi no- "ua quædam, atque alia ex aliis, "medendi materiam inſtrue- "rent, pene deſertas fore me- "dicorum ſcholas.

§. III.

Nos, qui nullum eorum munerum, quibus etiam atque etiam artem ditauit deus, aspernandum esse existimamus, tum ipsum illum, quem ignari aliqui reformidant, corticem, tum pleraque, quæ huic tuto (a) surrogantur, sine præli- *Experientia circa alia febrifuga.*

*(a) Abhorremus insecura, & præcipue verum illud venenum *arsenicum:* quod haud immerito reprobant viri celeberrimi, *Stahlius* in obseruat. toto mense V. *Iunkerus* conspect. medic. tab. 79. p. 654. item tab. 43. p. 1076. conspectus chemiæ, cui egregio operi perficiendo vires & otium doctissimo viro apprecamur; & *Gohlius* act. medic. Berol. Dec I. vol. III. p. 90. seqq. nescio autem, an hic, post aliquot visa exempla, *certissimum* febrifugum iure dicat. Multis tum per Belgium, tum per Germaniam, chirurgis temerariis cognitum & vsurpatum est periculosum hoc pharmacum quod tamen sæpe

- - *coruos delusit hiantes,*

forte, quia nescierunt artifices, quo vsque dosis veneni intendi & repeti possit, ne corpori pestis euadat. Frustra id datum aliquando his auribus ab ipso, qui ministrauerat, percepi, his oculis vidi, & horrui. Infelix illa quorumdam a cortice Cinchina auersatio, & nociui clamores contra tutissimum illud ἱερον πικρον, eiusque nauseosa præbia, seduxerunt audaculos quosdam homines, vt in ipso veneno quærerent, quod & suauius sit, & facile queat occultari, & similitudinis cum illo cortice accusari non possit, alexipharmacum venenatæ quasi multarum febrium pertinaciæ, vt, quod apud *Ausonium* est,

si fata velint, bina
venena iuuent.

**arsenici vsus temerarius.*

Meminerunt ex aliena experientia virium arsenici febrifugarum *Lemery Cours de Chim.* P. I. c. 10. *Wepferus* in de cicuta aquat. c. 21. histor. 13. schol. 3. &. alii in *ephem. natur. cur. Dec.* 2. A. 3. p. 131. A. 5. p. 474. Item nuper I. I. M. M. P. P. (Io. Ignatius *Meyerus*, Medic. Prof. Pragensis) in eleganti libello teutonice scripto, ventriculi apologia pro ostreis, des Magens Vertheidigung der edlen Austern: vbi pag. 69. medicos dicet non vereri arsenicum adversus febrim exhibere, idque sæpe adstipulante experientia Nullum vero scriptorum nouimus, qui propria laudare experimenta

ta

minari opinionis iudicio, experti ſumus: & laudabiles quidem effectus, variaque notabilia, vberius forſan aliquando referenda, reperimns. Ne de euacuantibns iam dicamus, de quibus conſtat, vnica ſæpe ſanguinis miſſione, vomitione, catharſi, plurimas febres ſuperabiles eſſe, prædicari merentur ſalia (b) di-

---

ta ſuſtinuerit, præter *Michael. Friccium*, medicum Vlmenſem, qui tractatu *de virtute venenorum medica* ann. 1702. euulgato, vſum arſenici, præcipue febrifugum, toto capite 2. operoſe tueri, & aliquot ſe drachmas iam medendo conſumſiſſe profiteri, auſus eſt. Valeant maligna pharmaca, & plena aleæ, quum & magis exploratas, & ſecuriores medelas, quarum præbia, quoad opus ſit, augere & cotinuare poſſis, benigna largiatur natura! add. infra p. 204. ſq.

(b) In his ludit, vt ſolet, ſcriptor diſſertationis accuſatoriæ de impoſtura corticis, quando triumphum ſibi ipſe decernit, vbi ne vmbra quidem victoriæ apparet, ſi quis ſerius iudex, altera, vt aiunt, parte Petri *Rami* logicæ vti velit, quæ iudicium logicum, partem vſus *ſanæ ratio-*"*nis* præcipuam, docet. Præco-"nes, inquit accuſator, corticis "ex propria confeſſione facile "conuinci poſſunt, quod ne ip-"ſi quidem ſolidum quoddam "ſubſidium in exotico hoc an-"tifebrili quærant: cum *liberali-*"*ter concedant*, aliis etiam anti-"febrilibus, v. gr. arcano du-"plicato, ſalibus abſinthii, car-"dui benedicti, & centaurei mi-"noris, tartaro vitriolato, aliis-"que talibus, febres tertianas "percurari poſſe. Proinde *ſana* "*ratio* dictitat, illud vtique re-"medium, quod altero *ſecurius* "*ſolidius*„ id eſt, *fundamentali-*"*ter* magis ac *radicaliter* febrim "*exſtirpat*, alteri, quod eandem "tantum ſupprimit, vel paro-"xysmum vnum vel alterum "ſuspendit, anteponendum. Æquipollet huic experientiæ & ratiocinio tota diſputationis dialectica, quam tamen, per ſaltum egregium, mathemathico illo coronare placuit: Q.E.D. Sunt, quod mireris, homines, qui ſerio ſimiliter ratiocinantur. Muliercula quædam pluſculos infantes ex variolis, ſponte fere conualituros, curari vidit, remediis abhibitis, aut nullis, aut minime generoſis, dum id

diuerſa, acida, (c) alcalia, media, quo febrifugum *Kergeri* (d) partim quidem terreum referimus, & nitrum, eiusque præparationes, & alumen, & præſertim alcalia ammoniaco ſociata, vnde elegans ſal volatile emergit.

id medici *liberaliter concedunt*. immo ipſi præcipiunt. Jam ſe ſupra omnem doctorum ſcientiam ſapere rata, his fere indignatur, qui medicinam optant, huic morbo aut præcauendo, aut curando, certa efficacitate conſtanter adæquatam: quippe id ſe in eius cura inueniſſe ſibi perſuadens, non quod pueri in faba. Iam ſcire ſe credit medicamenta, quibus variolæ omnes, benignæ malignæque, periculo plenæ & vacuæ, legitimæ & anomalæ, faciles & difficiles, tolerabiles vel ſecus, curari poſſint & debeant. Hanc ſolam methodum *ſecuram* & *ſolidam* reputat, & quæ affectum *radicitus ex fundamento exſtirpet*. Caueat iam medicus, qui ab hac propter indicationes recedere audet, ne omnis in ipſum ipſiusque remedia culpa coniiciatur, ſi, ex quauis cauſſa, vel cicatrix minima poſt morbum relinquitur.

(c) V. *Syluius*, prax. med. append. tract. 9. §. 148. ſqq.

*(d) Paratur terendo corallia rubra, & tantum cryſtallorum tartari ſenſim miſcendo, vt puluis aliquantum amaricans, & ſalinus, euadat. Ignorantiam huius rei, vti plurium aliarum, doctioribus notiſſimarum, fingere, & ſimulare videtur auctor diſſertationis paulo ſupra notatæ, quum *Hoffmanni*, *Storchii* & aliorum ſcripta, & acta Vratislauienſia Germanica, in vulgus propalarint. Neſcio, cur tantopere miretur, & hyperbolicum putet, ſi qua praxi vtitur, quod doctiſſimus *Kergerus*, elegantibus hiſtoriis firmatum, obiter narrat, in de fermentatione ſect. III. c. 3. p. 247. ſeqq. ſe, *quatuordecim annorum ſpatio*, eiusmodi "medicamine præcipitante ſa-"lino, nulla alia medela præuia, "neque expectata coctione, "quouis morbi tempore dato, "*febres plusquam mille*, in quo-"uis ſexu & ætate curaſſe. Numerus is, vbi populoſa eſt praxis, & febres populares ſunt, tot annorum ſpatio, per eſt mediocris, &, vbi haud ſunt difficiles, facile par ipſis eſt hoc remedium. Sola illæ ſæpe pauca expectatione curantur, ſi eiusmodi medelam nolis. Plures forte quotannis in cathedra ipſe auctor, vel præceptor auctoris, curat medicamentis haud efficaci-

Febrifugum Kergeri.

Ammoniacum etiam ſolum, multa iam olim experientia nobilitatum, doſi ad drachmam & vltra aucta, & ante aliquot paroxyſmos repetita, doctiſſimi *Muyſii* & aliorum & noſtra experientia, ſæpe prodeſt, ea tamen etiam doſi incertum, vti cetera ſalia omnia. *Muyſius* ipſe corticis virtutem maiorem certioremque confirmat. Inter volatiliora tum camphora, tum oleum animale, quod *Dippelius* ex cornu cerui oleo foetido parare fertur, & ex omnibus animantium partibus, antiquiori iam inuentione, fieri poteſt, ſi eo vſque ſpiritus arte chemica extenuetur, vt repetita quindecies, aut ſæpius, deſtillatione, nullas amplius fæces nigricantes poſt ſe relinquat, vſum non ſpernendum habet. (e) Laude ſua haud

cacioribus. Neque ergo merebatur ob id narratum, quod legenti plane ſincerum apparet, vir meritiſſimus cauillationibus impeti, & impoſtoribus fucum facientibus accenſeri, cuiusmodi in eum flosculi liberaliter ſparguntur in dicta diſſert. §. 5. & 6.

oleum animale Dippelii.

(e) Hoc illud eſt medicamentum, de quo iactat *Dippelius* in vitæ animalis morbo & medicina, p. 78. ſqq. omnes febres intermittentes vnica eius doſi profligari. add. diſſertatio de olei animalis viribus, præcipue in epilepſia, ſub præſidio celeb. Abr. *Vateri* diſputata p. 27. Spes in febribus ſæpe fallit. In epilepſia aliisque affectibus ſpasmodicis effectus, qui liquorem cornu cerui ſuccinatum, ſimilesque ſpiritus volatiles, longe ſuperant, etiam nos prædicamus. Exhibuimus ad guttas XXX. vel XXXX. non vna ſolum aut altera doſi, quod raro, niſi forte verſus tempus paroxyſmi felicius fieri poſſit, efficax obſeruauimus; ſed quauis veſpera vel aurora, per menſem integrum, quo facto, & inſequente ſommo placido, cum ſudore blando, interdum etiam ſternutatione forti, aliquot epilepticos ſatis vetuſtos curauimus, præmiſſis & ſubiunctis, quæ methodus indicabat, repetito etiam aliquoties ante lunæ vices remedio. Nihilominus haud ſemel fruſtra ita medicati ſumus, cauſſa forſan vel niſu naturæ, aut plane non, aut nondum ſuperabili. Hyſtericis ſpasmis, poſt rite vſurpatam per menſem limaturam martis, diuinum

haud indigna ſunt, ſed regulis de vſu & abuſu perquam obnoxia, abſorbentia & terrea varia, (f) & quæ ex antimonio, marte & mercurio parantur, regulinæ, vel metallicæ ſubſtantiæ adhuc vtentia connubio: ſulfura & panaceæ antimonii, regulus medicinalis, ſeu febrifugum *Craanenii*, & puluis alexipharmacus *Rollvvagii*, inde præcipue paratus, item crocus martis antimoniatus *Stahlii*, ipſe mercurius dulcis, panacea Gallorum, & his ſimilia plura. Vtilia præſtitit chamomilla, *Mortono* & *Pitcarnio* & vetuſtioribus laudata,

num præſtitit auxilium. Miris illis motibus vigilantium haud voluntariis, quos, adolescentibus frequentes, *Sydenhamio*, aliisque placuit choreæ S. Viti nomine ſalutare, quum, præmiſſa venæ ſectione, & diuturno ſatis vſu corticis Peruuiani, certiſſimæ ad hunc morbum antidoti, debilitas adhuc & ſpasmi leuiores ſupereſſent, cito, efficaciter, & conſtanter contulit. v. de præparatione & effectibus huius remedii *Dippel.* l. c. add. diſſert. inaug. celeb. *Iunckeri*, ſiſtens obſeruationes practicas de medicina quadam efficaci in motibus naturæ exacerbatis, item annales Vratislauienſes tentam. 3. p. 561. ſqq. tent. 15. p. 661. ſqq. tentam. 21. p. 115. tentam. 32. p. 121. tent. 35. p. 134. & ſigillatim tent. 9. p. 261. ſeqq.

(f) Noui myropolam, qui ea ad vncias tres, vnica doſi, aqua diluta exhibet pro ſudore. Profuiſſe id in febribus raro comperi, materia potius male mutata & commota: vnde, quid iam certi ab his ſperandum ſit, augurari licet. Sanis, quibus ita ſudorem præcautionis cauſſa ciere placuit, innoxium fuit præbium ingens. In mentem hoc reuocat doſin *Bagliuianam* puluerис ſtomachici *Quercetani*, ſeu *Birckmanni*, quem Angli puluerem ari compoſitum vocant, ad drachmas quinque. prax. med. l. 1. c. 13. §. 6. Multa ſane laudata experimenta imitatoribus non ſuccedunt, & deinde ſpernuntur, quia doſes iuſtam ad morbi cauſſam proportionem non habent, profuturæ forte, ſi magis intenderentur: quod in priscorum auctorum imitatione maxime locum habeat, quorum experientiæ ſæpe præmature fidem derogamus, præceptis imperfecte obſeruatis.

centaurium minus, a celeberrimo *Valentino*, gentiana a *Ludouico* (g) & *Verloſchnigio*, cortex fraxini ab *Helluigio*, & *Lentilio*, qui gentianam feliciter addidit, cascarilla a *Goelikio* (h), varii cortices a variis (i), ab aliis alia, abſinthium, carduus benedictus, trifolium fibrinum, chamædrys, ſaluia, nux myriſtica, millefolium, & plura, partim æque ac ipſe cortex exotica, ex amaricantium, aromaticorum, adſtringentium, balſamicorum, anodynorum cenſu ſubſtituta. Varia his ſimilia ſuperſunt, velut nuces cupreſſi a *Lanzono*, gallæ a *Renealmo* ſurrogatæ, quæ vlteriori experientiæ reſeruamus. Fortiora ſtringentia alia, fruſtra aliis tentata, lubenter ſuperſedimus tentare: quippe vim febrifugam in adſtrictione ſola, qua tali, non conſiſtere, neque ea exhauriri, rerum natura atteſtante, conuicti (k). Ipſam quam com-

(g) qui tantillum nucis vomicæ addit, quod, nobis non exploratum, experientem fefelliſſe memorat *Boeclerus* in notis ad *Hermanni* cynoſuram.

(h) vel quisquis auctor eſt diſſertationis de impoſtura corticis, eius præſidio ſuffultæ: qui ſe magnopere decipit, ſi vere cre-"dit, quod dicit: quemlibet "ipſi facile largiturum eſſe, caſ-"carillam non parem tantum, "ſed longe tutiorem effectum "intuitu febris fugandæ præ-"ſtare, quam verus cortex. Illam chinam ſpuriam in oppido quodam pro vera venditam nouimus, & medicum non opinantem, & largiter præſcribentem, in febrium curatione deceptum eſſe. Hæc erat vera impoſtura in cortice.

(i) Conf. *Helluig.* de quinquina Europæorum cortice fraxini, §. 12., quæque ibi ex *Sponio*, *Rebequio*, *Tozzio*, *Muſitano*, & aliis adducuntur.

(k) *Sydenhamium*, qui expertus negat, fortiſſima adſtringentia loco chinæ adhibita, febres fugaſſe, refutat, & mire cautum fingit, ipſe non expertus, & experiri non auſus, auctor diſſertationis, propræſide *H. Henrici* ex halenſi cathedra defenſæ, de vſu corticis chinæ febrifugo cauto & ſuſpecto. §. 16. Opor-"tuit, inquit, optimum illum "virum talia nimis parca manu "vſurpaſſe, quum ſucceſſus ſatis

communem, nemque ſudoriferum & febrifugum magnum *Hancokii*, & medicinam *Hoffmanni* vniverſalem, caute vſurpatam, feliciter explorauimus. Experti teſtari poſſumus, hanc

"tis ſuperque tentantibus re-"ſpondeat. Eſſe febrium remedia, ex adſtringentium fortiorum & debiliorum numero, quibus ſucceſſus non nunquam reſpondeat, nemo negat: ſed ea, quæ cognita ſunt, longe cortice illo parum adſtringente minus certa & efficacia, neque digna eſſe, quæ illi penitus ſubſtituantur, id eſt, quod expertiſſimo viro eo facilius credi meretur, quo certius eſt, multa ſtringendi robore manifeſtisſimo pollere, in quibus virtus febrifuga aut obſcuriſſima, aut nulla eſt. Neque vllum in rerum natura medicamentum adeo ſimplex eſt, & vniformibus particulis conſtans, vt vnica tantum virtute, & ea quidem ſine diſtinctione in omnes corperis partes, tot momentorum nominibus diuerſas, operetur. Neque ergo ſaniorum logicam ſapit hæc conſequentia, ſi dicas: hoc remedium, quod virtute febres reprimente ad miraculum vsque certa pollet, particulas habet adſtringentes, & dantur alia febrifuga, quæ ſimilibus particulis inſtructa ſunt, & ex mea hypotheſi iis hominibus, qui mecum ſentiunt, neque contradicere ſciunt, aut multum diſputare nolunt, ex hac ſola qualitate effectus explicari, vti quidlibet ex quolibet, poteſt; ergo re ipſa, quidquid illud medicamentum agit, id adſtringendo agit, & id cetera, quæ æque aut magis adſtringunt, agere, pro adſtrictionis modulo, poſſunt & debent. Ecquid iam eſt a particulari ad vniuerſale, ab opinione ad naturam argumentari, ſi hoc non eſt? Stringentes particulas, cortice Peruuiano manifeſtiores, habet vitriolum, habet alumen, habent catechu, bolus Armenta, hæmatites, ſtypticæ ferri, cupri, plumbi propagines, vinum auſterum, ſpiritus vini fortior, fructus acerbi, combuſta pleraque, ac iis contraria, acetum, & acidiora omnia, opium, pilulæ de cynogloſſo, ſtercus ſuillum, nux moſchata, cinamomum, thea, millefolium, & quæ vulneraria & diuretica putantur fere quæuis, rhabarbarum, ipecacuanha, aloe, pilulæ polychreſtæ, & purgantia plura, & ſexcenta alia. Hæccine omnia, modo doſis non

hanc in rem, virtutes laudabiles aquarum naturalium diuerſarum, particulis diuerſis, ſpirituoſis, ſulfureis, lixiuis, ſalſis, nitroſis calcariis, martialibus, ſeleniticis, aliisque pollentium, & ſinceriorum leuiorumque, & ſeri etiam lactis. Immo, quod παραδοξον *Eugalenus & Blancardus* iam notarunt, & variis locis in ephemeridibus curioſorum probatum eſt, ſunt febres ex intermittentibus, vbi ipſum lac vtiliter datur. (1) Externa medicamenta diuerſa ſatis efficacia, ther-

non nimis parca ſit, æque febrim fugare dicemus, & iisdem laudibus criminationibusque, quibus chinam, afficiemus? Omnesne horum effectus a ſola adſtrictione deriuandos ex cathedra diſputabimus, & nihil in ſingulis ſingulare eſſe credemus, & diuerſum? Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

(1) Præcipue aſininum in febriculis lentis, ſcorbuticis, quo intermittentium indoles degenerauit, & quæ pulmonibus maxime, lienique inſidiantur, haud ſpernendam vim habet, quam rem, poſt veterum obſeruationes, oſtenderunt *Meibomius* in de cura phthiſeos per lac, & *Hoffmannus*, tum variis medicinæ conſultatoriæ conſiliis, tum peculari diſſertatione de mirabili lactis aſinini virtute, item de ſaluberrimo aquarum mineralium cum lacte connubio. Moderamine & explicatione opus habet iocus *Stahlii* "qui non dubitaſſe ſe dicit, in-"terroganti: *quibusnam lac aſi-"ninum conveniat?* reſpondere: "aſinis, vtpote quibus ita a na-"tura deſtinatum ſit, vt ſine il-"lo vix educarentur, & alia, quæ in notis ad ſatyram *Haruæi*, c. 6. p. 60. ſcribit, eaque, niſi valde fallor, *Hoffmanni*, olim collegæ, ſcriptis iam lectis. Numquid forſan etiam eiusdem priora opuſcula, quibus corticis Peruuiani laudes iam tum magnopere efferuntur, legiſſe putandus eſt doctiſſimus *Stahlius*, quando eas ex abuſu facili, & ſua theoria, vel nimium limitare e contrario aggreſſus eſt? Quæ in iisdem notis toto c. 7. de medicis aquariis, & de exiguo nimis vſu dicuntur, quem aquis ſalutaribus auctor tribuit, conferantur, ſi lubet, cum ſcriptis expertiſſimi *Hoffmanni* plurimis de aquarum mineralium virtute longe ſaluberima,

thermas etiam, & aquæ dulcis balnea, ſileo, quæ ſuum ſæpe habent locum. Id tamen hic ſincere teſtatum facimus, omnia illa, omnia, inquam, quantum adhuc reperire potuimus, quod ad certum & indubitatum effectum attinet, a cortice hoc exotico multis paraſangis exſuperari, neque ergo nobis ſufficere poſſe, aut debere, vbi magnum ſubitumue febrium ex intermittentium genere periculum timendum eſt. Probabile prudentibus quibusdam viris videtur, neceſſarium eſſe, quod, licet optabile ſit, attamen neque ratio phyſica vlla, neque prouidentiæ oeconomia experta probat, quodque ante diluuium fortaſſe verum fuit, poſtea amplius non eſt. Exiſtimant nempe, quamlibetcunque regionem ſibi ſuis medicamentis domeſticis ſufficere debere. Hoc ſi ita eſſet, tunc illud quidem remedium, quod ex noſtratibus æquiparari mereatur, longius ab Europæorum ingeniorum percontatione huc vsque per tot ſæcula diffitum manſiſſe debet, quam vaſtus ipſe oceanus, & vltima India eſt. Et quid prodeſſet nobis ita occultatus a natura theſaurus, qui, licet indigena ſit, ſerius tamen innoteſceret eo, quem alieniſſima regio profert? Diuina prouidentia, cuius nos conſilia ignoramus, & morbis hominum & medicis, & regionum abundantiæ & commerciis, & artium ſcientiarum-

Remedia domeſtica num ſufficiant?

G que

perrima, præſertim T. II. opuſculorum phyſico medicorum collectis. Legi etiam poſſunt, quæ in iisdem notis ad *Haruæum* acriter in *cautelas* dicuntur, quod vocabulum vna pagina 217. toties fere præacute repetitur, quoties id in titulis conſuetis diſſertationum voluminumque *Hoffmannianorum* exſtat, ne alia haud abſimilia indicemus. Viros illos, vtrumque egregie doctum & meritum, eorumque diſcipulos, & theoria & praxi vix vnquam non habemus diſſentientes: vnde ex vna academia, præ aliis a ſtudioſa iuuentute freqnentata, velut ſchiſma medicum per Germaniam ſpargitur. Diſſenſiones doctorum theoreticas experientiæ vnanimi officere, & iuniores medicos turbare, nolim.

que incrementis, ſuos temporis ſortisque limites poſuit. Profert forſan Europa non vnum medicamentum, quod viribus corticem aut vincat, aut exæquet. Id vero, ſi quod eſt, ab oculis animisque noſtratium medicorum, licet circumquaque ſollicite quæritantium, tam remotum ad hanc vſque ætatem eſſe permiſit deus, quam quod remotiſſimum.

§. V.

Vſus corticis opportunus & tempeſtivus, vel ſecus, in morbis variis.

Quemadmodum vero nihil eorum, quæ vel ſano corpori innocentia ſunt, vel certis morbis medentur, vniuerſim ita iuuat, vt nullam noxam, pro ratione morboſæ materiæ, motuumque ſub quibus miniſtratur, incaute adhibitum inferre poſſit, "neque quicquam eſt, cuius virtutes nullo vitio "orum confinio lædi queant; (a) ita idem de hoc febrium domitore ſentiendum eſſe, ipſa eo magis dictat ſana ratio, quo manifeſtior in materiem motusque morboſos efficacia eſt: neque vnum remedium pro febrium omnium vnica ſolaque panacea habere licet, ceteris artis præſidiis ſusque deque habitis. Nocere potius, quam iuuare poſſe videtur in febribus naturæ continentis (b), præcipue επακμαϛικης, inflammantis, ſuppurantis, catarrhalis, niſi perquam benigna ſit, & fere intermittens, exanthematicæ acutæ, (c) & quarum typus, nullo

(a) *Plinius* in panegyrico.

(b) Quo vocabulo ſemper perperam vtitur *Mortonus*. Continentes enim febres, quas ipſe periodicas eſſe vult, συνοχοι ab antiquis dictæ, nullas habent periodos, ſed vno tenore progrediuntur. Quod ille his tribuit continuarum nomen, id ſigillatim συνεχεσι periodicis magis competit. Sed in verbis faciles eſſe decet, qui in re conſentiunt.

(c) Nihil tamen contra indicant, ſi febri ex intermittentium genere iungantur, purpura ſcorbutica, aut vrticatio: neque ſi intermittentibus, ſine febris continentis conſortio, purpura aut petechiæ συμπϛωματϛικως ſuperueniant: quod præcipue in ſtatu epidemio maligniori, & corporibus ſcorbuto corruptis, euenire notauimus, vbi tamen feliciſſime datus eſt cortex.

lo adhuc remedio ſpecifico reperto, ante ſui temporis decurſum eſt inſuperabilis: quamuis periodis quotidianis, vel vagis (d) intermittentium indolem mentiantur, (e) vel ex illarum genere per transmutationem natæ ſint (f). Neque, ſi vel maxime ex acuta eiusmodi, & vera intermittente vel remittente febre admixta, duplicatus morbus, qui verus hemitritæus eſt, (g) appareat, corticem præbere licet, ante alterius febris, quæ alienæ indolis eſt, declinationem. Idem vero acutorum morborum reliquiis exſtirpandis, & reſtituendæ transſpirationi inſenſibili, vtiliter adhibetur, & egregium naturæ robur addit, & lentæ tabificæque ægritudinis metum, & periculi reuerſiones, præcidere ſolet. Pertinet ad alienos ab vſu huius remedii morbos, grauis quilibet & increſcens paroxyſmus febris, etiamſi intermittentis, qui morbus eſt ſui generis celerrimus, cuius nondum repertum eſt remedium, quod præſentem tollat: quamlibet declinationis tempus, & minores neque metuendæ acceſſiones, vbi grauior deinceps alia timetur, & ruens hora vrget, contrarium vſui nihil indicent: præcipue, quia remedii doſis non eo ſtatim momento,

paroxyſmus.

(d) v. *Ramazzinus* de abuſu chinæ chinæ oper. p. 229. ſq. & ibi adducta exempla *Sydenham.* de nouæ febris ingreſſu. opp. p. m. 665. ſq. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 748. *Morton.* pyretol. tract. III. c. 7. p. m. 54. *conſtit. epid Vratisl.* miſcell. nat. cur. dec. III. ann. 9. & 10. append. conf. cl. *Cohauſen* toto. c. 11. ill. *Bergerus* in chinchina ab iniquis iudiciis vindicata §. 12.

(e) Vnde abſceſſum exſpectandum monet *Hippocrates* in Coacis.

(f) *Morton.* exercit. 2. c. 1. p. 107. ſq. c. 5. p. 114. *Ramazzinus* p. 228. *Lanciſius* de nox. palud. effl. L. II. epid. 1. c. 8. ſect. 2. §. 1. *Bianchi.* p. 629. & paſſim.

(g) v. omnino *Spigelius* de ſemitertiana, operum T. II. *Boneti* ſepulcret. L. III. ſect. 1. obſ. 31. & ibi notæ *Mangeti.*

mento, quo adſumta eſt, quemcunque ſuum effectum exſerit, ſed, ineunte acceſſionis declinatione data, ſenſim digeri a natura, &, inſenſibili efficaciæ incremento, poſtmodum in vſum corporis conuerti, & manifeſte operari ſolet. (h) Paroxysmis nocturnis aut erraticis, qui ex induratis alicubi glandulis, aut viſceribus, aut ex ſolo ſcorbuto, aut venerea labe, aut vlceratis externis vel internis corporis partibus, febrium intermittentium inſtar, naſcuntur, nihil cortex memorabile prodeſt. Vbi autem febris epidemia ſe immiſcuit, hanc innoxie profligatam nouimus, dum alter morbus ſuis remediis, vel miſcendis, vel ſubiungendis, relictus eſt, nihilo aut facilius, aut difficilius ſanabilis, quam antea. Quæ vlceribus viscerum, partiumque aliarum, & ſuppuratis tuberculis, morbisque tabificis, ſuperueniunt febres intermittentes veræ, ſed putridæ dictæ ob corporis partium putredinem febricoſo fomiti αναλογαν, bene quidem tolerant corticem, & ſæpe pro leuamine, & protrahenda vita, expoſcunt; raro autem eodem conſtanter & penitus eradicantur: niſi vbi læſio minus profunda eſt, & admixtis, aut interiectis, ex arte remediis aliis idoneis medicabilis, vel a materia forſan febrili originem ducit, & tunc etiam ante inſanabilem corruptelam mature curatur (i). Alias vero vix ac ne vix quidem alio medicamento, aut ſine hoc ipſo, curari ſolent, ſed *Hypocratis* (k) implere prædictionem, qui febres notat, licet maxime aliis ſecuras, tabidis tamen exitioſas. Nocere videtur cortex in morbis ſpaſticis

morbi periodici ex cauſſa non intermittente chronica.

(h) In ipſo paroxysmo cortice vti iubent ill. *Lentilius* miſcell. med. practic. P. 1. p. 245. ſeqq. *Crugius* ephem. nat. cur. dec. 2. a. 10. obſeru. 2. ibid. dec. 3. a. 9. & 10. obſ. 52. *Blauuius*, cuius methodus elegans videtur, & plures alii.

(i) v. omnino *Morton.* phthiſiol. L. 2. c. 10. p. 75. & c. 14. p. 125. ſqq. add. *Lentilius* iatromnem. P. 2. c. 27. p. 270. ſqq. & auctores ſub nota (b). p. 54. adducendi.

(k) epid. L. 1. ſect. 1.

ſpaſticis & conuulſiuis continentibus, & augeſcentibus, eorumque ipſis præſentibus & increſcentibus paroxysmis; quamuis, ſimulac remiſſiones notabiles vel intermiſſiones adſunt, ſi qua eſt mali cauſſa per naturæ vel artis virtutem ſuperabilis, robur naturæ addendo, lentorem corrigendo, noxios motus præuertendo, & orgasmum in herba ſuffocando, egregie adiuuet. Immo iuuat ſæpe eos, qui ſtrictura ſpaſtica quarumdam partium particulari affecti ſunt, vbi præcipue ductus biliarii, pancreaticus, & villi ventriculi, & inteſtinorum, & tubuli renales, genusque vaſorum ſanguinem & lympham vehentium, & neruorum, præſertim circa venæ portæ, & aortæ deſcendentis, intra viſcera abdominis propagationem, tono nihilo minus laxiori laborant. In hæmorrhagiis modum excedentibus placide moderandis, &, ſine præpotente, vltra tonum naturalem, adſtrictione compeſcendis, poſt plethoram imminutam, & ſpasmorum impetum reſolutum, extra nimii orgasmi tempus, mira præſtat hoc remedium: niſi forte vulneratio grauis, vel viſceris ſcirrhus, aut ingens infarctus, vel profunda nimis craſeos ſanguineæ reſolutio, vel res toto genere aliena, ſubſit; quemadmodum vbi calculus, mola, ſecundina, aut abortus inſuperabilis, exitum molitur. In alui fluxibus & vomitionibns, ſub pari cautione, confert: vti ſæpe nocet, ſi male cortex & ſolitarius adhibeatur, vbi, ob ſpasmorum & turgentis humoris ferociam, prodeſſe nequit (1). Neque vero in morbis chronicis, quorum ſpecifica antidotus non eſt, ita prodeſſe ſolet, vt aliis magis interdum aptis remediis non cedat; licet ibi etiam haud minora ſæpe præſtet, quam blande tonica, & ἐνφραντικα alia, quæ ipſa etiam febrifuga eſſe, experientia comprobauit.

morbi ſpaſtici & conuulſiui.

hæmorhagiæ.

morbi chronici ſine febre.

§. VI.

Quod ſi vero chronici affectus ex febrili materia nati, vel

Morbi chronici ex genere.

(1) v. exemplum erroris *Talborii* empirici ap. *Blegny* p. 74.

febrium intermittentium.

vel cum eadem adhuc miſti ſunt, vix eſt, quod cum corticis virtute comparari poſſit. Spectant huc, qui antiquitus (a) ſæpe poſt febres notati ſunt morbi, phthiſes (b), arthritides (c), cachexiæ, & ipſi tumores hydropici, præcipue humidi (d), ex male curata febre nati, vel eidem iuncti, etiamſi

(a) v. locus Hippocratis ſupra ad §. IIII. not (g)

Phthiſis ex febre.

(b) *Morton.* phthiſiol. c. 12. p. 127. phthiſin a nulla alia febre frequentius, quam ab intermittente, originem duxiſſe obſeruauit, maxime vbi, ob efficacium medicamentorum neglectum, chronica euaſit; ab eiusmodi autem phthiſi plures ſolo cortice curatos, aliis medelis inſannabiles: cuius rei etiam nos exempla varia vidimus. Sufficiant, quæ adducit hic auctor l. c. item de phthiſi ab arthritide & rheumatismo c. 2. de phthiſi ab hæmoptoe c. 5. *Brunnerus* de pancr. ſecund. l. c. *Valentini* de febre hæmoptoica: idem in tract. de china china c. 2. §. 6. de phthiſi aſthmatica febrili: *Blakmore of conſomption*, & quæ inde de tabe Anglica excerpſit *Cohauſen* c. 12. p. 98. Conferantur hæc, & tota illa aurea phthiſiologia *Mortoni*, quæque tot ac tanti viri obſeruarunt, & vetuſtus ille *Bennetus*, in theatro tabidorum, aliique corticis inuentione antiquiores Angli, de tabis inter ſuos magna frequentia, & cauſſis manifeſtis, clare docent, & experimentis vberrime demonſtrant, cum illa obſcure indigitari viſa, certe non credibili, doctiſſimi *Stahlii* ſuſpicione, qua nouum corticis inter Anglos vſum in partem culpæ tabis adeo ibi frequentis accire velle, diſputationis cauſſa, & nouitatum medicarum numerum augere quibusdam videtur, in *diſputatione de nouitatibus medicis.* §. 53. Quæ male vſurpati corticis vitia, ex alienis & empiricis experimentis, vir ille acutiſſimus obſeruauit, ea quidam eius ſectatores, forte præter ipſius conſilium, ipſi remedio male imputant, & abutuntur illo pythagorico: αυτος εφα.

(c) *Hippocr.* aphorism. 44. L. 4. "Qui ex febre longa laborant, "iis tumores aut dolores in ar- "ticulis oboriuntur.

(d) H. *Meibom.* de hydrope aſci- "te §. 50. Febres intermittentes "tertianæ, quotidianæ, quartanæ

iamsi cortici ab ignara plebe, immo a medicorum quorumdam opinione, sæpe imputentur. Eueniunt illa mala, vti olim, ita hodieque, post febres grauiores, & quia hodie pluribus, qui diu aut grauiter febricitarunt, tandem quocunque modo, apte vel inepte, aliquando cortex datur, turbæ statim indoctæ pars huic medicamento, quod barbare nominare scit, rem imputat, quia veras causſas non intelligit, & inepta illa persuasio de febrium securitate absoluta viget, & quorumdam medentium opinio, vel vtilitas, vel ambitio, adstipulatur. Atqui vero, quod viri experientes sciunt, & sinceri profitentur, præmissis vel additis, quibus opus esse, medendi methodus quemlibet peritum medicum docet, omnem ibi paginam iuuando implet cortex, vbi tot nociuis de noxa iudiciis male mulctatur. De phthisi febrili ad aliorum obseruationes plurimas dudum in publicum editas prouoco. (b) De arthritide exemplum breuiter narrare lubet.

Femina aliquot vltra quadraginta annos nata, menstruis semper paucis & anomalis vsa, habitu corporis aliquantum tumido, rarius appetens, nauseosa, & vomitibus biliosis quouis fere mane inde ab octo annis infestata, & artuum doloribus vagis sæpe exercita, ante hoc triennium & amplius curata erat corticis maxime ope, a febre tertiana haud secura, cum violentis motibus & continuitate. Mulierc̃ularum consiliis tunc turbata, vix ac ne vix quidem tam diu remedium sumere voluit, quam ex vsu fuisset. Valuit tamen sine febri meliuscule per biennium fere. *arthritis febricosa. obseruat. partic.* 10.

In

"næ diu durantes, ac si multum "in iis bibant ægri, nec tamen "diaphoresis & diuresis recte "succedat, in cachexiam & hy- "dropem desinunt, quod iam "tum ex Græcis Hippocrates, "ex latinis Celsus indigitauit, "in his vero septentrionalibus "locis experientia frequens te- "statur, præsertim in plebeiis, "qui medicamenta recte adhi- "bere non potuerunt, & in illis, "qui per febrifuga male tracta- "ti sunt.

Interea menſes per ætatem ceſſare incipiunt. Autumno ſuperioris anni corripitur, æque ac tum quidem plures, neque febrim antea neque corticem experti, continua febre, cum arthritide vaga, quam inepti ex ſequiori ſexu cenſores, corticem ipſum eſſe muſſitabant, ante biennium aſſumtum, cuius ſubſtantia adhuc in artubus hæreret. Quum per tres hebdomades, ſub diaphoreticorum & demulcentium remediorum vſu, & iuſto regimine, typum rite obſeruaſſem, quartanam duplicem ſubeſſe notaui. Satis igitur obſeruabilis remiſſionis occaſione arrepta, exhibeo corticem cum lumbricorum terreſtrium puluere, &, poſt profligatam febrem, addita ari radice, continuare, & per iuſta, vt deinde dicetur, interualla, diuerſis pro re nata formulis, in infuſo etiam denique vinoſo, repetere iubeo obſequioſam ægram. Euanuit inde perpetuo & febris & arthritis, redierunt lento gradu ſemel & iterum menſes, appetitus viget, vomitus matutinus omnino ceſſauit, habitus corporis viuidior eſt, membra maius robur habent, & vana femellarum ridentur iudicia (e).

cachexia & hydrops ex febribus.

Multos vidi ex aliorum impotentiorum remediorum vſu, interdum etiam methodico (f), cachecticos & hydropicos (g), &

(e) conf. *Morton.* phthiſiol. c. de phthiſi arthritica. *Liſter.* exercit. de arthrit. *Deidier.* diſſ. de arthritide. Eph. N. C. paſſim.

(f) H. *Meibom.* de febrib. interm. "epid. § 37. ſi diu durent febres "intermittens tertianæ & "quartanæ, frequenter, fruſtra "etiam contra nitentibus me"dicis. cachexiam, ſcorbutum "& tandem hydropem difficul"ter curabilem, poſt ſe relin"quunt. Scripta eſt ea diſſertatio anno clɔlɔc LXXVII. quum vix in iis oris cortex vſurparetur, quem poſtmodum ſummo illi viro feliciter in vſu fuiſſe, & ſcripta & diſcipuli, quorum plures nouimus, teſtantur.

(g) Conf. exemplum elegans in *Weisbachii* praxi Stahliana edit. nouiſſ. c. de hydrope: & plura apud *Reſtaurand.* in Hippocr. de vſu chinæ chinæ c. 12. & *Morton.* phthiſiol P. II. c. 12. hiſtor. 3.

& tympaniticos (h) quidem plerumque immedicabiles; nullum ex genuina corticis dandi methodo.

Hiſtoria *Rombergii*, medici campeſtris Palatini, (i) de legi- *obſeruat. partic.* II.
"one pedeſtri, vbi ex quadringentis fere militibus, chirur-
"gi ope, profecto haud methodica, per ſimplicem chinam
"bis in die ad drachmam & vltra datam, curatis, nullus non
"poſt aliquot doſes hydropicus euaſit, cum omnimoda vi-
"rium proſtratione, & poſt breue tempus *redeunte febre*, dubium facit, num a febris ingenio, an a diætæ & potus vitiis, an ab inepta purgatione, medicaſtris conſueta in febribus, cachexiæ & hydropis matre, an ab omiſſis vel male inſtitutis, quæ indicabantur, euacuationibus, an ab imperfecta per remedium febrifugum medela, nocumentum illatum ſit, quod ab hac ἀμεθοδίᾳ, vti ab alia quauis, fieri poſſe, idemtidem experti concedimus: certe a legitima per corticem cura, & ab ipſo medicamento, morbus ortum non

 duxit.

(h) Nuperrime demum in manus noſtras incidit diſſertatio παραλογος de corticis vſu noxio, quamuis recto, ſub cl. *Gœlickii* præſidio defenſa. Ibi § 10. puero quinquenni, poſt vnicam corticis doſin empirice datam, poſtera die tympaniticum abdominis tumorem ægerrime ſuperabilem obortum eſſe refert. Vnde is obortus ſit, ex manca illa hiſtoria diuinare non licet. Inde vero vaniſſimus ſtatim, ſine vllo alio argumento aut experimento, pronun-
"tiatur aphorismus: ætatem in-
"fantilem ac puerilem omnem
"a corticis vſu penitus abhor-
"rere, etiam recto. Ex vngue leonem! Contra arguunt virorum illuſtrium, quos paſſim pro recto corticis vſu teſtes aduocauimus, ſcripta & obſeruationes. Verbi cauſſa v. *Lentilius* in eteodromo, p. 292. 302. 1349. *Sydenham.* in proceſſu morborum curandorum p. m. 724. *Wedelius* de morbis infantum c. 34. Mihi præſto ſunt hiſtoriæ plures, vbertim aliquando enarrandæ, vbi empiricas, immo methodicas, ſine cortice curationes, & febres ſponte naturæ ceſſantes, inſecutus eſt tympanites.

(i) miſcellan. natur. curioſ. Dec. III. A. 9. 10.

duxit. Curauit ipſe *Rombergius* horum militum plurimos per remedia maxime *purgantia valida* hydragoga, & aperitiua; multi vero, vbi malum altiores radices egit, curam peruerſam morte luerunt. (k)

Hinc iudicanda ſunt exempla, ſi qua ſunt, alia, vbi aliena culpa innocuæ medicinæ imputatur (l). Artem ipſam vel medelam quamuis ream facere quilibet poteſt, nocentem nemo, vbi artifices male medentes deliquerunt. In promtu mihi ſunt exempla propriæ experientiæ complura, vbi cachecticos, & hydrope ex imperfecta qualibet febris cura laborantes, iuſta metho-

(k) Neſcio an totius rei, & diuerſi ſucceſſus, rationem ex *Sydenhamio* haurire liceat, cui profecto experientia & ratio aſſentit, eosque, qui regulam ſpernunt, infelicis ſæpe erroris arguit. Is auctor in de morbis acutis c. 5. p. m. 119. ſq. ſcribit: "raro "*iuuenes* obſidet hydrops poſt "febres intermittentes, niſi *ca*- "*tharticis* per febris decurſum "ſæpenumero iteratis eumdem "accerſiuerint. Verum *aperi*- "*entium & catharticorum vſu* "*facile ſanatur, ſi modo recens* "*eſt.* Verumtamen obſeruaui, "*fruſtra eſſe*, ſi quis eum hy- "dropem *medicamentis purgan*- "*tibus* tollere conetur, *febre* "*illa adhuc durante.* Febris e- "nim hoc pacto radices pro- "fundius agere deprehendetur, *non autem amouebitur hydrops.* Atqui *Rombergius* febrem poſt breue tempus his ipſis hydropicis rediiſſe notat, neque tamen de obſeruato methodi diſcrimine verbulum monet. add. *Spon.* in *Blegny* zodiaco a. 2. m. Ianuar. quæſt. 8. quam ob rem febricitantibus pedes, manus, & vultus intumeſcant?

(l) conf. *Liſteri* exercit. de hydrope p. 2. vbi frequentiam hydropicorum, per Angliam tunc obſeruatam, a potibus ſpirituoſis & ſalſis ingurgitatis deriuare inſtituit, ceteras cauſſas ſuo tempore rariores eſſe oſtendens. Ibi vero etiam de febribus intermittentibus, a decennio tunc parcius graſſatis, "vbi, inquit, iis "iam homines afficiuntur, cito "& tuto iam curari ſolent no- "tiſſimo remedio ex cortice "Peruuiano, ſine metu hydropi- "ſeos alicuius. Ipſe locus integer conferatur cum notatis a *Stahlio* nouitat. medic. §. 55.

methodo, & corticis inprimis assiduo vsu, feliciter sanaui, rubore suffusis amicis, qui id forte remedium eiusmodi malo præcipue noxium, vana persuasione ducti, pronuntiauerant.

Quarta nunc agitur hebdomas, quod medicum me adsciuit mulier agrestis nondum quadragenaria, quæ a biennio quartanam tolerauit, & ab eo fere tempore afflicta fuit mensium obstructione, & tumore hydropico, & dysuria vrinæ lixiuæ. Ingentem in molem ascitican abdomen sensim intumuerat, crura & femora cum dorso aqua distendebantur, turgebat ipsa facies, incessum fere prohibebant moles corporis, respiratio anhela, & lassitudo, typum febris seruabat immota, & medicastrorum, quos passim missella consuluit, σκανδαλον plane manebant hydrops & quartana. Mirum in modum imminutus est tumor, abdomine tantum non penitus subsidente, & femoribus valde emollitis, posteaquam ter mane, ante paroxysmum pomeridianum, aquas hydropicas eo die maxime turgentes, aquæ benedictæ *Rulandi* (m) vncia una cum dimidia ανω και κατω euacuauimus; erumpente etiam a tertio demum paroxysmo sudore, qui antea semper suppressus manserat, dum materia per singulos paroxysmos commota quidem fuit, sed in hydropis augmentum cessit. Ab eo tempore vsa est ægra electario ex cortice Peruuiano, radice helenii, sale ammoniaco, vitriolo martis, & rob iuniperi, eo cum successu, vt febris fugata sit, faciei viuidus redeat color, respiratio libera euaserit, vrina limpidior, & longe potu assumto copiosior profluat, abdomen plane detumuerit, femora & crura

obseruat. partic. 12.

(m) v. *Sydenham.* de hydrop. p. m. 617. quicquid experto obloquatur, qui amicus non fuit, *Listerus* in de hydrope. p. 21. Id quidem remedium præ hydragogis ceteris tum conuenit, quando febris coniuncta est, quæ ceteris irritari solet. v. nota (k)

crura indies magis detumeſcant, molimina menſium in dorſo & abdomine ſentiantur, neque dubitemus, quin continuato & repetito ad morem noſtrum remedio, integre & conſtanter conualitura ſit, quod in tot aliis ſimiliter laborantibus contigit. Deſiuimus jam primum cortice vti, & poſt eius vſum ſtatim copioſe, & cum εὐφοριᾳ, & manifeſto tumoris decremento, coctos humores purgauimus ſucco ex iridis noſtratis recentis vnciis quatuor ſubtiliſſime raſis, & parum maceratis in aquæ fœniculi vnciis duabus, expreſſo, cum pauco ſaccharo: quod cuiusdam paſtoris ſacri remedium quaſi arcanum eſſe ſcimus, quo ille, diuerſimode forte mutatis per cinamomi aliusue aromatis pauxillum, odore & ſapore, famam multam, & pecuniam, & ægrorum ſepiuscule ſalutem lucratus eſt, & hanc nos aliquoties lucrati ſumus, aliis ex arte medelis opitulantibus.

Proſtant paſſim apud auctores eiusmodi commatis obſeruationes. Sufficiat nunc vna viri ſummi, *Brunneri*, archiatri Palatini, qua, curato per copioſam a cortice diureſin hydrope, noxiæ ſtringendi facultatis crimen ab eo medicamine amoliri ſatagit. (n) Idem eſto iudicium de *ictero*, quem, febrili ſimilis ſomitis indicia exhibentem, æque fere certo, ac ipſas febres intermittentes, per corticem febrifugum tolli, peculiari diſſertatione, & plurium obſeruationum practicarum teſtimonio, haud ita pridem confirmauit

obſeruat. partic. 13.

ictterus febriceſus.

(n) Ephem. nat. cur. nouiſſ. vol. 1. obſeruat. 128. Add. aliæ fere ſimiles *Franci*, decur. 3. a. 7. & 8. obſeruat. 110. conf. *Reſtaurandi* Hippocr. de vſu chinæ chinæ c. 12. de curatione hydropis, ſuccedentis febribus ope chinæ chinæ. Celeb. *Boecler.* in not. ad Hermann. cynos. mater. medic. "*plures*, inquit, hydrope febres, "ab empiricis & famulis chirur- "gorum male curatas, inſequen- "te iam laborantes, vbi tamen "aliquid febrilis adhuc ſuberat, "hoc cortice a febre liberaui, "& additis ſimul aliis ſeruaui.

mauit cl. Alex. *Camerarius*, (o) & nos iam ante decennium, & sæpius deinde, & nuperrime rursum, comperimus. Ita sane affectus, ex febris intermittentis prosapia degeneres, sub statu epidemio febricoso frequentissimos, innumerabilibus modis fucum facientes, detracta per sagacis medici iudicium larua, solitarius cortex, vel apte mixtus, expedite ad sanitatem perducit: nisi aliquid nimis alienum sit, quod prohibeat vsum, vel tantisper suspendat. Homines vero ignari quid sit constitutio epidemia, quid febrium indoles versatilis,

subdolæ febrium ocultationes multifariæ.

. . . . . *cui nomina mille,*
Mille nocendi artes (p),

vbi medicus aduersus illam, sub alius morbi specie occultam, remedium febri proprie dicatum prudenter adhibet, pro panacea id venditari frustra suspicantur.

§. VII.

Febres quidem *intermittentes veras*, & quæ vere *ex earum genere* solitario sunt, *continuas* omnes, vbi notabiles longasque satis remissiones habent, certo, tuto, & constanter, si quid aliud, sanat cortex, recte, mature, & tempestiue datus; nisi forte rarior loci, aeris, aut corporis constitutio alicubi obstet, cui tamen nullus dubitauerim, quin præparatione & additione, vel præmissis aut subiunctis aliis adminiculis, feliciter accommodari possit. Pertinent etiam ad eius remedii ditionem *semitertianæ nothæ* (a), quæ alienæ indolis febrem admixtam non habent,

Vsus opportunus, vel secus, in febribus ex genere intermittentium.

semitertianæ nothæ.

(o) exercit. qua corticis vsus a febre ad icterum extenditur.

(p) *Virgilius.*

(a) v. *Restaurandi* Hippocrates de de vsu chinæ chinæ c. 11. ill. *Lentilius* in eteodromo, vbi indices semitertianæ curam indicant. *Mangetus* biblioth. pharmac. voce quinquina. Alii auctores complures semitertianæ vocabulo hac notione vtuntur.

bent, *tertianæ continuæ duplices* potius nominandæ, quum non niſi ex duobus, vel pluribus, tertianæ febris paroxysmis compoſitæ ſint, qui longitudine ſua, vel exiguarum acceſſionum intercurrentium multitudine, impediunt, quo minus perfectam intermiſſionem perſentiri liceat. Sæpiſſime ſub hoc ſtatu epidemio febrium, qui manifeſte, verno certe & æſtiuo & autumnali tempore, ex intermittentium indole fuit, febrem vel ab initio intermittentem, ſed quæ duplicatis longisue paroxysmis in continuum typum degenerare, vel ſtatim etiam continuam; periodis tamen intermittentium epidemiarum ſimilibus clare diſtinctam, obſeruauimus. Tunc vero, vbi vel periculum, vel morbi difficilem tolerantiam timendi, ex horrendis acceſſionum ſymptomatis, morbi augmento, habitu corporis, & exemplis analogis, iuſta cauſſa fuit, corticem ſecure ſemper & feliciter ex methodo dedimus: dummodo tempus *remiſſionis diuturnum ſatis*, & *perquam notabile*, & *ſine grauioribus ſymptomatibus*, *inflammationis* factæ, aut *abſceſſus* fientis, aut *morbi alieni* commixti, vel exorti, ſignis fuit, & dum ipſi *paroxysmi* præcipui, in incremento & ſtatu, *ad declinationem & interualla* mitiora comparati, inſigniter grauius ægros afflixerunt (b). Huius modi generis fuiſſe videntur, quas hemitritæos, peſtilentes, malignas, inflamma-

tertianæ continuæ.

(b) His, quæ tamen experienti obſeruatu haud difficilia ſunt, non obſeruatis, & ſolo febris qualitercunque remittentis nomine pro indicatione ſumto, incidere poteſt medicus in cenſuram haud iniquam *Freindii* comm. ad. Hippocr. epid. p. 124. "Febre inualescente, & cere-"brum occupante, deliria, ner-"uorumque diſtentiones, ſi non "accerſi, ſaltem haud arceri, "experiuntur ii, qui in febri-"bus acutis nihil niſi *ſerpenta-*"*riæ radicem*, *ſalemque* de *cor-*"*nu ceruino* & ſimilia amant in-"gerere. Idem accidere ſolet, "vbi in *febribus remittentibus* "*corticem Peruuianum impor-*"*tunius* adhiberi contigerit.

flammatorias, continentes notarunt *Apinus* (c), *Heluetius* (d), *Mortonus* (e), *Lancisius* (f), aliique (g), quibus tamen corticis vsum salutarem repererunt (h). Certe vbi vere tales vel a principio fuisse, vel progressu temporis iamiam euasisse, febres, obseruare datum est, nos quidem ab hoc remedio abstinere, & tamquam febri acutæ & continenti mederi, satius esse duximus, donec forsan, declinationis tempore, naturam morbi ex intermittentium genere esse constet, & sine formidine cura febrifuga institui possit. Immo, in tertianis ad continentium, & malignarum indolem pronis, mature vsurpato cortice præpeditur, quo minus, accedente inflammatione, & typo continente, periculosissimus morbus, hemitritæus verus, nascitur, & tot circa cadauera obseruationibus ansam præbeat, quot collegit *Spigelius* ante huius medelæ certæ inven- *præmit-*
tionem (i). Qui abundant humores, vel cocti, vel si crudi *tenda.*
etiam

(c) in histor. febr. epidem. passim.
(d) *methode de guerir les fievres sans rien prendre par la bouche* p. 17. 25. & *recueil de methodes* p. 30. 145. sqq.
(e) Exercit. II. c. 3. 8.
(f) L. II. epid. 1. c. 9. §. 2.
(g) conf. *Bianchi* hist. hepat. p. 277. sqq. 283.
(h) nisi forte infusiones aqueæ temperatæ, extracta aquosa, & enemata, quibus auctores illi experientissimi in eiusmodi casibus vsi sunt, etiam in febribus malignis, continentibus, inflammantibus, similibusque, tuto vsurpari possunt, quod aliorum experientiæ committimus.
(i) v. eius opus egregium de febre semitertiana. De his omnibus plerique auctores, quos corticis vsum laudasse passim heic notauimus, plene & distincte satis egisse videntur, quos, qui euoluerit, & recte intellexerit, fere omnes consentientes reperiet. v. præcipue *Tozzi* ad aphorismos Hippocratis, *Torti* therapeutica specialis, *Lancisii* de noxiis paludum effluuiis, *Bianchi* historia hepatis, *Heluetii recueil de methodes*, *Mortoni* pyretologia, *Pitcarnii* elementa medicinæ & dissertationes, *Boerhauii* de cognoscendis & curandis morbis & de viribus medicamentorum, *Bergeri* chinchina
ab

miscenda, subiungenda.

etiam impetum vanum & haud sufficientem ad excretionum loca faciunt, (k) ante remedii vsum proscribi debent. Vbi viscera obstructa & indurata sunt, vbi morbi chronici complicantur, vbi humorum neque coctorum, neque turgentium, abundantia est; tunc quæ aperiunt, præparant, coquunt, euacuant, præsertim κατ επικρασιν, vbi vtrumque præstatur, pro indicatione methodi, & periculi, vel præmittenda cortici, vel adiungenda, vel surroganda sunt. (l) Neque vero vanum est, quod vulgo dicitur: pluri-

febres innoxiæ.

ab iniquis iudiciis vindicata, & idem de inflammatione, *Valentini* polychresta exotica, *Cohausii* archeus febrium faber.

(k) Doctrinam vniuersam de *coctione*, *cruditate*, & *orgasmo*, incomparabilis in arte medica vtilitatis, peculiari dissertatione, operi *de febribus & morbis febrilibus* inserenda, explicatam luculenter dare laborabimus. Verus est Hippocratis aphorismus: *cocta euacuanda sunt*, *non cruda*, *nisi turgeant*. Atque is latissime patere, & ad singula euacuationum genera, pro singularum modulo, recte explicatus, accommodari debere videtur.

(l) cl. Elias *Camerarius* system. "cautel. medic. p. 494. sq. In "intermittentibus, inquit, antequam primæ viæ expurgatæ "sint, solutæque viscerum ob"structiones, cauendum maxime monent a china chinæ, a "præcipitantibus, & adstringentibus. Nota vero, quod "si omnes viscerum obstructiones debeant esse expeditæ "prius, vix vnquam possis accedere ad remedia antifebrilia, nec agere contra febrim. "Sunt obstructiones illæ diversi generis, nec omnes impediunt corticis vsum, cui etiam non semper commode euacuans præmittitur remedium. Id vero sua quemlibet experientia facile docuerit: nec "enim semper febres ferunt "purgantia. Fortiora, vti in "omnibus obstructionibus viscerum, sic maxime in intermittentibus, quæ ex obstructionibus sunt, damnum inferre dicuntur. Fortiora purgantia nunquam laudem merentur: intermittentes epidemicæ ab obstructionibus non "fiunt, sed & mitia purgantia "vix ferunt commode: hinc "facilis recidiua.

plurimas esse *febres*, tum *intermittentes*, tum *continuas*, benignas plane, tutas, & innoxias, & tolerabiles, immo quasdam ex his vere *salutares*: nempe quæ repletum corpus euacuando subleuent, obstructiones viscerum sensim expediant, humores spissos atterant, &, cum sua ipsarum materie per paroxysmos despumante, ex corpore eliminent; neque vero vltra modum affligant, aut debilitent, neque humores & functiones magis magisque corrumpant, neque vllum periculi signum, pro aeris, corporisque, & morbi indole, ἀναλογως probe examinata, exhibeant. Sunt etiam ex earum numero, quas naturæ & expectationi omnino permittere verearis, plurimæ, quæ aliis præter corticem remediis, gratioribus forsan, cedunt. In his omnibus ad certam hanc antidotum statim procedere vel inutile foret, vel minus nonnunquam salubre; quamuis pleræque febres, per legitimum huius remedii vsum profligatæ, eadem, immo maiora sæpe, sanitatis emolumenta post se relinquant, quam quæ notari solent, vbi sola natura, vel remedium aliquod minus generosum, ægritudinem edomuit. Vsus vero ille adeo multis ægrotantium nauseosus est, totque opinionum commentis sæpe interturbatur, vt in facilioribus tutioribusque febribus aliarum medelarum virtutem ex arte experiri, quam ad sacram hanc anchoram confugere, præstet. Nouerit medicus distinguere affectus corticis virtute superabiles, ab his, qui eadem incassum tentantur.; nouerit febres faciles, genuinas, tutas, salubres, a difficilibus, degeneribus, infidis, noxiis (m) discriminare; ita nec temere, nec timide curationem aggredietur, vbi temeritas potius est metuendo morbo habenas mittere, quem certa, promta, & innocua medicatione refrænare possis.

& salutares.

(m) conf. ill. *Stahlii* differt. de minore malo medico §. 42.

§. VIII.

Regula vſurpandi corticis prima.

Prima igitur huius remedii vſurpandi regula eſt, quam hactenus explicauimus: "ne, noxio vel inutili conamine, ad "alienos morbos, neque ad tutos, tolerabiles, & ſalutares, ne- "que non attento tempore & corporis habitu adhibeatur; ſed "ad morbos congruentes, & ea quidem occaſione, vbi ex ar- "te datum, ſecundum αναλογιαν experientiæ, nocere nequeat, "prodeſſe autem vel ſpecifica, vel manifeſtiori virtute poſſit: "præſertim vbi aliis medelis minus certis confidere, aut peri- "culum imminens, aut intolerabilis ægri corporis cruciatus "vetat.

SECTIO TERTIA

MEDICINAM EXHIBET TVM HABITV ET PRAEPARATIONE CORPORIS, TVM ELECTIONE, DOSI, CONTINVATIONE, EFFICACEM.

§. I.

Neceſſitas & opportunitas eius remedii in febribus ſoporoſis, & apoplecticis.

Huic profecto, de qua agimus, febri, formidandum affectum ſoporoſum quouis modo minitanti, frænum cortice Peruuiano non iniicere, non fuimus auſi, quandocunque res adhuc ſatis integra fuit. Enimuero, quod in libelli huius fronte ex *Hippocrate* (a) ſcripſimus, quodque *Galenus* (b), ceterique interpretes, explicant & confirmant, carus,

(a) Simpliciter Coac. 128. repetitur το καρωδες πανταχȣ κακον.

(b) Hic in 1. prorrhet. comment. 2. §. 29. præter neceſſitatem ſe torquet, dum particulam αρα γε pro interrogatione habet, quaſi inquirendum moneat Hippocrates: annon vbique το καρωδες malum ſit? Ait *Galenus*: quod ſi quemlibet ſomnum longiorem, & profundum, qui vel a vini potu, vel in quibusdam morbis, præſertim infantum, quaſi critice, poſt vigilias longas eueniat, carum lubeat vocare, poſſe eum bonum aliquando dici. "Si vero, inquit, *morboſi cari* alia "genere fuerit affectio, affirmabimus

carus, & ſopor omnis *morboſus*, *vbique eſt malus*, &, *Foreſto* (c) iudice, "ſemper grauiſſimus ſopor eſt, qui in Charontis "cymbam mortales plerumque dimittit, ſiue primario & "per ſe incumbat, ſiue ex conſenſu & conſortii lege adue-"niat." (d) Malignas eiusmodi febres intermittentes vocat *Ramazzinus*, vbi vtilem corticis vſum fore judicat, ſi ab initio dignoſcerentur. Mire ſane circa hoc remedium fluctuauit vir doctiſſimus, inter admirationem & contemtum, laudationem vel nimiam & vituperium, commendationem & prohibitionem, fiduciam & metum, experientiam & opinionem, vſum & abuſum, quem diſtinctionibus curioſis, & tentamentis, experimentisque minime adæquatis, moderari inſtituit, nihil tamen certi & eximii hac quidem in re præſtitit, ceterum de arte medica immortaliter meritus. Poſteaquam in his ipſis caſibus ad vſum corticis exhortatus eſt lectores, "in tam graui, "inquit, (e) ac ſubita tempeſtate, tamquam e graui "ſomno excitati medici, cum antea ſuper vtramque "aurem obdormirent, nil tale expectantes in febribus, quæ "cum frigore ac rigore accederent, abſoluta infebricita-"tione poſtmodum ſubſequente, tumultuarie ad ſacram "anchoram chinæ chinæ ad vncias in vino infuſæ confu-

"bimus το καρωδες, *vbique ma-*
"*lum* eſſe. Videtur *ſæpius in*
"*febrilium morborum acceſſio-*
"*nibus*, in quibus neque ſtimu-
"lantes, neque ferientes, ne-
"dum inclamitantes, ſentiun-
"tur ab ægris. Si ergo eius-
"modi affectum carum appella-
"ueris, difficilem vero excitatu
"conſtitutionem ſeu *coma*, ſeu
"*cataphoram*, tunc *nunquam*
"*quod coma bonum ſit*, *nedum*
"*quod carus*, dicere oportet."
Conf. locus Hippocr. de articul. ceterique ſect. 1. §. 1. cit. item libellus de comate.

(c) obſ. L. X. 38.

(d) Hippocr. Coac. præn. 7. ῥιγεα κωματωδεα, *rigores ſoporoſi, periculum minantur.*

(e) de abuſu chinæ p. 228. in operibus.

"giebant, ſed incaſſum, paucos enim euaſiſſe obſeruaui." Sane eius rei, ſi ita plane ſe habet, (f) cauſſa fuiſſe videtur vel *tumultuarius*, quem doctiſſimus vir notat, vſus, vel *vinoſi infuſi* vis ſubito periculo impar, & ſopori arcendo minus apta, vel *tempus infuſione & expectatione diſperditum*, &, quod ipſe auctor innuit, *non ſatis maturum* auxilium, ob morbi indolem non ab initio æſtimatam. Nimirum ipſe alibi (g) "hoc, "inquit, præſidii genus in febribus periodicis miranda præ- "ſtat, ac præſertim in tertianis intermittentibus malignis." Veriſſima, ceteris paribus, apud nos comperimus, quæ, poſt mortem *Ramazzini*, eiusdem amicus *Lanciſius* (h) docuit. "Duo, inquit, præſidia huic malo comperta ſunt vtiliſſima, *Veſicantia.* "veſicantia (i) nimirum, & cortex chinæ chinæ, quæ, oppor-

(f) Perperam iſtum abuſum medicis Mutinenſibus & inuidioſe obiici, ac feliciſſimos ibi fuiſſe in febribus ſoporoſis corticis effectus, tum peculiari aduerſus *Ramazzinum* diſſertatione, tum therapeutica ſpeciali, in act. erud. Lipſ. 1716. p. 220. ſeqq. recenſita, probauit archiater inclitus Fr. *Torti*.

(g) p. 799.

(h) L. II. epidem. 1. cap. 8. ſect. 1. §. 7. ſect. 3. & paſſim.

(i) de his legi omnino meretur doctiſſimus *Freindii* commentarius 9. ad epid. Hippocr. p. 219. ſqq. ibi p. 231. "in febribus, in- "quit, acutis tutum maxime, at- "que expeditum auxilium præ- "ſtant veſicantia, quæ quidem, "licet materiam febrilem a cere- "bro potentiſſime auertant, flu- "xiones tamen ceteras, ſudorum "præcipue, atque vrinæ, ſæpenu- "mero iuuant, ſaltem nullo vn- "quam modo reprimunt. Neque "in eo percurioſius eſt hæren- "dum, vt ſemper ad ægroti ha- "bitum aptentur: quæcunque "enim fuerit corporis conſtitu- "tio, vtcunque ſiue bile, ſiue te- "nui ſanguine feruidior, ſi febris "vltra morem ſæuierit, leuia in- "commoda non tanti ſunt, vt de "vita interim ipſa non ſimus ſol- "liciti. Sæpiſſime enim in id dis- "criminis res venit, vt nihil, niſi a "veſicantibus, ſpei reliquum ſit. Deinde reiicit curioſas quasdam, & inter ſe non conſtantes *Bagliui* cautiones, viri docti & acuti, ſed aphorismos condere nimi-

um

"portune adhibita, iure ac merito apud nos ſpecifica medi-
"camenta pernicioſarum, (nempe, quæ ſopore apoplectico
"terminari cito ſolebant) febrium dici poterant, cum ſalus
"multorum iisdem conſtiterit. Præſidium peculiare & ſpe-
"cificum experti fuimus chinam chinæ minime adulterinam,
"quæ tamen ante tertiam vel quartam diem," vel certe antequam vim morbi vltra remedii virtutem incrementa ſumſiſſe exitioſis ſignis conſtaret, "in pernicioſis tertia-
"nis exhibenda erat. Nam ſicubi propter incuriam, vel ſe-
"rum medici aduentum, tardius propinabatur, eius ſalus
"plerumque deſperanda." Io. Ludouicus *Apinus*, phyſicus Herſpruccenſis, deinde profeſſor Altorfinus, hiſtoriam febrium, annis ſuperioris ſæculi LXXXXIII. & LXXXXIIII. Herſprucci & in vicinia epidemiarum, deſcripſit, easque notauit ex genere intermittentium, & ſua natura periodicarum, (k) deinde vero malignas, ſoporoſas, & exanthema-

 ticas

um properantis, tum in ceteris operibus, tum in ipſa de veſicantibus diſſertatione. Denique p. 233. "illud autem, ait, præ aliis
"commodi habet hæc euacuan-
"di via, vt nunquam non tutiſſi-
"me in vſum duci poſſit: cete-
"rarum quippe ita perdifficilis
"& lubrica ratio eſt, vt nonnun-
"quam eæ, vbi atrocior fuerit
"morbus, non ſine periculo ten-
"tari poſſint." Hoc præſidium in noſtro ſane climate, noſtro ſtatu epidemio, ſæpe vtiliſſimum, tutiſſimum ſemper, &, quamuis in quibusdam paullo moleſtius, aut infructuoſum apparuerit, tamen innoxium omnino inuenimus.

(k) De eiusmodi ſtatu epidemio, eoque ſolo, verba facere ſcriptorem egregium, non de omnibus omnis generis febribus malignis, patet facile cuiuis, hiſtoriam & obſeruationes curate intuenti. Neque igitur ad ipſius mentem iudicant, tum qui, caſcarillam ibi ſe reperire putantes, eam, illius viri auctoritate, pro omnium febrium malignarum alexipharmaco explorant, tum, qui ipſas obſeruationes & regulas *Apinianas* contemnunt, vbi, quod hæ ſpondere videntur, id in morbis diuerſi plane generis, neque a vero, neque a ſpurio cortice, effectum dari vident.

ticas, ſed cortice mature dato medicabiles. "Veriſſimus, (l) "inquit, eſt *Mortonus*, cum continuas æque ac intermitten- "tes cortice ſanari poſſe contendit, modo vocetur in princi- "pio medicus, ſenſibili adhuc comparente febris remiſſio- "ne, & æger a medicamento in tanta quantitate ſumendo "non abhorreat. Legi (m) & relegi *Mortonianam* diatri- "ben, &, quod corticis Peruuiani vis antipyretica, in inter- "mittentibus & remittentibus, propria iam tum felicique "mihi innotuiſſet experientia, cogitaui, an non æque ſaluta- "riter in hisce malignis exhiberi poſſet, dummodo, captata "rite occaſione, ſtatim ab initio, doſi methodoque conue- "nienti ægris propinaretur." Poſtea virtutem febrifugam manifeſtam corticis in iſtis febribus ita oſtendit efficacem, vt ex hac medicatione feliciter euenerit, quod, vt ait, "*Stahlius* "ex nulla methodo in febribus ſperet. Nos enim, inquit, "(1) in hac epidemica plerosque ſcimus euaſiſſe, qui debite "hac methodo vterentur, cum illi, qui negligerent, nume- "roſa hinc inde redderent funera. (2) Compertum habe- "mus, arte tali ſic cicuratum eſſe malum, vt duratio illius "multo breuior eſſet. (3) Symptomata multo leuiora, quam "ſi morbus ſibi relictus eſſet. (4) Denique ſanctiſſime poſ- "ſum affirmare, non vna ſolum vel altera vice feliciter hanc "rationem ceſſiſſe, ſed conſtanter in quam plurimis voto no- "ſtro & ægrorum reſpondiſſe." (n) Taceo exempla dudum feli-

(l) hiſt. febr. epid. p. 70. (m) p. 71.

Apinus quo cortice vſus ſit?

(n) Si viri eruditi & vtriusque corticis vires experti, hæc, & libellum totum lectu digniſſimum, legerint attenti relegerintque, mirum eſt eſſe, qui non dubitent, *Apinum* caſcarilla, ſeu china ſpuria, non ipſo vero cortice vſum eſſe, quem vbique nominat, niſi quod ſemel obſcuram nominis caſcarillæ mentionem facit. Sunt tamen, quibus lubet, modo ſententiæ iſti ſuperſtruere coniecturas de viribus caſcarillæ, quæ experientiam teſtem non reperiunt, modo auctoris experimenta vanitatis arguere, quia ſibi non ſuccedunt, chinam ſpu-

feliciter per corticem curati huius affectus cum febre ſoporoſi

ſpuriam pro vera vſurpantibus. Reiicit *Apinus* corticem ſtypticum & acerbum, quem & *Badus* & *Mortonus*, & ceteri reiiciunt. Eligit magis amaricantem, ſaporis nauſeabundi & ingrati, & qui guſtatus adſtrictionis ſenſum linguæ imprimat, quod verum corticem probe deſcribit; odore autem, qui in cascarilla ſine igne debilis eſt, grato aromatico præditum, & admodum fragrantem, quod *Blegny* aliique de vero cortice laudant; ſpecie externa tubulatum, qualis eſſe ſolet, ſi tenerior eſt; extus cinereum, graue china, quod vero cortici eſt frequentiſſimum; intus cinamomeo colore reſplendentem, quod fere rem omnem conficit, quia, quantum ego reſciui, is color & ſplendor in caſcarilla nunquam apparuit; aut ferrugineum, qualis etiamnum paſſim vulgatur, & quem, obſcure indigitato caſcarillæ nomine, *corticem nouum vocat, ſed ſapore, odore, ac reliqua forma prorſus eadem*, quod de noſtra caſcarilla falſiſſimum foret. Immo, ad vires reſpiciens, tres illas ſpecies, nempe ſtypticam acerbam, & alteram intus cinamomeam, & tertiam intus ferrugineam, vnius arboris proſapiam eſſe putat: quum tamen caſcarillæ vires, penitus diuerſæ, locum illi iudicio neutiquam faciant. Prouocat paſſim ad alios medicos, qui indubie china vera vſi ſint, quaſi idem, quod ipſe, ſenſerint & experti ſint, quod ad caſcarillam nullo modo quadrat. Neque video, cur, *Mortonum* imitaturus, diuerſiſſimum remedium elegiſſet. Caſcarillæ nomine Hiſpanis veram corticem Cinchinam venire docent *Redi* experim. natur. p. 163. &, quem *Apinus* allegat, *Stiſſer.* febrium intermittent. conſid. noua, c. 16. Ipſe etiam *Apinus* nomina confundere, neque eam, quam nunc vocamus, caſcarillam bene noſſe videtur, quippe tunc vix cognitam: dum corticem verum, cuius odorem & ſaporem & vires dudum, vti dicit, expertus fuit, cum ſpuria illa confundere vix potuit. Vid. præſertim *Apini* præfatio & §. 40. 50. 51. Conf. infra ſection. huius §. 3. Chinam ſpuriam tunc adhibitam, & illi auctori intellectam, putant, alius ab alio ad putandum inducti, viri clariſſimi, *Bœclerus* ad Hermanni cynoſ. *Lentilius* eteodr. p. 1325. *Stahlius*, tum

roſi apud *Bonetum*, *Cohauſium*, *Mortonum*, *Camerarium*, *Sydenhamium*, *Puerarium*, *Raygerum*, *Reſtaurandum*, *Heluetium*, *Bianchium*, aliosque reperiunda. (o) Idem remedium apud nos, & in multis Germaniæ locis, in præcauenda ſimiliter imminente pernicie, tot tamquam conſpicua edidit vtiliſſimæ virtutis ſpecimina, vt ipſis etiam, qui contra ſenſerant dixerantque, & admirationem, & confeſſionem, & imitationem expreſſerit veritas, & manifeſta ceterarum medelarum imbecillitas, aut infida efficientia.

§. II.

Methodus medendi in paroxyſmo & vbi quid contra corticem indicat.

Quum ad aliquem ægrotantium acciti ſumus ſigna ſupra memorata habentem, in paroxysmo quidem febris non admodum ſoporoſo nihil moliti ſumus, niſi quod remediis temperantibus & reficientibus, cum ſpiritu forſan volatili acido, & infuſo vel decocto theæ, tempus & ſitim fallere, calorem & putredinem moderari, ſoporem vero præcipue arcere, & criſin acceſſionis exeuntis rite promouere, ſategimus. Cantharides etiam cruribus admouere conſultum duximus, ita vt finiente paroxysmo efficaciam exſererent, ſub cuius exitum, probe perpenſis coctæ, vel turgentis plenitudinis, & tendentis naturæ indiciis, quæ ex generali methodi lege huc transſcribere non opus eſt, euacuationem aliquam inſtituendam omittendamue præcepimus, quarum nullam

tum alibi, tum in collegio practico p. 702. ſqq. & 888. *Storchius* ibi in notis, *Iunckerus* in tabulis therapeut. p. 467. qui vterque effectum alibi non reſpondere dolent: quod in febribus intermittentibus, &, quæ ex earum genere ſunt, metuendis & pertinacibus, ſi cascarilla intelligenda eſt, etiam nos dolere, & ſuam viro experientiam, & illi ſtatui epidemio, relinquere cogimur. Exaduerſo, ſi qua veri corticis ſpecie vſus eſt, quod mecum iudicant celeb. *Valentini* in hiſt. ſimplic. reform. *Zornius* in botanol. medic. aliique, reſpondet omnino multiplex per diuerſas regiones conſtitutionesque experientia ſummorum medicorum.

(o) v. ſect. 1. §. 3.

nullam vniuerſim & ex ſua natura indicat febris (a), multo minus cruditas, quam degeneres Hippocratis filii expurgandam vbique neceſſario eſſe populo perſuadent: id qnod, ſine orgasmo, & naturæ niſu, vix niſi in longis, pertinacioribus, aut immobilibus febrium generibus, locum habet, vbi quaſi per μετασυγκρισιν medicari, aus κατ ἐπικρασιν partim coquere humores, partim euacuare debemus. In febribus ſane haud ſubito periculoſis præparationes multæ medicationesque præuiæ & licent, & indicantur, quas ob periculi velocitatem vitare iubemur, & quibus opus non eſt, vbi humores vel nimium mobiles ſunt, aut, ſi moueantur, facillime aberrant. Legi merentur, quæ de catharſeos vſu & abuſu in febribus poſt alios nuper monuit cl. *Cohauſen*, (b) & de venæ ſectione uiri doctiſſimi, *Ramazzinus* (c) & *Bianchius* (d). Semper heic reſpexi- *Venæ ſectio.*

K mus

(a) *Sydenhamius* epiſt. I. p. 387. de apoplexia ex febre intermittente, "quamtumlibet, inquit, "euacuationes omnes cuiuscun- "que generis demum ſint, indi- "cari videantur, ad reuellendos a "cerebro humores, vt in apople- "xia primaria fieri ſolet; eædem "tamen omnino omittendæ ſunt, "vtpote quæ originariæ huius "ſymptomatis cauſſæ, febri nem- "pe intermittenti, proſus aduer- "ſantur, ac proinde mortem ac- "celerant, quod ipſe noui." Moderamine tamen in his opus eſt.

(b) archei febrium fabri cap. 5. integro. add. *Brunonis* remoræ ac impedimenta purgationis, exercit. 3. *Werloſching* de curation. vernal. & autumn. c. 10. *Hecquet* de purganda medicina a curarum ſordibus.

(c) in conſtitut. epid. oper. p. 145. ſq.

(d) Hiſter. hepat. p. 202. 228. 640. add. *Syluius* prax. med. append. tractat. 9. §. 167-178. tractat. 12. §. 676-688. *Stahlii* diſſert. de venæ ſectione in morbis acutis, & in de febribus compoſitis ex acuta periodo §. 51. vſque ad finem: cui iungatur *Hoffmanni* medic. ſyſtem. T. III. ſect. 2. toto cap. 9. vbi, vti hi duo viri docti perpetuo ſibi inuicem contrarii eſſe ſolent, de *Stahliana* ſententia ita p. 599. "cenſet. Miror ſane haud exigui "nominis viros, venæ ſectioni alias

mus ad metuendam ferociam inſtantis paroxysmi, & magnitudinem imminentis periculi, neque tempus neceſſario laudati corticis vſui per alia molimina præripi paſſi ſumus, niſi ea omnino viſa ſunt neceſſaria, & quæ tantisper differri nequiuerint, donec a febri ſecurum præſtitiſſemus ægrum. Venæ ſectione pro plethoræ, orgasmi, & virium modulo, plenitudinem minuere, ſtaſes, inflammationes, & raptus ad cerebrum præpedire, & orgasmo ſanguineo naturæque nutui obſequi, in pluribus neceſſum fuit (e), Diuerſitas nationum, regionum, diætæ, habitusque cuiusuis corporis ſingularis, & plethora vera, & orgasmus ſanguineus generalis, & magis particularis in inflammatione, aut congeſtione, & magna illa indicatio iuuantium & non iuuantium ſub ſtatu epidemio communi, vel ſingularium corporum ſimili, pro morbi temporibus, hoc artis auxilium ſeu indicant, ſeu moderantur. Locum oſtendunt excretionum naturalium ratio, & adſuetudo, & niſus naturæ bonus aut malus, qui, prout magis minuſue facile aut ſecundari, aut auerti poteſt, modo propinquæ magis & connexæ, modo remotioris & diuerſæ venæ ſectione opus habet, prudentis & attenti medici ſub moderamine

ne

* obſeruat partic. 13.

"alias eximie patrocinantes, con-
"fidentius tamen aſſerere, eam-
"dem in omnibus febribus acu-
"tis, benignis & malignis, exan-
"thematicis, vel minus talibus,
"nunquam eſſe neceſſariam, ſed
"ſemper fere noxiam, vnica tan-
"tum ſynocha excepta, nec in
"hac etiam abſolute. At vero &
"ratio & conſtans experientia
"huic aſſerto refragatur. Meta-
"ſtaſes vero ſanguinis ad caput,
"circa tempora, venæ ſectionem
"ciere, fallacia non cauſſæ vt
"cauſſæ videtur. Eodem modo,
"immo frequentius id euenit,
"vbi venæ ſectio omiſſa, quam
"vbi admiſſa.

*(e) Memorabilis eſt obſeruatio *Ballonii* epid. L. 2. p. 267. "No-
"bilis, inquit, vir febre tertiana
"laborabat. Medicus, qui illi
"medebatur, vti erat ἀιμοφοβος,
"detractionem ſanguinis negle-
"xit. Quarto paroxysmo, ruptis
"veluti venis, & facto impetu
"quodam in partibus internis,
"tanta foras excretio ſanguinis
"eſt conſecuta, vt eo ipſo die
"illi obeundum fuerit.

ne (f). Neque ea ſubiuncto ſaltim cortice Peruuiano vnquam hoc rerum ſtatu nociua fuiſſe obſeruata eſt, neque illi tempus ademit, quippe quia incipiente paroxysmi declinatione ſtatim fieri potuit. Si qua per ſuperiora euacuatio indicata ſit, eam præcipue infuſi croci metallorum vncia circiter vna, medicamento, ſi ex indicatione eo vtamur, ne- Vomitio.

(f) Vbi ſanguis vel vera quantitate, vel pro lentoris impetusque proportione ad vaſa viresque motrices, abundat, aut ſupra modum turget ſalutarem, tunc ſæpe quidem quælibet vena cum fructu, aut ſine noxa ſecatur, quum omnia confluant & conſpirent, & naturæ niſus medentium male diſtinguentium errores corrigat: vnde medicorum diſſentientium prouocatio oritur ad experimenta felicia ex loco venæ ſectionis diuerſisſimo, in quouis morbo rerumque ſtatu, quæ contraria eſſe videantur. Non tamen corpus noſtrum pro nuda machina tubuloſa hydraulica haberi debet, vbi ſanguinem & humores velut meram & æquabilem vbicunque aquam, vaſa velut ſimplices canales, ſolo diametro & ſitu diuerſos, & æque fere vbiuis & omni tempore penetrabiles, conſideremus. Neque ergo putandum eſt, perinde ſemper eſſe, quem venæ ſectioni locum eligas, aut rem omnem facile ex generalibus de reuulſione & deriuatione regulis, in quolibet corpore ſingulari, quouis morbi ſtatu, decidi poſſe, nulla ſigillatim ratione habita tendentis, obſequentis, adiuuantis, renitentis naturæ, & ſenſus, roberis, directionisque, quæ in neruis & fibris diuerſimode notantur, & mobilitatis niſusque humorum, & laxitatis vel ſtricturæ viarum & expectandarum forte excretionum, & ingenii typique morbi cuiusuis, & analogiæ practicæ. Egregie leges reuulſionis & deriuationis oſtendit & applicauit v. cl. *Silva de l'uſage des differentes ſortes de ſaignées.* Attamen eruditiſſime ſcripta mantiſſæ practicæ locum relinquunt. Neque enim ſemper natura, & quouis tempore, quamuis etiam aberrare videatur, voluntati medici, a loco affecto ſanguinem in remota trahere, vel excretiones naturales reuocare ſtudentis, obſecundat. Sæpe, vbi

quaquam violento, & quod, natura forſan inclinante, per inferiora etiam blande euacuat, neque deinceps adſtringit, & velociter ſatis operatur, & in febribus & ſoporoſis affectibus curandis commendabile eſt, finito paroxysmo inſtituimus, quod incipiente, forte aliquando vtile futurum, auſi non ſumus. Tenerioribus dedimus ſulfur antimonii *Glauberi*, quod auctor (g) panaceam, & purgans catholicum ſeu vniuerſale iactat, ſcilicet, quod per vias excretionum omnium, pro niſu naturæ, ſine violentia operetur: quamuis plerumque vomitus aliquot blande proritet, vbi ad grana tria, qua-

vbi contra nitente natura, & morbi indole ac tempore, reuellere aliorſum molitus fueris, male irritabis materiem, niſusque eius pertinaces pertinaciores etiam atque etiam reddes: ſæpe quoque, vbi difficulter amoueri ſe patitur humor ſanguineus in partem aliquam altius incumbens, fruſtra omnino eris, ſi venam in parte diſſita ſeces, niſi ingentem forte copiam emittendo vim inferre poſſis. Neque ſpernendum eſt doctiſſimi, qui contra cl. *Siluam* diſputat, *Hecqueti* ea de re monitum in *obſervations ſur la ſaignée du pied* §. 17. "Medicus, inquit, "vbi morbum curare aggredi- "tur, gnarus eſſe propenſionis, "& conſenſus, & communica- "tionis, quæ varia vaſis humo- "res vehentibus competunt, & "medicationes ſuas ad hanc nor- "mam moderari debet, ita vt ni- "hil moueat, niſi quæ euacuare "debet, & per eas vias, quæma- "xime conueniunt. Neque enim "quidquam tantopere timen- "dum ipſi eſt, quam ne quid hu- "moris excitet, aut in motum "agat, quod irritare periculo- "ſum ſit. Nam haud quæuis ma- "teria iter a medico monſtratum "ſequitur, vbi id peregrinum eſt. Plura de his omnibus, & pro virili accurate, ex legibus mechanicis, hydraulicis, & hydroſtaticis, ad anatomen & ad experientiam propriam & alienam collatis, diſquirere animus eſt, vbi de ſanguinis miſſionis vſu & abuſu in febribus agemus. Eædem leges competunt aliis euacuationis, deriuationis, reuulſionis præſidiis.

(g) V. eius pharmacop. ſpagir. p. 20. ſeqq.

quatuor, vel vltra datur (h). Aluum, vbi id requirebatur, vel pulpa tamarindorum lactis sero soluta, salibus laxantibus, aut simili remedio solvimus, quod neque feruorem & raptus peruersos, neque strictam deinde aluum inducere soleat; vel enemata solum iniecimus (i) largiter nitrosa, *solutio alui.*

*(h) Cel. F. *Hoffmannus* in notis ad *Poterii* pharmac. spagir. p. 560. hoc remedium insigniter laudat, nomine panaceæ *Conerdingianæ*, a *Conerdingiis*, medicis inclitis, archiatris Brunsuicensibus, quibus in frequenti vsu fuit cum cremoris tartari & lapidum cancrorum granis aliquot, & momento cinnabaris mixtum, & panaceæ solaris nomine insignitum. "Præparationem veram etiam exhibet, ex "antimonii & nitri singulorum "parte vna, salis tartari dimidia, "mixtis & in crucibulo in fluorem actis. Hinc massa exemta hepatici coloris a superiori "parte separata coquitur in aqua, "lixiuium filtratur, ipsique in"funditur solutio tartari crudi "cum aqua simplici facta. In "fundum sic deiicitur puluis flauus, qui fluuiali bene edulcorandus & exsiccandus est." Remedium est infantibus & tenerioris texturæ corporibus aptissimum. Damus vel recens natis pro vomitu ciendo octauam grani partem, trimestribus sextam, semestribus quartam, annis culis dimidiam, bimulis granum integrum, & ita vlterius pro ætatis & materiæ & virium ratione. Adultis sufficere solent grana quatuor. Auctor aliique ad decem vsque dederunt, & æque blandam vomitionem obseruarunt, vnde dosis etiam in tenellis sine metu aliquantisper augeri potest. Minora præbia, vomitum rarissime ciere solita, ad granum pro adultis vnum, vel infra, aliis remediis, pro vi resoluendi & penetrandi augenda, feliciter in variis morbis adduntur. v. *Hoffmannus* l. c. F. *Schraderus*, medicus olim Helmstadiensis χαριεσατος, in dissertatione de medicamentorum Galenicorum & chymicorum necessitate, *Lentilius* iatromn. p. 291. *purgans catholi cum Glauberi*

(i) *Crato* consil. 26. L. V. solis enematibus febres curari docet, vbi ægri initio paroxysmorum tormina ventris sentiunt, turgentis humoris, & ad alui vias tendentis indicia, id quod præcipue in tenella ætate sæpiuscule verum reperimus, exhibito præsertim breui ante iniectionem sulfure antimonii *Glauberi*.

aut, pro re nata, acriora, & quæ, verbi cauſſa, aquam emeticam, aut colocynthidis pulpam in petia ligatam reciperent, aut ex ipſo cortice febrifugo ad *Bagliuianum* & *Heluetianum* morem (k) parata: quæ tuto & cum fructu, pro febre reprimenda, ibi etiam repeti idemtidem per iuſta interualla potuiſſe, vbi interius adhibendi abunde corticem locus vix fuit, aliquoties poſt multorum excellentium medicæ artis magiſtrorum tentamina experti teſtamur. Si ægrum ſopore iam, aut apoplexia, oppreſſum reperimus, apoplectici inſtar affectus, ſed cum febre iuncti, curauimus morbum, veſicatoriis pluribus ad carpos, nucham, & ipſi capiti raſo admotis, venæ ſectione iuſta, ſcarifatione (l), hirudinibus (m), ſternutamentis ex elleboro albo vel tur-

(k) *Bagliuus* prax. medic. l. 1. c. 13. §. 9. primo id ſibi in puero quinquenni, qui nihil per os admittebat, tentatum feliciter laudat. *Heluetius* methodum curate deſcribit in *methode de guerir toutes ſortes de fievres ſans rien prendre par la bouche*, quod remedium paſſim deinde imitati leguntur alii. Confer. I. P. *Albrechti* obſeru. eph. nat. curios. dec. 3. ann. 3. 127. & ſimillimus πραακτικωτατε parentis filius Io. Güntherus *Albrechtus* in diſſert. Lugdunenſi de enematum vſu §. 35. cl. *Valentini* diſſ. de febre hæmoptoica, prax. infallib. T. I.

(l) Cucurbitulas ſcarificatas capiti impoſitas præſentaneum apoplexiæ nominat remedium *Höfer* herculis medici Tom. I. L. 1. c. 1. ſummum & vnicum *Senuertus* prax. L. 1. Part. 2. c. 33. In *Fracaſtorii* vita operibus "præmiſſa narratur, ipſum, apo-"plexia correptum, manu ſæpe "in verticem exporrecta, iis, qui "aderant, innuere voluiſſe, vt ce-"leriter cucurbitula affecto & "laboranti cerebro ſubuenirent, "quo ipſo olim peropportuno "remedio monialem ſe curare "meminerat (ſed re nequaquam "intellecta, fruſtra exſpectato „remedio, exſpiraſſe.

(m) conf. *Stahlii* diſſert. de hirudinum vſu c. 4. 5.

turpetho minerali (n), frictionibus, aliisque (o) notis excitantibus, & epiſpaſticis, exeuntis maxime paroxysmi tempore. Neque tamen ſectionem venæ iugularis, poſt *Trallianum* (p), *Actuarium* (q), *Villanouanum* (r), *Iacobum Carpenſem*, (s) & Aegyptios (t), a M. Aurelio *Seuerino* (u), *Mortono* (w), *Freindio* (x), *Lancisio* (y), feliciter inſtitutam, neque arteriotomiam, præcipue in temporibus, quam, *Galeno* iam & Arabibus & Ægyptiis cognitam, hisque vniuerſim maxime frequentatam (z), recentius poſt *Seuerinum* (aa) *Cathervvoodius* (bb) impenſe laudauit, tentare adhuc licuit. (cc). Inclitum medicum noui, qui bis fruſtra apoplecticis ſe adminiſtraſſe profeſſus eſt. Plantas pedum aliqui, haud ſine quodam ſucceſſu, cauterio inuſſerunt, nempe, quod ferrum phlebotomi ſanare non poſſet, igne ſanandum rati. Notus antiquitus eſt ad ſoporoſos affectus vſtionis vſus, quamuis locus recenter magis, & ob acutiſſimum

(n) v. *Decker.* ad prax. Barbett. c. 3. p. m. 34.
(o) conf. *Neucranz* de purpur c. 32. de ſopore, ill. *Boerhauius* de cognoſcend. & curand. morbis aphor. 702. 706. de comate febrili, *Aetius* ceterique veteres de lethargo.
(p) libr. medical. 4.
(q) method. medic. l. 3. c. 1.
(r) de regim. ſanitat. c. 37.
(s) qui in iſagoge anatomica modum ſecandi luculenter deſcripſit.
(t) apud. *Alpinum* de medic. Aegypt. p. 2. 59. 60. l. 2. c. 10.
(u) de medic. efficac. P. II. c. 16.
(w) exercit I. c. 9. §. 25.
(x) v. comm. ad epid. Hippocratis ſect. 2. vbi res erudite diſcutitur.
(y) L. II. epid. 4. c. 6. §. 40.
(z) conf. docte hanc in rem ſcripta ab *Alpino* de medic. Aegypt. l. 2. c. 11. 12.
(aa) de efficaci medicina. l. c.
(bb) in *a nevv method of curing apoplexy.* add. celeb. *Heiſteri* chirurgia P. II. c. 39. §. 4.
(cc) conf. de venæ iugularis ſectione doctiſſimus *Silva de l'uſage des differentes ſortes de ſaignées ch.* 7. & 8. p. 176-248. & de arteriotomia p. 248. ſeq. add. *Riuerius* prax. med. L. I. c. 2.

mum ſenſum ſapienter electus. (dd) Neque imitari auſi ſumus remedium *Radcliffii*, medici Angli famigerati, qui, reiecta omnino ſanguinis miſſione, in morbis ſoporoſis febri ſuperuenientibus reſinæ ialappæ ſcrupulum ſucceſſu mirabili exhibuiſſe perhibetur (ee). Multo minus *Riverii* experientia permoti ſumus, vt ſoporem laudano ſoporifero curare aggrederemur, quemadmodum is in febre tertiana duplici mulieris hyſtericæ feliciter auſus eſt (ff). Si quid in os infundere licuit, explorauimus ſuccum naſturtii aquatici, ab *Eugaleno* (gg) tam inſigniter in his caſibus celebra-

(dd) v. diſſertatio Helmſtadienſis de apoplexia & eius generoſioribus remediis, ſub præſidio Brandani *Meibomii*, filii & nepotis medicorum illuſtrium digniſſimi, diſputata, vbi res ex *Miſtichelli*, Itali, tractatu de apoplexia, explicatur figura æri inciſa, quam etiam exhibet celeb. *Heiſteri* chirurgia edit. rec. P. II. c. 22. §. 4.

(ee) in *Allen.* ſynopſi medic. pract. c. 3. §. 24. Si quid eiusmodi audendum eſſet, prætulerim ex antiqua *Tralliani*, *Ruffi*, *Oribaſii*, et aliorum experientia, pharmacum, quo *Borellus* cent. I. obſ. 52. lethargum, quem vocat, desperatum feliciter curauit, ex caſtorei ſcrupulis duobus & vno ſcammonei, pro duabus cum oxymelite doſibus. conf. *Freind.* ad epid. Hippocr. comm. 7. p. 155. ſqq. & 203. ſqq. vbi purgatio in comate variolis, & capitis eryſipelati ſuperueniente, laudatur. Solui forſan præſens ſopor catharſi potuerit, & res in ſtatu ancipiti tentari: ſed metus eſt, in hoc morbo paroxyſtico, ne malum inſequente paroxyſmo, eoque, natura turbata, forſan accelerato, ingraueſcat, vti a purgatione ſolet, ni tempus abunde ſuppetat febrim cortice reprimendi.

(ff) obſ. 26. cent. 2.

(gg) v. loca ad §. III. ſupra adducta, præſertim p. 202. *Foreſtus* L. 10. obſeru. 38. naſturtium aquaticum coctum & in acetario ad carum commendet. *Rondele-*
"*tius* in methodo curandi mor-
"bos c. 19. de ſubeth, prodeſt,
"inquit, edere naſturtium aut co-
"ctum in iusculis, aut crudum in
"acetariis. Nihil enim eſt, quod
"cerebrum magis exſiccet, &
"vigilias excitet, quam naſtur-
tium:

lebratum, & quamuis in noſtris quidem febribus ſoporoſis, non æque forſan exquiſite ſcorbuticis, haud ita mirabilem efficaciam obſeruare licuerit, ſollertiſſimi tamen viri auctoritate, noſtræ & plurium experientiæ non poſſumus non in poſterum commendare. Fruſtra omnino aliquando dedimus, forte quod nimios iam progreſſus fecerat morbus, id quod ipſe auctor excipit. Nuper haud ſine fructu eiusdem plantæ ſemen emulſum chirurgo, quem antehac memorauimus (hh), præberi viſum eſt. Conualeſcit is nunc ſenſim ſine generoſiori medela, raro exemplo. Potum theæ ægris lubenter dedimus, ſine quo *Puerarius*, *Bonetus*, & *Cohauſius*, ipſum corticem incaſſum datum recenſent, cum eodem vero omne tuliſſe punctum. Præcipue, vti diximus, in paroxysmo, ſuccum naſturtii aquatici, vel ſolum, vel cum ſpiritibus ſalinis volatilibus acidis aut mediis, putredini & narcoſi adverſis, quantum fieri potuit, deglutiendum dedimus. Cum his ſimilibusque tentaminibus tempori, medelarum omnium principi, paroxysmum tandem finienti, rem detulimus. Quando ſolutio adeo fuit imperfecta, vt vix aliqua notabilis acceſſiones intercederet remiſſio, ægris veræ febris inflammatæ ſigna habentibus, comate ſomnolento, vel vigili, tantum non perpetuo obrutis, intenſe vel cum typhomania delirantibus, attonitis, hemiplecticis, immo necroſi propinquis, nihil vtilitatis a febrifugi remedii vſu exſpectari potuit. Tum vero ægrum, velut eius modi ſymptomatis in febrium maglinarum aliqua afflictum, cuius cer-

obſeruat. partic. 4.

"tium: vnde illud prouerbium "in ſomniculoſos: ede naſturti-"um!" de quo *Eraſmi* adagia. Immo & hortenſe & aquaticum inter remedia febrifuga locum meretur a *Syluio* prax. append. tract. 9. §. 151. & hoc ad quartanam ſingulariter laudatur ab *Hartmanno* prax. chymiatr. c. 139.

(hh) ſect. I. §. 5.

ta antidotus non datur, notis artis ſubſidiis tractauimus, eo nonnunquam cum ſucceſſu, vbi ſideratio omnimoda mortem ineuitabilem non induxit, vt, poſt vnius alteriusue paroxysmi tempus, remiſſio magis eximia obſeruata medicamento ληξιπυρετω locum fecerit,

§. III.

corticis electio. Quoties autem illud aduerſus formidabilem hunc affectum, vel inſtare poſſe viſum, vel ſemel iam aut iterum ingreſſum, adhibuimus, toties id præcipue dedimus operam, vt ſufficiens medicaminis copia, ſatis efficaci ratione, ante metuendam acceſſionem intra corpus aſſumeretur. Reiicimus (a) corticem impenſe ſtypticum & acerbum, inſipidum, a ſpecifico ſapore & odore alienum, inodorum, foetidum, putridum, carioſum, nigricantem intus aut flauum, pallidumue, læuem etiam extus & quaſi politum, item leuiorem & ſpiſſum, quodque vulgatiſſimum vitium eſt, a ligno, quippe quod vim illam medicam plane non habet, & molem ſine vllo fructu auget, haud ſeparatum. Eligimus, qui maſticatus guſtum acrimonia & amarore multis nauſeoſo cum aliqua adſtrictione ferit, ſine eximie auſtera acerbitate, ſapore, qui ex acri & amaro velut leniter aromaticus fit, & peculiari modo aliquantum

(a) v. *Blegny remede Anglois* p. 18. ſqq. *Savari dictionnaire du commerce. Pomet traité des drogues ſimples* L. IIII. c. 16. *Lemeri dictionnaire* tit. Kinakina. *Les admirables effets du kinkina* p. 28. ſqq. *Harris* pharmacol. empir. c. 12. *Dale* pharmacol. P. I. claſſ. 3. ſect. 4. §. 7. *Mortonus* exercit. I. c. 8. p. 55. ſqq. *Raii* hiſtor. plant. c. de gannanaperide. *Apinus* præf. hiſtor. epidem. *Valentini* muſeum muſeorum. *Mangeti* biliotheca pharmaceutica. *Hermanni* cynos. mater. med. *Boeclerus* in notis ad eamdem, *Helluigius* de quinquina Europæorum §. 3. *Zornii* nodæ ad *Pancouii* herbarium. *eiusdem* botanologia medica, & ibi adducti auctores plurimi.

tum mucidus (b), cui ſapori odor (c) etiam exacte reſpondeat, ſine corruptionis putridæ notis. Manibus tentatus frangi potius debet, quam in fibras lignoſas diſcerpi, aut in farinam carioſam dilabi. Præſtans eſt, vbi puncta paſſim, ſi fractus ſoli exponatur, ſplendeſcunt (d); ſi fibrillæ pili inſtar tenues abſcedunt; ſi colore eſt intus cinamomum referente, vel magis obſcuro ſeu ferrugineo, forte

(b) Sapores plurimos, & hinc ſalia multiplicis generis, in cortice conuenire notat auctor *des admirables effets du quinquina.* p. 16. ſqq. eosque eo magis agnoſci, quo diutius pharmacum maſticetur: primo enim id reperiri inſipidum, deinde acre, poſtea amarum, & deinde plures ſemper emergere ſaporum diuerſitates, haud penitus explicabiles, ſed guſtu certe cognoſcendas, quæ optima ſit bonitatis nota. Adſtrictionis plane mentionem non facit.

(c) Auctor diſſertationis de corticis vſu cauto & ſuſpecto §. 14. "odorem ſe nullum, ſaporem "plane non aromaticum, depre-"hendiſſe ſcribit." Quod vnde acciderit neſcio: de guſtibus diſputandum non eſſe, in prouerbio eſt. *Mortonus* odoratui in dignoſcendo cortice genuino primas defert, & odorem requirit aromaticum, & peculiari modo mucidum. Aromaticum ſibi reperiri negat celeberr. *Mangetus*, ideoque aliam ſpeciem *Mortono* putat electam. Odoris aromatici vocabulum obſcurius eſt. Nobis multisque aliis, verus & vulgatus cortex, & mucidum illum ſingularem plane, & aromaticum, ſeu acriuſculum ſuaueolentem odorem, a *Mortono* laudatum, ſpirare manifeſto videtur, &, quod præcipuum eſt, effectus illi auctori obſeruatos præſtat, qui a nullo adhuc medicamento notati ſunt. *Blegny* odorem adeo fragrantem reperit, vt remedii huius myrotheca eum valde ſuauem ſpirent. Sub præparatione extracti *Apiniani*, inſignis & pluribus gratus emergit odor, quem & aliæ remedii præparationes, infuſiones, decoctiones, deſtillationes, euidenter manifeſtant: immo ſola in puluerem comminutio nares notabilius ferit.

(d) *Harris* l. c.

pro locorum, vbi creuit, diuerſitate (e); quum extus in ſcabra ſuperficie aliquanto obſcurior, fuſcus, aut nigricans, gryſeoque ſeu cinereo albicante ſæpe colore, vti plurium arborum cortices, infectus, vel hinc inde diſtinctus (f), & quaſi muſcoſus, appareat. Præ denſiori (g) laudamus tenuiorem ſeu mediocriter craſſum, attamen ſatis grauem, præ-

(e) *Pomet* l.c. *Les admirables effets du quinquina* p. 30. ſqq. Præſtantiſſimus cortex creditur, ſed rariſſimus, ex montibus Potoſienſibus delatus, magis fuſcus, aromaticus, amarus, acerque. Vulgatus inter nos eſt, qui in Quitenſis regni Peruuiani montibus prope Loxam vrbem naſcitur. Inferior montium locus proferre fertur deteriorem, ſpiſſiorem, læuem & extus ex flauo albeſcentem, intus caſtaneæ pallidioris colore, & minus amarum; dum ſummitas corticem gignat teneriorem, ſed ſcabrum extus, & fuscum magis, vti intus læuem, magisue rutilum. In media vero accliuitate eum crescere memorant, qui optimus ſit, magis adhuc fuſcum, penitus amarum, & aſperiorem, vt quaſi ſegmentatus videatur. Singulæ tamen ſpecies, modo a genuina arbore deſumantur, eminenti medica, præſertim ad febres, haud deſtituuntur virtute.

(f) Galli id vocant: *chagriné par deſſus*. v. *Savary* voce *quinquina*, *Blegny remede Anglois*. p. 18. qui ſuperficiem argentinam effert. Extrinſecus cinamomeus non æque genuinus habetur. *Pomet* l. c. Nigrum extus, intus cinamomeum, eligit auctor *des admirables effets du quinquina*; album vero extrinſecus, intrinſecus flaueſcentem, minus laudat.

(g) Noluimus cum *Helluigio* de quinquina Europæorum §. 18. adſtipulari vnico *Liſtero*, qui in mantiſſa ad exercitat. de hydrophobia p. m. 56. commendat "corticem trunci, craſſitiei & la-"titudinis volæ manus, magnis "& profundis ſulcis conſpicu-"um, velut ex vetuſta arbore." Sulcis diſtinctum etiam *Blegny* laudat, &, quo aſperior eſt, eo præſtantior merito habetur. *Mortonus* tenerum a ramulis raſum præfert: ſed & in trunco optimarum arborum te-

præſertim vero a ligno leuiori, cuius fruſta ſæpe immixta eſſe *Raius* etiam & *Pometus* obſeruarunt, & nos plerumque vidimus, probe ſeparatum. Sapor & odor præcipua ſunt indicia, quibus natura ſingulariter res odoratas & ſapidas ſingulas donauit raro arti vel mangonio perfecte imitabilibus: & quæ, ſenſu aliquando percepta, a deceptione quemuis experientia pollentem cuſtodire, ſine curioſo ſtudio, poſſunt. Ita ſpecificus ille mucidus ſapor & odor facile diſtinguitur a putrido aquoſo, quem corruptus per infeliciores nauigationes & madefactus cortex ſæpe ſpirat, ægris vltra modum nauſeoſus, & merito ex pharmacopoliis proſcribendus. Iisdem ſenſibus nihil expeditius eſt, quam *chinam ſpuriam*, ſiue *caſcarillam*, a vera di-

indicia præcipua.

caſcarillæ dignotio.

tenerior, & in deteriorum ſpiſſior, gigni perhibetur. *Sponius* in *obſervations ſur les fieures & febrifuges*, accurata & diligenti perquiſitione ſe comperiſſe ait, corticem febrifugum non trunci & ramorum, ſed radicum eſſe. aſſentit *Raius* loco ſupra adducto. Præſtantiſſimum eſſe radicum corticem cenſet itidem auctor *des admirables effets* p. 29 & dignosci lineolis tranſuerſim ſuperficiem ſecantibus. Immo exſtat vol. 24. n. 290. tranſact. phioſoph. p. 1596. rarior obſeruatio *Oliuerii*, qua arbor hæc *querango* Indis vocari, & fructum ferre dicitur a caſtanea ſolo cortice externo diſtinctum, qui cortex, *chinachina* proprie dictus, primum in vſu fuerit, & ab indigenis, præ alio trunci & ramorum, maximi fiat. Ea vero auctorum illorum fides, & remedii potentia eſt, vt omnium partium corticem prodeſſe credibile ſit, &, quod *Fracaſtorius* de ligno ſancto canit, de hac arbore dici poſſe:

- ſpectata nouis virtutibus arbos,
Spes hominum, externi decus & noua gloria mundi.
Fortuna deum manibus, ſata ſemine ſacro.

Semen ipſum *pipitas de quina* Hiſpanis dici, & febribus remedio *eſſe*, *Raius* & *Dalius* memoriæ prodiderunt.

ſtinguere, quæ etiam colore differt, (h) & palato & naribus plerorumque hominum, per ſingulares ſui generis particulas, aliter amaras, minus adſtringentes, magisque acres & pingues, nequaquam vero mucidas, aliquanto magis aromatica & fragrans, præſertim vi ignis & fumi ſuctione videtur (i), quamuis per ſe odore, niſi accendatur, fere de-

(h) Cortex vterque extus aſper eſt, intus læuior, & vterque ſæpiſſime tenuis tubulatus, & colore cinereo ſeu argentino, quaſi lamella quadam, obductus: ſub hac vero, vel vbi hic color externus deeſt, verus cortex obſcurior minusque rutilus quam intus, & ſæpe ferrugineus, apparere, ſed in puluerem minutus cinamomum totus referre ſolet. Caſcarilla, quando color cinereus extus deficit, quod perquam frequens eſt, aut vbi is deraditur, extrinſecus intrinſecuſque fere ſibi ſimilis eſt, colore obſoleto ferrugineo, quem etiam in puluerem redacta ſeruat, etſi intus aliquantulo pallidior. Hæc vilior ſpecies eſt, vnde eſſe puto, quod ligno ita permixta non reperiatur, vti cortex verus, cui cariori artes per myropolia magis inſidiantur. conf. *Stiſſer.* act. laborat. chem. ſpecim. 2. "cuius cap. 9. agit de cortice "eleuterii, id eſt caſcarilla, pro "cortice Peruuiano chinachina "vendito. Ibi, quamuis, inquit, "callidi ſeplaſiarii, fallaciam ſu- "am velantes, corticem eleuterii "ſub nomine *caſcarilla de la oia*, "vel *palo de calenturas*, credulis "obtruſerint, quibus tamen no- "minibus Hiſpani corticem Pe- "ruuianum china china di- "ctum denotant; ſciant tamen, "corticem eleuterii, a Peruuiano "illo, quoad texturam & virtutes, "multum differre. Cortex enim "eleuterii particulis reſinoſis tur- "get, quæ diffracto cortice ſta- "tim in conſpectum prodeunt. "Hinc tenax obſeruatur, & diffi- "culter in puluerem abit, pon- "derositate quoque ſua, grato "ſapore, odore, aliisque quali- "tatibus, a china china diſtinctus "eſt." Eleterii cortex etiam apud *Dalium* in pharmocol. l. c. audit.

(i) Neſcio, vtrum præter vſitatam corticem Cinchinam de caſcarilla ſermo ſit *Mangeto*, an de Potoſienſi veri corticis ſpecie, quum in bibliotheca pharmaceut, T. II. p. 696. ſqq. primo quidem dicet: "cortices kinkinæ

debiliori, quam verus cortex. Hæc vero in febribus profligandis virtute longiſſime eſt inferior, quod expertum quemlibet teſtor, quamuis ceterum magnopere laudabile, & laudatum (k), ſit medicamentum. §. IIII.

"kinæ ſunt craſſitie mediocri, "foris ſcabri, paululum cane- "ſcentes, ſæpe muſco obducti, "intus læues, colore ferrugineo "ſeu cinamomeo, ſaporis acris "& amari: *deinde vero*, hisce pa- "tet, *inquit*, quomodo differant "ab alio cortice, qui etiam nomi- "ne kinkinæ ac corticis Peruui- "ani nobilitatur. Eſt enim hic te- "nuior, foris cinereus, intus ex "fuſco aut obſcuro ferrugineus, "ſaporis acris, amaricantis, ſub- "pinguis, odoris fragrantis. Cor- "tex hic a plurimis præfertur "kinkinæ veræ, quia maior vis "aromatica ei ineſt. Speciem hanc *Mortono* vſurpatam putat, qui caſcarillam plane ignorauit, & qui certiſſime vero cortice ſolum vſus eſt. Similiter fere caſcarillam deſcribit *Hermannus* in cynos. mat. med. niſi quod odorem debilem dicit.

(k) Mirum in modum extollitur a *Stahlio* in not. ad ſatyram Haruei. "Quis credet, inquit, "p. 226. quod ille vix a tringinta "annis cognitus cortex caſca- "rilla ſit remedium, non ſolum "ſine vlla concitatione caloris "ſecuriſſime ſudori viam ſter- "nens, ſed etiam apprime diſ- "cutiens, & reſoluens: *anody- "num* per hæc ipſa ab omni *nar- "coſi* alienum, & tamen hoc et- "iam ſcopo ad ſenſum efficax: 'pectorale nulli alteri ſecundum, 'pleriſq; vero præferendum: *car- "minatiuum*, *anticolicum*, *anti- 'dyſenterium* præpollens: in nul- "la *febre* ſine eximio (modo *pru- "dente*) vſu adhibendum, ſi iuſtis "ſcopis applicetur: *peripneu- "moniæ* quaſi ſpecificum. conf. eiusd. pract. colleg. & ibi annotationes *Storchii*. p. 702. ſqq. Experimenta repetita & comparata, quæ ingentes illas virtutes, magna ex parte nouas, huic remedio æque, ſi fieri poteſt, vindicent, ac vero Peruuiano cortici vis ληξιπυρετος dudum aſſerta eſt, & regulas, quæ laudatum prudentem vſum & iuſtos ſcopos explicent, legitimisque limitibus circumſcribant, communicari clare & diſtincte cum medicorum filiis, tum ab illuſtri illo auctore, tum a pluribus viris experientibus, vellem. *Stiſ- "ſer.* l. c. virtutes, ait, quod atti- "net, febrifugas illi inhærere e- "quidem affimare haud poſſum, "tamen eius vſum in totum haud "reiici-

§. IIII.

Vsus efficax.

Atque hoc quidem, de quo ſcribimus, rerum ſtatu, puluerem corticis ita electi ſubtiliſſime tritum, in ſubſtantia, quod dicunt, longe quippe, vti in confeſſo eſt, & in vulgus notum, efficaciſſima, omnibus anteponimus præparationibus pharmaceuticis & chemicis (a), quas ipſi magni alioquin æſtimamus. Exeunte igitur, & in intermiſſionem, immo vel remiſſionem ſatis obſeruabilem (b), terminato paroxysmo, facta vel omiſſa pro indicationibus euacuatione, drachmam integram puluerís, tertia, immo vel

"reiiciendum, cum particulis re-
"ſinoſis & balſamicis corpori
"noſtro haud ingratis refertus
ſit. Idem tincturas eleganter inde parare docet, quarum virtutes balſamicas, & diureticas, in phthiſi, vti dicit, aſthmate, ſcorbuto, arthritide, calculo, proficuas ſibi repertas laudat.

(a) Recte cl. Elias *Camerarius* ſyſtem. cautel. medic. p. 494. "chinæchinæ eſſentia in extra-
"ctum liquidius redacta, conue-
"nientiſſimum dicitur remedi-
"um: præferent tamen ii, quos
"ſolidior frequentiorque docu-
"erit experientia, puluerís alco-
"holiſati vſum prudentem. Ad mentem *Apini*, hiſt. febr. epid. Herſprucc. §. 48. ex vero cortice optimo extractum cum aqua parari curamus, & phænomena *Apinianis* plane ſimilia inuenimus. Feliciter etiam eo ſæpe vtimur: ſed, hoc morbi ſtatu, ſubſtantiam corticis præponimus, cuius efficaciam certiorem exploratam habemus, & ipſe ille auctor præfert, vbi morigeros ſatis ægros habet. §. 49. Extractum etiam cum vini ſpiritu paratum adhibuimus alibi cum ſucceſſu, ad modum auctoris *des admirables effets du kinkina*. p, 119. *Lentilii* in eteodr. p. 127. 229 1009. Neque ipſam eſſentiam vulgarem ſpernimus. Decoctioni etiam & infuſioni ſua laus manet. Potentius tamen puluerem agere, & cetera ſpem ſæpiuscule fruſtrari, nemo forſan expertus negauerit.

(b) cuius, ſi periculum urget, vel vmbram ſolum ſuperſtitem requirit *Apinus*, ſed ad tempus, vbi remiſſio eſſe debet, & ad regimen pro diapnoe, quam tunc id remedium potenter & ſecure promouet, ſollicite reſpicit. §. 47.

vel altera quauis hora exhibuimus, quocunque modo minime nauſeoſo (c) deglutiri commode potuit, vt vncia vna, aut etiam amplius, in acceſſionum interuallis aſſumta, vel penitus inſtantia ſymptomata auerteret, vel minueret certe, & periculum amoliretur. Et longe tunc profecto tutius maior hæc & repetita, quam exigua &, vano medicamenti timore, refracta & rara doſis, aut neſcio quibus correctionibus caſtrata, præbetur. Quicquid enim metuendum eſt, id non a corticis particulis naturæ amicis, ſed a pernicioſa materia morbida eſt metuendum, ſi incaſſum imbelli remedio tentata fuerit, proximo forte paroxyſmo iugulatum relinquet ægrum, quem ſeruare potuiſſes. De hoc morbo ſane verum eſt, quod poeta de animo iracundo canit:

\- - - - - - - - - *niſi ſeruit*,
Imperat : hunc frænis, hunc tu compeſce catenis !

Immo eadem fere eſt huius remedii, quæ aliorum ληξιπυρετων natura, vt, ſicubi impar domandæ luis ferociæ fuerit, proximum paroxysmum, acta magis in motum materia, aliquanto potius fortiorem interdum, quam mitiorem præſtet, id quod in morbo haud adeo velociter periculoſo non timendum eſt, ſed certo potius omine iuuamen proxime inſtans præmonſtrat : quod paſſim notatum præſagium ſæpiſſime verum reperimus, ſi quas febres doſi non ſtatim adæquata tentauimus. Vbicunque enim ſubitum periculum non timemus, & morbum vel faciliorem fore, vel chronica ſua indole lentam magis medelam probe toleraturum, ſperare licet ; ibi longe minores per quatuor

(c) Elegantiores ad palatum & vſum præparationes deſcriptæ exſtant apud omnes paſſim, quos hac ſcriptione nominauimus, auctores, & mirum foret, ni, eligendo & mutando, reperire aliquas poſſis, quæ diuturniori etiam, vbi opus eſt, vſu, nauſeantibus ægris abblandiantur.

tuor pluriumue horarum interualla doſes, ad ſcrupulum circiter, vel dimidium, vel minus etiam miniſtramus, memores illius Hippocratici: contraria ſenſim induci, & interquiesci debere. His autem in caſibus rem aleæ nequaquam committendam arbitramur. Quare neque tutum heic exiſtimamus, quod in febribus longis & pertinacioribus, & vbi ventriculus ſatis promte digerit, alia ſæpe medela quauis irrita, feliciter ſequimur, quodque ante *Talborium* (d) ſecuti ſunt medici tantum non omnes, ſchedulæ

(d) *Talborius* ille ipſe eſt pharmacopœi filius, Anglus, empiricus, de cuius methodo tam egregia laudat *Pechlin.* L. II. obſeru. 21. vbi aliquid magis arcani ſubeſſe cl. *Cohauſenio* perſuaſit omiſſa nominis & methodi deſcriptio. v. eius archeus febrium faber. p. 102. Quare, & quia ipſa præparandi ratio adeo olim decantata, obſoleta fere, & haud reiicula tamen eſſe videtur, quamuis moderatione ſæpe & diſcretione opus habeat, excerpta huc ex *Blegny* opuſculo *du remede Anglois* p. 41. ſqq. quod deinde latine zodiaco medico inſertum eſt anno V. menſe Ianuario, præcipua capita referre placet, quod paucis fieri poteſt. Tres fiunt infuſi- "ones, quæ primarium medica- "mentum conſtituunt. Cor- "ticis Peruuiani probe electi & "in ſubtiliſſimum pollinem re- "dacti libra vna irroratur per "diem vnam vel alteram idem- "tidem ſucco petroſelini, foe- "niculi, apii, tuſſilaginis, hede- "ræ terreſtris, pentaphylli, de- "cocto aniſi, tinctura roſarum, "aceto ſcillitico, aut ſimili, pro- "conditione morbi & ægroti. "Hinc ſenſim affunduntur vini "rubri menſuræ XV. ſeu libræ "XXX. ſtatimque & deinde "quotidie probe agitantur, ob- "turatur vas, fit infuſio frigida "per dies octo: dein colatur vi- "num per pannum arctum du- "plicatum, & in lagena vitrea "ad vſum ſeruatur, tribus men- "ſibus incorruptum. Dantur "poſt acceſſionem vnciæ tres, "quatuor, quinque, vel ſex, pro "doſi, & deinde ſingulis trihori- "is, extra & per ipſos, vbi opus vi- "detur, paroxyſmos, cum ſucco "citri aut aurantiorum. Bihorio "ante medicinam cibum quem- "cunque aptum dare neceſſari- um

methodus Talboriana.

dulæ illius antiquæ Romanæ, recoctum a recentioribus etiam quibusdam auctoribus, monitum, vt vnico præbio ad drachmas circiter duas dato accedente paroxysmo, vel breui ante paroxysmum, vbi maxima sit integritas, febrim oppugnemus, idque, quoad opus videatur, eo solum tempore repe-

"um habetur. v. præcipue *les admirables effets du kinkina* p. "48. sq. Vbi vnus paroxysmus "iam non rediit, mane solum & "vesperi per quinque dies præbi- "um sumitur. Residuus puluis, "addita denuo libra dimidia, per "decemdium cum eadem vini "quantitate infunditur. Huius "secundi vini per octo dies ma- "ne dosis propinatur. Residua "iterum materies similiter, sed "sine nouo additamento, infun- "ditur, & tertium hoc vinum "per duas hebdomades alterno, "hinc per duas alias tertio quo- "uis mane exhibetur, donec ex "omnibus infusionibus octo "mensuræ consumtæ sint. Per- "tinacioribus febribus oppo- "nuntur drachmæ quatuor vel "sex electarii confecti ex puluе- "re corticis cum syrupo cydoni- "orum aut limonum, bis quoti- "die: aut singulis infusi dosibus "pro re nata instillantur guttæ "quinque vel octo tincturæ, ex "corticis in puluerem minuti "vnciis duabus, cum spiritus "vini vnciis octo ad solem per "quindecim dies digestis, & fil- "tratis, paratæ. Verum sub hoc "velo tinctura opii latuisse vide- "tur. (v. *Blegny.* p. 82.) qua di- "arrhoeas maxime, vel tusses, "& dolores febri iunctos mode- "rari interdum ex re visum est. "Descriptionem & vsum tinctu- "ræ Talborianæ ex opio, sassa- "fras & asaro habet libellus *les* "*admirables effets du quinquina* "p. 134. sqq. Aluus vbi adstricta "fuit, tria vel quatuor cochlea- "ria tincturæ hieræ picræ cum "vino paratæ singulis infusi præ- "biis addere placuit. Hæc illa est methodus, quam rex Galliæ ab Anglo empirico duobus millibus Ludouicorum aureorum & annuo stipendio totidem Francorum, addita dignitate equestri, emtam in publicos vsus euulgauit, quia omnibus febribus intermittentibus cito, tuto, & sine reuersionis metu debellandis, sufficere prædicata est. Agnouerunt certe vel inuiti, ne dicam inuidentes, medici artis peritissimi, melius huic empirico, & constantius, quam sibi ex voto cedere corticis vsum, & ante editionem publicam aliqui iam hariolati

sunt

tamus, quæ methodus omnibus aliis, tanquam vnice efficax, præfertur a *Liſtero* (e). Atque vbi medicus haud ſatis mature ante acceſſionem accedat, quin dimidiæ minimum vnciæ pondus ſenſim miniſtrari poſſit, manum de tabula abſtinendam putamus. La-

ſunt, poſt multa, vt diuinarent, tentamina, hanc rem, quam negare non poterant, ſingulari præparationi, vel multiplicatis doſibus deberi, certiſſimæ rationi paroxysmos recidiuos præcauendi: vt ait *Blegny* zodiac. ann. 1. m. Ianuar. obſ. 1. Rex ipſe Ludouicus, & plurimi ex eius familia principes, & alii magnates, & ingens hominum numerus, hac methodo conualuerunt ex febribus intermittentibus & continuis. conf. *les admirables effets du quinquina*, libellus Pariſiis editus 1689. auſpiciis *Fagonii* comitis archiatrorum, vbi docetur ratio Talborianam methodum ad temperamenta, ætates, & morbi differentias accommodandi, mutando vehiculum & doſin, ac ſubſtituendo aut addendo ſubſtantiam corticis, aut extractum. Hinc nata eſt primum methodus nunc vbique fere recepta, qua cortex poſt paroxysmum, & deinde per aliquot horarum interualla, partitis vicibus, aſſumitur, & ipſo ſanitatis tempore diu continuatur, quum antea medici, ſolitum in vſu medicamentorum febrifugorum amarorum morem ſecuti, omnes breui ante acceſſionem hoc remedium dederant, idque plerumque, ſimulac ſanitas rediiſe viſa erat, ſepoſuerant, idem illud, repetente forſan febre, repetituri, donec vel, tempore adiuuante, perpetuo euanesceret morbus, vel aliam faciem indueret, & medentium circulos plane turbaret. Hinc ergo illa laudatio *Pechliniana*, haud profecto iniqua, ſi mentem acutiſſimi viri recte intueamur, qui empirici inuentum docta methodo moderari procul dubio nouerat.

(e) in mantiſſa ad exercitat. de hydrophob. p m. 55. ſqq. Probatur etiam *Dolao* encyclop. med. p. 185. Conſentire videtur vir experientiſſimus, Io. Maurit. *Hoffmannus*, in notis ad *Hartmanni* praxin chimiatr. p. 980. *Bartholinus* qui hiſt. anat. cent. 5. hiſt. 50. ſchedulam illam Roma- "nam integram exhibet, profi- "cuum eius methodi vſum Ro- "mæ aliquot hominum millia "experta eſſe teſtatur, quum anno

Laborabat ante aliquot annos vir, in quadem vicinæ nobis prouinciæ vrbe, fere ſexagenarius febre tertiana intermittente ſoporoſa. Accitus medicus magni nominis inſtantem paroxysmum exitioſum fore ex feralibus indiciis auguratus, & vnam ratus ſpem ſupereſſe in ſpecificæ antidoti virtute, poſt ſatis longas conſultationes & disceptationes, corticis doſin, vnam exhibuit; ſed, ſuperueniente ante alteram paroxysmo, nihil inde opis pro auertendo triſtis prognoſtici euentu præſtari potuiſſe expertus eſt. *obſeruat. partic. 14.*

Datum pro re nata feliciſſime eſt medicamentum vel ſolum, vel additis aut interpoſitis ſucco naſturtii aquatici, & inde paratis, potu theæ, cafe, ſpiritibus & ſalibus volatilibus acidis, alcalinis, mediis, qui & venenis ſoporiferis aduerſantur, & corticis virtutem intendere creduntur *Raio*, *Pitcarnio*, *Heluetio*, *Hoffmanno*, *Mangeto*, *Cohauſio*, & aliis. Redeunte forſan paroxysmo, qui, ſi recte fiant omnia, teſte multoties repetita experientia, leuior & periculi expers futurus eſt, non, niſi quæ temperant & reficiunt, dare licebit, omiſſo tantisper cortice, donec accedat declinatio. Aer, & διαφορητις, quæ, æque ac διαρρητις & aliæ excretiones, naturæ roboratæ viribus expeditius a cortice ſuccedere ſolet, iuſto in moderamine ſeruari. Paroxysmo & ſudore penitus exantlato remouenda ſunt lintea halitu febriculoſo inquinata, quæ mutatio deinde etiam ad plenam uſque ſanitatem eo tempore repeti debet, ea cum cautione, vt lintea probe ſiccata, & alii forte homini ſano per noctem adhibita vſurpentur.

"anno 1653. febres malignæ "quartanæ ſimplices & duplices "in vrbe graſſarentur. *Schelham.mer* in genuina febrium curandarum methodo p. 142. & ante "& poſt paroxysmum officium 'præſtare corticem expertus me- "morat, illud autem non niſi "præparato prius ſanguine, hoc "vero ſemper, vt medicus de ef- "fectu ſecurus eſſe poſſit.

§. V.

Pulſus continuatus. Declinante acceſſione repetendus eſt ſtatim cortex, nullaque alia medicina, niſi quid vrgeat, interpolatus, in notabilium paroxysmorum interuallis tertia vel quarta quauis hora dandus, neque deſiſtendum eſt prius, quam paroxysmi fugati ſint penitus, & æger cum ſanitate in gratiam rediiſſe videatur: adiuuante optima diæta (a), &, quam primum fieri poteſt, moderato motu in aere liberiori puriorique. (b) Pulſus æquabiliter perpetuo bonus ſit, lingua

(a) Hanc vbiuis, apud auctores deſcriptam huc exſcribere opus non eſt. Id tamen hic notare placet, vtile eſſe illud *Talborianum* monitum, cibo aliquo conuenienti, bihorio circiter ante & poſt corticem præbitum, ſuſtentandum eſſe ægrum, habita tamen paroxysmi ratione, qui præſens vel proxime imminens nutritionem prohibet. Sunt qui, neglecta hac de ſumendo alimento admonitione, a vi remedii potenter digerente, & tonum ventriculi, qui per febres debilis eſt, roborante, dolorem quemdam ſtomachi rodentem, &, vbi teneriores ſunt, quaſi leue animi deliquium patiuntur, quemadmodum ab exinanitione longaque fame contingere ſolet. conf. *les admirables effets du quinquina* p. 49.

cubitus in lecto. (b) Experientia tamen teſtatur, metuendum non eſſe, ne per neceſſarium debilibus in lecto cubitum, teporemque moderatum & æquabilem, efficacia remedii certiſſimi ſufflaminetur, quod videtur innuere *Sydenhamius* ep. I. p. 383. *Raius* in hiſtor. plant. c. de gannanaperide, eadem quæ nos de hac *Sydenhamiana* cautione expertus monet. Immo potius exhortamur ægros, vt tempore paroxysmi, etiamſi is ſemel iam iterumque non redierit, lectum petant, vt vires conſeruent, & ſponte forſan euenientem διαφορησιν caute expectent. In omnibus morbis acutis, & in febrium paroxysmis, & in quauis debilitate inſigni, & vbi lipothymia timetur, a doloribus, ſanguinis aluique fluxibus, puerperio, abortu, immo a ſanguinis miſſione, regula practica vtiliſſima eſt, vt æger, quantum fieri poteſt, quietus, in ſitu fere horizontali, ſeruetur, capite non niſi

gua ſana, vrina qualis per ſanitatem conſueta, vel ſolito limpidior aliquantum & copioſior, appetitus naturalis, vel naturali acrior, nullus dolor, nulla functionis turbatio, quæ ſub febre acciderunt, præſertim per interualla paroxysmorum, affligat amplius, laſſitudo corporis quaſi vlceroſa, & cutis color febrilis euanuerit, antequam a continenti corticis vſu deſiſtas. Atque hæc, ſi quid in arte certi eſt, certiſſime ita euenient (c) intra vnius plerumque, vel ſatim alterius hebdomadis decurſum, niſi rarius leuiuſculæ quædam ſine febre reliquiæ, vel moleſtiæ conſuetæ ante morbum, vel aliunde ortæ, remaneant, quæ cedere indies magis magisque medelæ continuatæ detrectent, atque ideo, facta intercapedine, ὑστερεργιαν paullisper expectari ſuadeant. Imminui doſis periculo ſuperato poteſt, ſed non facile, his quidem in caſibus, vbi vitæ periculum inſtans adfuit, infra ſcrupulum vnum, vel drachmam dimidi-

niſi pauxillum erectiori, ne, ſanguine difficilius adſcendente ad cerebrum, ceterasque partes ſuperiores, tum cor cum reliquis viſceribus inferioribus obruatur, tum ipſa neruorum fibrarumque motricium œconomia, omnibus corporis functionibus conſeruatu neceſſaria, labaſcat. Graues ſæpe moleſtias, immo noxas & pericula, a ſpreto hoc vel neglecto monito obſeruauimus. Conſpirat nobiscum elegans diſſertatio *Hoffmanniana* de ſitu erecto in morbis acutis periculoſo, & eiusdem viri medic. conſult. vol. 2 p. 76.

(c) Experientia euincit, non deberi remedio, ſed molitioni non adæqnatæ & præter rem timidæ, quod *Ramazzinus* p. 226. plenam απυρεξιαν cortice obtineri non credidit, pulſu ſem- "per remanente paruo, & "cum aliqua frequentia. Exſcripſit hunc errorem manifeſtiſſimum, rem plane non expertus auctor de impoſtura corticis p. 12. Prouoco ad ceteros, quos paſſim nominaui, obſeruatores omnes, & quemlibet medicum expertum, & plura inter nos experimentorum millia. Experientia perfecta refellit imperfectam, continuata abruptam, ſimplex eam, quæ variis fruſtra medelis aliis interturbatur.

midiam, vel quantum fere æquipolleat decocti aut infusi, ter, quater, quinquies, vel sexies, si fieri potest, quotidie assumendum. Pauciora enim vel minora præbia haud adeo fidum spondebunt successum, sed repullulanti febris violentioris repressæ pabulo tempus fortasse largientur: dum ex aduerso amplior paullo dosis nihil omnino metuendum relinquit. Vbique tamen iusta est habenda ratio digestionis & εὐφοριας, quomodo natura soluat, & in vsus vertat datum remedium. Quod si, dum hæc fiunt, plenitudinis humorum signa appareant, quæ plenæ curationi obsint, tutius iam, exanclato discrimine, & coctis specifico remedio humoribus, euacuationem aliquam moliri licet (d), subiuncto tamen statim rursus & continuato, quoad opus est, cortice; cui tunc, si ex re videatur, apta etiam misceri possunt cathartica, more *Lancisii* (e), *Trauersarii* (f), *Hoffmanni* (g), & aliorum (h): vel tunc etiam rursus postponi, quando superato morbo plena coctio præstita, & humorum tamen copia expurganda esse videtur (i). Idem esto de venæ sectione, si ex methodo indicatur, iudicium. Proscribendus autem est vulgi indocti error, quo necessaria vbique statuitur post corticem purgatio, vt nocituræ, si diis placet, remedii particulæ, ex corpore eiiciantur, cuiusmodi homines scite interrogat cl. *Cohausen*, num quod habeant remedium *chinagogum*? quemadmodum hydragoga, cholagoga, phlegmagoga, singularia dicuntur. Osten. "de (k), inquit, remedium, quod particulas corticis noxias,

(d) *Bianchi* histor, hepat. p. 282. sq. *Berger*. in cortice vindicato. §. 8.
(e) L. II. epid. 4. c. 8. §. 22.
(f) ibid. p. 304. sq.
(g) med. system. T. 4. p. 64.
(h) vt *Talborii* ap. *Blegny remede Anglois*. p. 53 sqq. *Bianchi*. p. 283. 644. *Hermann*. cynos. mat. med. p. 208.
(i) *Bianchi*. l. c. *Zuingerus* med. pract. c. de quartana. De caussa dissensus *Sydenhamii* & aliorum infra dicemus, vbi de reuersionibus febrium, quas illi ab omni purgatione metuunt, agendum est.
(k) p. 62.

"xias, ſanguini immiſtas, & vna febrilem præcipitatam educat, "& Phyllida ſolus habebis. Sanguinis fluxus naturalis & conſuetus vſum corticis non prohibet, ſi eo opus eſſe videatur. Attamen ſub regulari menſium & lochiorum fluxu lubenter ſuſpendimus manum, & neque alia remedia quantumcunque generoſa, neque hoc ipſum exhibemus, niſi grauis indicatio vrgeat. Fluxus autem irregularis & morboſus, vti ceteræ ſub febribus euenientes excretionum turbæ, continuato remedio feliciſſime in iuſtum ordinem & modum redigitur.

§. VI.

Symptomatum a febriculoſi Protei reliquiis, vel ægri conſtitutione, dum curatio durat, emergentium ratio haberi debet, mixtis ex arte, ſi quibus opus eſt, aliis præſidiis, quæ præcipuo medicamento locum tempusque non præripiant. Nolumus heic ſigillatim de ſingulis agere, quod dudum alii, quos paſſim adduximus auctores, factitarunt, & methodus medendi ſpecialis quemlibet medicum docere debet. Pauca, poſt febres maxime ſoporoſas, aliasque, præſertim ante perfectam ſanationem, & ſi minus ſufficienter datus eſt cortex, & vbi penitus omiſſus eſt, obſeruata recenſere breuiter lubet: quæ pleraque omnia continuato & repetito remedio cedunt, interdum alia adminicula expetunt. Quibusdam hæmorrhoides cœcæ cum tenesmo moleſto & aluo adſtricta prodeunt, ſed tempore & continuato remedii vſu facile & certo euaneſcunt, adiectis aut interpoſitis forte medicamentis ex nitro, aut quæ virtute ſalina amara cathartica eius naturam æmulantur (a), floribus item vel lacte ſulfuris (b), & ipſo millefolii decocto, &, quod ſingulariter vel ſolum profuiſſe ſcimus, duo-

Symptomata emergentia,

hæmorrhoides cœcæ, tenesmus, alui adſtrictio.

(a) v. *Liſter.* de fontibus medicatis Angliæ. c. I. §. 45.

(b) quod ſulfur regeneratum eſt, & plerumque ad dimidiam integramue drachmam, immo ſæpe ad aliquot grana datum, & repetitum, aluum cum fœtore ſulfureo ſoluit, & aſthmaticæ

duobus forſan mercurii dulcis granis (c) veſpertinæ cuiuis corticis doſi additis. Extrinſecus, vbi opus fuit, adiuuimus enematibus nitroſis, ſacculis, fotibusque ex hyoſcyami foliis & ſambuci floribus, albo Græco (d), aut ſimilibus in lacte coctis, vel ſpiritu, vbi ardor id permiſit, camphorato madefactis, & ipſo vnguento albo camphorato aut ſimili remedio ſaturnino, vbi tutum viſum eſt ſanguinem eo loci affluentem præpedire, inuncto vel ſuppoſitorii ope profundius immiſſo, hirudinibus etiam nonnunquam ob turgentia vaſa applicatis. *aurium tinnitus, ſurditas, temulentia.* Aurium tinnitus cum ſurditate aliqua (e) & capitis temulentia, ſolo corticis continuato vſu, & morbo ita deuicto, ſenſim ſponte ceſſat: aliquando venæ ſectionem interea adminiſtrandam requirit: rarius in abſceſſum auris, fotu lactis, cataplasmatibus, ſimilibusque maturandum, terminatur. *rheumatismus.* Rheumatismum (f), quem, vti vagum *Sydenhamius* ex febre, vel proprio motu & naturæ ope, vel repetito corticis vſu, curata, fixum vno membro etiam atque etiam ob-

ticæ oppreſſioni, & colicis doloribus cardialgicisque, vt plures virtutes taceam, egregium leuamen præbet, vt mirum adeo ſit, eſſe auctores, qui id remedii inter calces inertes reponant. conf. cel. *Lentilius* iatromn. p. 73. 74. *Ludouici* pharmacia diſſert. I. p. m. 256.

(c) v. *Hoffmann.* med. ſyſtem. T. IIII. p. 64. ſq. *Iunckeri* notæ in materiam medicam tabul. 8. p. 256. ſq.

(d) v. cl. *Storchii* ſiue *Pelargi* eteodromos I. p. 128. 281. qui poſtremum hoc medicamentum ſpiritu vini Rhenani dilutum pro inſigni ευπορισω laudat. Neque id non reſpondet experientiæ.

(e) *Mortonus* exercit. I. c. 7. p. 51. "fidenter, inquit, dico, idque "poſtquam iam ad 25. annos "quotidiano vſu corticis vires "explorando expertus ſum, *me* "*nusquam* nouiſſe *aliquid mali* "ab eius uſu cuiquam eueniſſe, "præter ſurditatem aliqualem, "quam *ſponte illico* a morbo e- "uicto, vel pulueris emiſſione, "ceſſare *ſemper* obſeruaui.

(f) Epiſt I. p. m. 376. "de cortice, "inquit, Peruuiano vere affirma- "re poſſum, non obſtante tam vul-

obſeruauimus, ſuſtulit emplaſtrum de hyoscyamo (g) *Ludouici*, vere auctori polychreſtum dictum, parti dolenti ſtatim admotum & geſtatum, non itermiſſo intus cortice, & interdum addita, ad *Sydenhamii* mentem, ari radice & aliis σκελετυρβης remediis, & miſſo itidem, ſi res poſtulauit, ſanguine. Tuſſes, dolores, diarrhœas, quæ vbi febris nondum ſuperata penitus eſt, haud raro ei ſeſe aſſociant, & dum modum excedunt, felicem remedii effectum impedi- *tuſſes, dolores, diarrhœa.*

N 2 unt,

"vulgi, quam *perpaucorum ex* "*doctis* præiudicio, me nihil ma- "li ægris accidiſſe ab eius vſu vi- "diſſe vnquam, vel cum ratione "ſuſpicari potuiſſe, niſi quod il- "li, qui longum & repetitum "corticis Peruuiani vſum exper- "ti ſunt, in ſpeciem quandam "rheumatismi ſcorbutici non- "nunquam incidunt. Hoc au- "tem malum *perquam raro* ex "hac occaſione naſcitur, &, "quando accidit, *facillime* re- "mediis cedit. add. hiſtor. morb. acut. ſect. VI. c. 5. p. 351. ſqq.

(g) v. *Ludouici* pharmacia diſſ. I. p. m. 307. & alibi. Quando materia vel glandulis *Hauerianis*, vel partibus muſculi alicuius tendinoſis, altius impacta, & arctius fibris tenſis conſtricta eſt, tunc medela reliqui corporis, & fibrarum motricium robur, vix ſufficiunt; ſed opus eſt remedio topico mature applicato, quod ſtricturam doloroſam viasque laxet, &, emolliendo digerendoque, motui reddat humores ob regreſſum negatum ſtagnantes. Qua cautione tempeſtiue obſeruata, promte ſæpe diſcuſſimus eos rheumatismos artuum, quos ſcorbuticos vocant, quosque alias valde chronicos, & ægre deinde expugnabiles, notare licet. Non loquor de arthritide fixa typica, ex genere podagræ, neque de vaga ſcorbutica, aut etiam febre arthritica, neque de congeſtione ſanguinea calidiori, neque de ſeceſſione apoplectica aut paralytica; ſed de fluxione ſeri acris & viſcidi, ſeu ſcorbutica, ad iuncturam tendinesue vnius membri dolorifica, quod malum vulgo rheumatismus frigidus, kalter Fluß, dictum, aberrante natura firmiter ibi figitur, ſi in principio negligatur: contra, ſi promte reſolutum ſit, medicamentis intro datis ſubigi, reſtitutisque in ordinem excretionibus, elidi poteſt.

unt, moderari expeditum eſt, quod dudum plurimi auctores annotarunt, addito ſingulis vel alternis corticis doſibus leui anodyno, verbi cauſſa laudani liquidi *Sydenhamii* guttulis tribus, quatuor, pluribus, ſi ſoporis metus iam non vrget. Obſeruauimus vero aliquoties, exanclata iam febre, & vbi ceſſauimus a medela, vel vbi febris etiam ſine cortice a motibus ſuis deſiuit, in iis maxime ægris, qui ſanguine hæmorrhoidali, & ſero ſcorbutico turgere viſi ſunt, ſupereſſe diarrhœam ſeri bilioſi indolentem, vel dolorificam, muco interdum ſanguinolento mixtam, quæ res, ſi medicationem expoſcere, ob appetitus & virium languorem, & febris recidiuæ metum, viſa eſt, egregium auxilium, ſine adſtrictionis præpoſteræ nota, ſenſim præbuit aqua thermarum Emſana (h), calide mane ad libras circiter duas hauſta, &

(h) Eximium hoc aduerſus varias diarrhœarum cauſſas & tutiſſimum remedium, monente medico illuſtri, tum in his caſibus; tum etiam, quamuis minori doſi, ad libram vnam vel infra, in ipſis febribus acutis, verbi cauſa in pleuritide, vbi alui fluxus ſuperuenit, & demulceri debere reputatus eſt; tum denique in diarrhœis bilioſis & ſcorbuticis & hæmorrhoidalibus chronicis, feliciter ſæpe experti ſumus. Ad chronicos alui fluxus nouum hodie aliquod in Gallia celebratur remedium, in hac forte diarrhœa febrili vtile futurum, cortex ex Guiana, Franciæ orientalis inſula, delatus, arboris *ſimarouba* dictæ, cuius ante annum portionem transmiſit vir celeb. Antonius de *Iuſſieu*, botanicus & medicus Pariſinus excellens, vna cum diſſertatione ab ipſo diſputata: an inueteratis alui fluxibus ſimarouba? Ibi de nouo "hoc cortice Guianenſi, pa- "rem iam, ait, quindecim ab- "hinc annis apud nos, quam "apud Guianenſes, effectum "conſtanter præſtat: color ei "ex albo flauescens, nullus o- "dor, ſapor ſubamarus, lentes- "centibus fibris conſtans, can- "dido, leuiſſimo, inſipidoque ra- "dicum, ſtipitum, truncique li- "gno hærens, a quo facile ſepa- "ratur. Decoctus primo ad vn- "ciam vnam aut ſemiſſem in minima

ſimarouba.

& continuata, donec aluina proluuies, diureſi aucta, & temperatis humoribus, ceſſarit. Immo ipſi febrifugæ medicationi aquas hasce innocuas ſociare idemtidem proficuum reperimus. Pomeridie & veſperi interdum ſimul addidimus purgantis catholici *Glauberi* granum dimidium, vel vnum, in pilulam formatum, aut pulueri alicui abſorbenti, aut ipſi cortici, remixtum, quod medicamentum ea doſi aluum haud ſollicitat, & in vetuſtis diarrhœis, ob vim glandulas obſtructas penetrandi & lympham acrem

"nima aquæ copia, ſic apud nos,
"vt in Guiana, propinatus, vo-
"mitum ſæpe, incommodosque
"fere ſemper ſudores, & maio-
"ra nonnunquam ſeri ſangui-
"nisque profluuia promouit:
"quo factum eſt, vt pæne obli-
"uioni datus ſit: ſed correctis
"doſibus experientia rerum
"magiſtra ſalubritatem attigit.
"Corticis minutim ſecti drach-
"mas duas in aquæ libris duabus
"ad tertiæ humiditatis conſum-
"tionem decoque, decocti in
"doſes quatuor diuiſi vnam ter-
"tia quaque hora tepidam pro-
"pina, vel corticis aut ligni pul-
"ueratorum drachmam ſemiſ-
"ſem in aquæ puræ vnciis dua-
"bus dilutam, aut cum adianthi
"ſyrupo in bolum redactam
"pro vna doſi, hora opportuna
"præbe, repetitis huius medica-
"minis ſub qualibet forma doſi-
"bus, ad integram ſanationem.
"Perficitur illa absque vllo de-
"cocti potus faſtidio, vlla per
"vomitum, vel per ſeceſſum
"euacuatione; ſedantur tamen
"vnius diei ſpatio dolorum cru-
"ciatus, redit cito ſomnus, vri-
"næ fiunt copioſiores & limpi-
"dæ, rariores euadunt euacua-
"tiones, fæcum odor fœtidus
"ceſſat, color immutatur, e li-
"quidis incraſſescunt, cibos æ-
"ger appetit, & breui reficitur.
"Succi neruei deprauationem
"corrigendi, & motus frequen-
"tiam coercendi gummi-reſi-
"noſæ ſimaroubæ partes vim
"habent. Saluis functionibus
"aliis conuulſiuos motus ſanat,
"inteſtinis balſamum ſuppedi-
"tat, ſtomachum corroborat,
"ciborum appetentiam exci-
"tat, eorumque digeſtioni a-
"maris, inciſiuisque partibus
"fauet, nec non & eroſæ inte-
"ſtinorum membranæ interio-
"ri ſublatum ab acrioribus ex-
"crementis mucum reſtituit.

Nouo

temperandi, & tonum minorum fibrillarum & vasculorum roborandi, quæ ſulfuribus ineſſe ſolet, felici experientia nobilitatum, & inter febrifuga haud poſtremum eſt. Tuſſis etiam nonnunquam febre exſuperata remanſit, id quod, maxime ſub autumnum hiememque, & primo vere, frequens fuit, & febre naturæ & leuibus remediis cedente ſæpius euenit, exanthemate illo forſan leuiter

"Nouo ergo efficaciſſimoque "medicamine ſimplicium claſſis "hoc cortice locupletior fiet, "cum ſingulari antiſpasmodica "virtute, ſtomachica narcotica- "ue vulgaria præcellat, cum ad- "ſtringentia longe ſuperet, quæ "non impune, fluentibus hæ- "morrhoidibus aut mulierum "catameniis, interius præben- "tur, feliciterque, ſumto ſima- "roubæ decocto, ceſſante noxio "alui fluxu, euacuanda fluentia- "que cetera libere ac ſecure "eliminentur, vnde & antihy- "ſterica vi plerumque pollere "pluribus experimentis proba- "tum eſt. Euacuatis iam ſto- "machi primarumque viarum, "ſordibus, factum mitius ma- "lum ſemidrachmæ ligni pul- "uerati vni vel alteri doſi quan- "doque cedit, & contra, ac- "cedente cacochymia ad ſæua "morbi ſymptomata, non niſi "pluribus repetitis decocti cor- "ticis doſibus vincitur. Corti- "ci Guianeo ſeroſo bilioſos, "ſanguinolentos, mucoſosque "alui fluxus, a continuo inteſti- "norum conuulſiuo motu inue- "teraſcentes, illæſa ſtomachi "functione, & absque morſu "ſanare, concedatur. Licet "vnica Guianei corticis deco- "cti aut pulueris doſi etiam re- "belles diarrhœas ſanatas eſſe "compertum ſit, num minoris "ideo habendus, ſi aliquando "non niſi quartæ aut ſextæ po- "tione morbum vicerit? Diar- "rhœa aut dyſenteria pluribus "a menſibus, vel ab annis, labo- "rantium maiorem numerum "hoc medicamine incolumita- "tem citius certiusque, quam "ab vllo quolibet alio, recuperaſ- "ſe ſufficit, idque absque vllo "faſtidio, ſaluis ceteris functi- "onibus, & ſine vllo futuri alias "incommodi periculo. Hæc, de nouo & per Germaniam fere incognito medicamento, ex doctiſſimi viri egregio ſchediasmate excerpere, & vlteriori experientiæ commendare, data hac occaſione, haud abs re viſum eſt.

uiter vlceroſo, quod circa labia critice euenire ſolet, ad bronchia delato, immo interdum ipſis pulmonibus, vbi natura haud ſatis ſana & robuſta fuit, labem minante. Tum vero aquæ Selteranæ egregiam plane opem præſtiterunt. Subſtituimus ſæpe, aut interpoſuimus, præſertim vbi plus pituitæ & repletionis adeſſe iudicauimus, remedium *Riuerii*, quo ille ſolo paſſim in obſeruationibus plurimas febres chronicas perſanatas a ſeſe memorat, & nos, ſi catharſis indicata eſt, a nobis memorare poſſumus, exhibitum quouis mane infuſum aqueum foliorum ſennæ drachmæ circiter vnius, & ſalis tartari dimidiæ, aucta vel minuta doſi prout res popoſcit, addita nonnunquam tamarindorum pulpa & manna ad vnciam dimidiam vel vnam, & ſi quid aliud morbo aut ſymptomati dari debere viſum eſt. *paſſiones hypochondriacæ.* Idem remedium *Riuerianum* ſpleneticis & ſpasmodicis flatulentis hypochondriorum pathematibus febrim excipientibus egregie profuit: in his tamen, ſi grauis vel pertinacius afflixerunt, vel vetuſta iam fuerunt, ſacra anchora fuit, poſt febrem penitus extinctam, legitimus vſus limaturæ vel ſalis martis, vel acidularum, præcipue Pyrmontanarum, aut etiam Driburgenſium: qui etiam ſæpe ſolus finem ſenſim imponit rebellibus aduerſus plerorumque remediorum virtutem febribus, chronicæ maxime, neque ſubito formidandæ, at in hypochondriorum obſtructionibus radicatæ indolis, vel certe egregie præparat viſcera & humores, vt ceteris medelis, antehac infructuoſis, locus deinde fiat, *ſcorbutus, febris lenta.* vt cum fructu vſurpentur. Similiter ſceletyrben, aliaque ſcorbuti poſt febres ſymptomata expugnare licuit, aquis, pro re nata, lacte mixtis. Spadanas etiam & Schwalbacenſes, vbi mitius agendum fuit, vbi febricula ex hypochondriis lenta acceſſit, aut quando illarum æger conſuetudine iam antea vſus eſt, laudamus.

Superioris anni vere medicinam fecimus feminæ no- *obſeruat. partic. 15.*
bili,

bili, in quartana duplici continua graui & periculum minante. Cortice legitime dato & repetito febris cum omnibus ſymptomatibus ſine reuerſione ceſſauit. Superfuit tamen languor membrorum & dolor, velut ſceletyrbe, donec ſuetum a pluribus annis ob pathemata lienoſa potum aquæ Spadanæ incepit; quo vix per biduum cœpto, ſymptoma illud incantamenti inſtar euanuit.

Neque poſſumus, quin memoremus remedium, quod, in febriculis lentis hypochondriacis & ſcorbuto poſt febres ex intermittentium genere, vel ſolum omnem ſæpe paginam abſoluit, vel & remedii magis tonici martialis, aut, ſi opus eſt, febrifugi uſui præmiſſum, lentas viſcerum obſtructiones expedit, ſalia exuberantia & peregrina corrigit, & per vrinam maxime euacuat, & calorem ſanguinis fibrarumque demulcet. Serum lactis dico, vel cum cremore tartari aut alio ſale acido probe depurandum, in quo ſero octo vel decem fruſta chalybis igniti extingui curare ſolemus; vel nouum illud ad celeb. *Hoffmanni* mentem ex ſale dulci ſeu ſaccharo lactis paratum (i). Præbemus

(i) Lac recenter mulctum in patina larga, carbonum igne, ad puluerem flauescentem grumoſum exſiccatur. Pulueri tantum aquæ puriſſimæ affunditur, quantum vapore disperditum eſt: hæc inuicem bulliunt, & liquamen colatum pro ſero vſurpatur. Laudatur paſſim in medicina conſultatoria, & peculiari diſſertatione de ſeri lactis virtute longe ſaluberrima §. 12-15. quo libello generatim vis & vſus ſeri lactis egregie docetur. Nos in præparatione ſeri huius *Hoffmanniani* notamus, non vrgeri debere exhalationem ſuper carbonum ignem ad plenam vsque puluerisexſiccationem. Facile enim empyreuma concipitur, ni impenſe calorem temperes. Maſſa adhuc leuiter humida ad ſolem, vel ſuper fornacem tepidum, vel ſine igne aut calore, breui felicius ſponte ſiccatur. Id quoque monemus, diſperdi exhalatione teneram illam, & ſale volatili haud deſtitutam aquam

mus menſuram circiter vnam mane acidularum more: repetimus nonnunquam dimidium pomeridie. Si ſcorbuti, ſeu ſpleneticæ paſſionis, euidentiores indicationes ſunt, incoquimus leuiter vnius aut alterius plantæ, ex his, quæ ſpecifice antiſcorbuticæ haud immerito audiunt, cochleariæ, naſturtii, chelidonii minoris, trifolii fibrini, & temperatiorum, beccabungæ, acetoſæ, acetoſellæ, nummulariæ, manipulos forte duos, & ſerum cum expreſſione forti colatum potui damus, aut primo hauſtui ſuccum ex talibus expreſſum ad vncias fere quatuor miſcemus. Ita ad menſem dimidium, aut integrum, aut quoad medela magis magisque ſenſim prodeſſe videtur, continuamus, & efficientiam notamus inſignem.

§. VII.

Exempla aliquot ſingularia curatarum febrium ſoporoſarum.

In promtu forent multa felicis experientiæ propriæ & alienæ exempla particularia, curatarum illa, quam pertractauimus, methodo, corticisque Cinchinæ ope, febrium ſoporoſarum & apoplecticarum recenſere, quod alia forte occaſione licebit, ſi deus otium fecerit. Neque vero negligenti aut abrupta experiendi ratione vtimur. Quam poſſumus curioſiſſime in euentus omnes inquirimus. Si qui ſunt ægri, qui, per medentes & conſultores & medelas clanculum euagando, ſe forte primum, deinde ſimulatione nos decipiunt, pauci ſunt. Multorum etiam, quibus mederi ſolemus, vitas conſcribimus medicas, pro vſu noſtro & ægrorum. Hoc eſt, quidquid circa eorum valetudinem memorabile accidit, id vno contextu, pro temporis ordine, in chartam coniicio, hiſtoricus fidelis, vt e-

quam lactis animalem, neque eam reſarciri affuſa, vt auctor doctiſſimus præcipit, aqua communi, licet puriſſima & leuiſſima. Nos aquam lactis deſtillatam, &, ſicubi commodum videtur, antiſcorbuticam in pharmacopœis paſſim deſcriptam, aut aliarum plantarum virtute auctam, feliciter ſubſtituimus.

uentus etiam ſerotini luculenter appareant. Pauca iam harum febrium, de quibus agitur, exempla, quæ ſingulare aliquid habere videntur, ex mea praxi attingam.

obſeruat. partic. 16. Vir vltra triginta annos natus, diætæ omnigenis vitiis impenſe corruptus, laborarat ante annum phrenitide horrendum in modum delira, quæ venæ ſectione in pede vltra libram adminiſtrata, veſicatoriis pluribus, & intus exhibito largo nitro, parca camphora, & ptiſana ex tamarindis, criſi per ſudorem ſuperueniente, quum dies quartus exiret, ægre curata nobis erat. Inde æſtate anni XXVII. incidit in febrim tertianam: guttulas purgantes aloeticas per aliquot dies ſumit: tertia acceſſione per octo horas anticipante in ſoporem profundiſſimum delabitur. Vocatus ego circa horam paroxysmi quartam remedium intus nullum adhibere poſſum, ægro penitus conſopito, & ſtertente, & faucibus ſine deglutiendi facultate hiantibus. Chirurgum vocari curo, vt mox veſicatoria admouerentur, vena ſecaretur. Auocatus aliorſum, ſed circa octauam ab ineunte febre horam reuerſus, percipio, chirurgum nihil in homine, vt dixerat, exſpirante tentare voluiſſe. Deglutire tamen iam aliquantulo melius pauxillum potus theæ poterat. Solui ergo ſubito iuſſi extracti corticis *Apiniani* drachmam integram. Quæ quum ægre ſenſim intra horæ quadrantem per fauces demiſſa eſſet, & enema cum infuſi croci metallorum vnciis duabus iniectum, dimidia vix horula elapſa, aluo largiter aperta, ſudor prorupit copioſus; oculos aperuit miſer, quamuis plane ſtupefactus; deglutiuit auide, quem dedimus, potum theæ; &, prætermiſſo ſemper bihorio, aſſumta iterum tertioque extracti drachma, & largiter ſudans, a paroxysmo ſoporis & delirii immunis euaſit, ſolito tamen ſtupidior, & febre haud penitus intermittente. Finito ſudore venam in pede aperiri, cantharidesque applicari, & corticis puluerem ipſum ad drach-

mam

mam integram, aqua ex ſucco naſturtii aquatici dilutum, & ſpiritus vitrioli volatilis guttis quadraginta; ſpiritus ſalis ammoniaci viginti mixtum, tertia quauis hora dari curaui. Rediit iuſto tempore, neque anticipauit, acceſſio, ſoporis profundioris expers, quamuis ſomnolentia cum leui delirio vrgeret; ſed poſt horas ſex, ſudore inſecuto, plena ἀπυρεξία remanſit, & conſtanter ad hunc vsque diem ſupereſt, perſanato ex præſcripta methodo homine.

Vegetus ſupereſt, ſacrum munus obiens, ſenex plus quam ſeptuagenarius, cui ante triennium, parcior remedii doſis poſt febris intermittentis paroxysmum ſoporoſum data, alterum redire permiſit grauiorem, & ab apoplectico haud diuerſum. Excitato tamen feliciter ægro continuatus remedii vſus perfectam ſanitatem reſtituit. Sesquiannus circiter effluxit, quum idem deinde ſenex pleuritidem epidemice tunc ſatis periculoſam exſuperauit. *obſeruat. partic. 17.*

Valet pro ætatis ratione viuidior, quam aliquot ante morbum annis, Iudæus octuageſimum octauum annum agens, rabbini inter ſuos fungens officio, quem ante quadriennium ex febri tertiana duplici apoplectica, pluribus tunc ſenibus funeſta, ægre a ſopore excitatum, eadem methodo curauimus. *obſeruat. partic. 18.*

Triennium ſuperiori æſtate effluxit, quum femina delicata, arthritide vagæ ſcorbuticæ, purpuræ, ſtomacacæ, tuſſi ſiccæ, hæmoptyſi leuiusculæ, colicisque doloribus obnoxia, genere phthiſicorum nata, vltra medium tempus vtero iterum gerens, febre epidemia τριταιοφυει corripiebatur. Morbus primis ſeptemdecim diebus hemitritæum verum ita referebat, vt ad corticis vſum deſcendere non auderem. Bis ſecta eſt vena, remedia & diæta temperatiſſima adhibita. Die decimo octauo primum, ſtatim poſt alteram phlebotomiam, vera remiſſio notabatur, ſequenti paroxyſmus manifeſtior ſomniculoſus, viceſimo remiſſio rurſum, *obſeruat. partic. 19.*

quæ ad viceſimi primi veſperam durabat. A morbi inde principio nullum fœtus motum perſenſerat. Sub veſperam illius diei ſubito delirium, hinc dextri lateris ſtupor, linguæ grauitas, deinde catoche totius fere corporis, cum motu dextræ manus anxio, tandem ſopor profundus acceſſit: quæ omnia, poſteaquam per horas duodecim afflixerunt, remittere ſenſim viſa ſunt, loquente rurſum, ſed cum aliqua balbutie & ſtupiditate inſolita, continueque, quamquam remiſſius, febriente ægra. Admoueri curaui aliquot cantharides, aliaque tentaui ex ſupra dictis, ſed labore ante temporis decurſum vano. Obſeruata remiſſione vero ſtatim, & per bihoria deinceps, drachmam corticis exhibui, eo effectu frequentis ex præſcripta methodo repetitionis, vt, decreſcentibus ſenſim paroxysmis, & auctis interuallis dilucidis, poſt quatriduum ſine febre reperiretur, integramque recuperaret ſanitatem, motu fœtus etiam redeunte. Peperit iuſto tempore feliciter infantem etiamnum viuum. Ipſa mater, forte quia, per grauiditatem & nauſeam, iuſta repetendi remedii interualla neglecta erant, ab ſecundo inde puerperii die febrem recidiuam paſſa eſt, ſed intermittentem, & quidem tertianam manifeſte quadruplicem, quotidianæ duplicis inſtar, cui leuis hæmoptyſis, pro ægræ conſtitutione, acceſſit. Septimo ſtatim die cortice rurſus vti cœpit, eaque cum felicitate iuſto vſu conualuit, vt poſtea non ſolum melius, quam a pluribus retro annis, per omnia habuerit, verum etiam rurſus iam ante ſesquiannum & vltra puerpera felix, ſine vllo ſymptomate, facta ſit, nunc denuo poſtremo menſe grauida bene valens.

obſeruat. partic. 20. Ante hos quatuor annos vidua ſexagenaria, cuius maritus, neſcio quibus remediis vſus, ex eadem ſoporoſa affectione occubuerat, tertio paroxyſmo grauem ſoporem paſſa, aſſumto deinde & diu ſatis continuato medicamine feliciter

emerſit

emerſit. Atque hæc quidem olim lapſu a veredo, & rotarum feſtinantium conquaſſatione, miſere vulnerata & contuſa fuit, vnde per membra, & oſſium iuncturas, & tendinum ductus, quasuis tempeſtatum mutationes, multasque ægritudines, ſentire conſueuit. Neque vero ſolum bene tulit copioſum corticis vſum, ſed ab eo etiam tempore membris neruisque notabile robur additum, moleſtasque ſenſationes multum imminutas.

Simili proſperitate vſus eſt vir eruditus, ſexagenario maior, cuius & vxor & cognatus domeſticus, ex ipſa febri ſoporoſa, omiſſo corticis vſu, mortem oppetierant. Duplici tertiana impetitus, & ſigna ſoporis incipientis tertio die exhibens, eodem remedio ſufficienter aſſumto, penitus perſanatus eſt. Antea multo luctu debilitatus, & emaciatus, rheumatismo iſchiatico, flatulentia, palpitatione cordis, inteſtinorum leuitate, male afflictus, ſibi quaſi renatus inde a triennio, quo febris cortice curata eſt, videtur, ſanus per omnia & vegetus, immo, quod curioſum eſt, exſiccata etiam fere omnino, per ſingularem felicitatem, fiſtula lacrimali & epiphora alterius oculi antiqua. Sane in oculorum poſt variolos vitiis diuerſis, ophthalmia, epiphora, vlcusculis circa palpebras, & in fluxionibus a materiei febrilis translatione, vel alias periodicis, feliciter ſæpe eodem medicamento vſi ſumus. *obſeruat. partic. 21.*

§. VIII.

Magna quidem illa & vere ſpecifica huius medelæ virtus multorum molimina proſpero beat ſucceſſu, quæ huic noſtræ methodo, qua paullo copioſius ad plenam vsque ſanitatis integritatem remedium exhibere ſæpe neceſſum putamus, ſubaduerſa videntur. Paucis & minutis doſibus, quæ aliquot forte drachmarum pondus, vel minus etiam, vniuerſim efficiant, plurimæ febres profligantur, & ita medicari nobis conſuetum eſt, vel morbo ſua natura *Cura imperfecta: paucarum & minutarum doſium uſus & abuſus.*

faciliori, vel iam attrito. Immo quamuis etiam is, qui difficilior fuit, haud penitus extinctus videatur, euaneſcunt tamen ſæpe ſponte, per ipſius benignitatem, vel exhauriuntur poſteriori aliqua cura, reliquiæ. Tum vero ipſum febris ingenium, vel felix corporis aerisque conſtitutio, id præſtat, quod vbique expectare haud æque tutum reor, quam tutiſſimo artis præſidio rem abſolutam dare, & impoſturæ culpam ab eodem auertere. Quicquid enim ex materia morbi reſidua, immo vel ex quauis cauſſa, alias etiam euenturum, poſt huius aliquando dati medicaminis vſum acciderit, id aliqui, præſertim homines factioſi lingua, inertes opera (a), eius vnius noxio influxui, veluti peſtem & bella cometis, tribuendum proclamabunt; qandoquidem ſtupendos remedii contra deam febrem effectus primum admiratio, filia ignorantiæ, dein opiniones ſcholaſticæ theoreticæ, & peruerſorum tentaminum noxæ, aliæque cauſſæ, quæ nominari haud merentur, ſemel ſuſpectos cuidam hominum parti fecerunt. Noui virum, qui, venerea labe infectus, variis ſymptomatibus pœnas luebat, eaque omnia, ſuffragantibus amicis, accepta referebat, ſumto olim ex manu medici cuiusdam egregii veneno, vt aiebat, amaræ chinæ deteſtabili: ſcilicet, quod inſipida dulcedine mercurii & ſarſæ mulceri, & ligno ſancto expiari debeat: (b)

accuſationes corticis falſa.

Dum

(a) ita medelarum cenſores maleuolos eleganter vocat *Reineſius* epiſt. medic. 8.

(b) Menſis elapſus eſt, quod curam gero ægri ſimilis, eamque fere penitus feliciter abſolutam, poſtquam per totum id tempus bis quotidie ſumſit ſemunciam electarii venerei *Bierlingii*, quod deſcribit, & merito laudat illuſtris *Lentilius* iatromnem. p. 278. 383. & quauis veſpera καλομελιτος grana duo, ſtrenueque ptiſanam ex ſarſa potauit. Hunc, quia præter alia ſym-

* *obſeruat. part. 22. de mali venerei indole & cura παιξιασις.*

Dum ſudet fœdæque fluant e corpore guttæ. (c)

(c) *Fracaſtorius.*

No-

ſymptomata inde a ſemeſtri grauibus artuum doloribus afflictus fuit, interrogauit nuper homo male peritus: numquid olim febre laborarit, chinamque aſſumſerit, quæ nunc ſeſe poſt plures forte annos moueat? Nugæ venales! Eiusmodi vero methodus ſæpiſſime nobis optime ſucceſſit, vbi violentia mali grauiorem medelam non popoſcit. Continuamus, donec ſigna praua omnia ceſſent, quod ſenſim ſine debilitate, aut functionum turbatione, fieri ſolet. Raro accidit, aliquando tamen, vt ab ea mercurii dulcis doſi, eroſio oris, linguæ & faucium tumor, & leuis ſaliuatio oboriatur. Id ipſum tamen proficuum potius, quam metuendum eſt. Neque tunc mutamus medelam, niſi quod ægrum ab aere & potu frigido arcemus, quod alias non eſt neceſſum. Quamuis peracta curatione belle valeat, repetere per aliquot annos, verno & autumnali tempore, per duas pluresue hebdomades, conſueuimus electarium ſolum, quod & in iis ipſis moris nobis eſt, qui ſaliuatione curati ſunt, quos etiam, ſi vllo modo aliquid mali reſtare videtur, quarto fere quouis die, per menſem vel vltra, mercurii dulcis granis quindecim aut viginti ſub veſperam datis, tuto & magno cum fructu purgare ſolemus. Latent enim ſæpe profundius in corpore, craſi ſeminali inſinuatæ, veneni particulæ, quam vt vno curationis decurſu euacuari poſſint. Emergunt deinde ſponte, vbi per anni vices, vel alias occaſiones, turgere incipit materies, &, ſi quando alii morbo forte euenienti iunguntur, ſymptomatum & periculi grauitatem augent. Proteus eſt hoc contagium, &, quando ſemel aliquem hominem afflixit, ſemper altero oculo medicus ad illud reſpicere debet, quicquid fere ſymptomatis affligat. Si qui tales febri, Peruuiano cortice curanda, corripiuntur, addimus in electuario puluerem ſarſæ, vel & ligni ſancti, aut eius ligni corticis, mercurii etiam dulcis granum vnum aut alterum ſub veſperam aliquibus miniſtramus, aut ſemel vel bis per hebdomadem doſin auctiorem, ptiſanas ex ſarſa & ſimilibus potui damus. Verum eſt, a morbis aphrodiſiacis, ipſorumque violentis

non-

Notum eſt, quanti haud ita pridem etiam doctiorum clamores fuerint in quicquid, chemica arte paratum erat; quid olim vſui omnimodo mercurii, aliorumque foſſilium, oſores male experti occinerint: meminimus, quanta ſuperiori ætate pericula ex quouis acidularum potu timuerit doctorum & vulgi ignorantia, quia venenatas eas, & neſcio qua violentia mortiferas omnino, eſſe debere perſuade-

nonnunquam medelis, tonum viſcerum, præſertim in abdomine, & neruorum deiici, craſin ſuccorum vitiari, & paſſioni hypochondriacæ anſam præberi: vnde multa ſuſpecta ſymptomata luis reliquiis tribuenda non ſunt: neque immerito *Freindius* in *hiſtory of phyſick* vol. 2. p. 385. ſqq. notat, "ſingulare eſſe eorum, qui aliquando "luem paſſi ſunt, ſemper ſibi ad "quoduis ſeuiſſimum ſympto-"ma, vel exanthema, reuerſio-"nem mali imaginari, quamuis "optime curati ſint." Medicum tamen prudentem ſuſpicari aliquid, nunquam nocuerit; dum maxime ſæpe nociuum eſt, nimis ſecurum animi eſſe, in occulto illo deteſtabili veneno, quod frequens paſſim eſt, & a quo poſteritas ſæpe fert delicta parentum, & vbi natura nihil valet, medicina vero ſpecifica omne fert punctum. Haud ſatis expertus ſcribit *Sydenhamius*, qui, (quum ex hypotheſi ſibi particulari, ea remedia ex ſpecificorum claſſe proſcribit, quæ cum euacuatione aliqua ſanant,) de mercurio, ſarſa, & lignis iudicat, ea non niſi ſaliuatione, aut ſeceſſu, aut ſudore manifeſto iuuare: opp. p. m. 30. 138. 418. Fateor potentius operari, ſi ad eiusmodi excretiones vsque vrgeatur doſis & regimen, &, ſine iis remediis, catharſes & ſudationes vehementiores ſæpe prodeſſe. Attamen oſtendi poteſt exemplis plurimis, quæ narrando odioſa eſſe ſolent, ſine vlla ſenſibili euacuatione curatos eſſe, qui, grauiter veneris malis afflicti, adſtringere ſe potentiori medelæ noluerunt, aut per negotia, aut vires, aut alia rationum momenta, non potuerunt, vel non debuerunt. Vidimus ſæpe iuuare penitus ſolum continuatum vſum ſiue mercuri dulcis vulgaris, ſiue panaceæ Gallorum, in doſi refracta, puluerisque ligni ſanc-

ti

ſuadebat tum ranarum & piſcium in iis ſuffocatio, (d) tum male abutentium infelicitas, aut neſcio, quæ opinio. Antequam antimonii vſum ab abuſu diſtinguere omnibus medicis licitum lubitumue eſſet, acutiſſimus *Guido Patinus*, hoſtis chemiæ infenſus, forte quia ignarus, idque remedium, vti multi tunc docti indoctique, vniuerſim pro veneno habens, *martyrologium antimonii* (e) ſibi & amicis compilauit, quo omnium eorum nomina, tamquam toxico infectorum, retulit, quibus aqua emetica, ſulfur ſtibii, antimonium diaphoreticum, bezoar minerale, aut quoduis aliud ex iſto lapide paratum remedium, aliquando data fue-

P rant:

cti & ſarſæ, quæ etiam tenellis infantibus, experimento celeb. *Lentilii*, in pulte feliciter datur, aut decocti validi ex vtroque vel alterutro ſimplicium horum remediorum: quale deſcribunt ex ligno ſancto *Fernelius* aliique paſſim, ex ſarſa *Septalius* maxime, quod, mirabile ad tabidos vocatum, exſtat in *Boneti* labyrintho medico extricato p. 621. & pro ægrorum ratione, & magis minusue nutriendi conſilio, mutatum egregia manifeſte præſtat. Itaque per experientiam etiam haud licet aſſentiri omnino medico illuſtri, cuius theoria ingenioſe ſupponit, labem veneream pinguedinis proprie eſſe vitium, in cuius intima ſubſtantia ita hæreat, vt non niſi tota pinguedine exhauſta euelli poſſit. Vidimus ſine macie euenire curari complures, immo, qui morbo tabefacti erant, pingueſcendo indies a medela ſpecifica ſaneſcere. Vidimus etiam præcipue, ſub hoc ſtatu epidemio, multos, vbi, per febres, earumque & reuerſionum ac periculi metum, nihil violenti moliri licuit, & indicata tamen fuit medicina aphrodiſiacorum ſymptomatum, ſanari feliciſſime, iunctis pro re nata cum cortice Peruuiano medicamentis ex mercurio, ſarſa, guaiaco: quamuis, vti alias a cortice fieri ſolet, habitus corporis viuidior pinguiorque nihilominus euaſerit.

(d) Ita de acidulis Pyrmontanis iudicat *Theodorus Tabernæmontanus* Waſſerſchatz c. 58.

(e) *v. lettres choiſies*, Vol. I. 18. & paſſim.

rant: ſicubi vel morbus medicinæ potentiam ſuperauit, vel medentis error interfuit, vel quacunque de cauſſa, longo etiam poſt tempore, nouum quodcunque ſymptoma, aut ipſa mors, ſuperuenit. Eo in catalogo locum plerisque ſpoponderim, qui crocum matris antimoniatum *Stahlii* aliquando ſumſerunt, ſi in id opinionis popularis ſæculum delati fuiſſent. Quod hodie in eiusmodi inexpertos antimonii iudices iudicium ſtatuitur, (f) id apud proxime venturam poſteritatem, immo vel noſtris diebus, vbique auſim polliceri hodiernis chinæ cenſoribus. Sunt enim hodie, qui circa corticis vſum eadem oberrant chorda, atque his, ſi pari modo ludere volupe eſt, *martyrologium chinæ* æque vanum concinnare licebit. Vereor autem, ne martyrologium ſuperſtitioſæ illius quorumdam religionis, qua cortice hoc vel omnino, vel tempeſtiue & ſufficienter vti, piaculum habeatur, longe pluribus teſtibus locupletari poſſit, vel longi & inutilis cruciatus, vel periculi multiplicis, vel ipſius mortis victimis. (g) Neque vero tunc iniuria fallaciæ ali-

accuſatio iuſta.

(f) *Stiſſer.* act. laborat. chem. ſpec. 2. a. 1683. edito, "antimonii, inquit, vis, quam peſſime "apud plures tum medicos, tum "rei medicæ ignaros, audiat, in "confeſſo eſt: ita, vt plurimi, "audito ſaltem antimonii nomine, horrore quaſi corripiantur, "& quæuis ex eo præparata ve"neni inſtar reformident. Hi "autem quam inepte agant, pe"nes quosuis rationales & peri"tos in confeſſo eſt.

(g) De febribus pertinacibus plerisque verum eſt, quod I. I. *Waldſchmidius* de quartana dicit opp. p. 221. caſu 64. "In "hoc caſu, inquit, deſcribitur "nobis quartanarius, tali nempe "morbo correptus, qui vel in "alium grauiorem degenerat, "vel remediis violentioribus "exacerbatur, leuioribus autem "cedere neſcit. Ea prognoſi, experientia atteſtante monitus, ad medelam vnice certam, nempe corticem, ea quidem ætate nondum valde in Germania familiarem, ſapienter confugit.

alicuius, ſi ita loqui placet, inſimulatur medicamentum, quum morbo leuiter tentato, aut imperfecte extincto, varii materiæ male commotæ motus anomali, variæque corruptelæ & ſtaſes humorum corporis accidunt, & vel ſuppoſititias deinde inducunt reuerſiones febris, quæ nondum penitus ceſſauerat, vel morborum acutorum, aut chronicorum, aut inexplicabilis languoris, nauſeæ, & ægritudinis ſpeciem induunt. Augentur ſæpe mala medelis perperam auerſis hominum in corticem iniuriorum. Hi enim non febrilem morbidamque διαθεσιν, vti fieri deberet, ſed vel ipſas innocentis remedii particulas, & neſcio quas obſtipationes, aut alios plane morbos intuentur, quos inde inductos ſomniant. Hinc fit, vt, diuinando curationes varias, ſæpe quidem, iuuante natura, forte fortuna felicem morbi exitum reperiant, & chinam ſe ex corpore euacuaſſe, aut eius noxas auertiſſe, nugaciter glorientur; ſæpius vero miſere excruciato ægro, & turbata materia febrili, quæ vel cortice facile penitus ſuperabilis, vel ſponte forſan in ordinem motibus recidiuis reditura fuiſſet, chinam illam, chinam infelicem, culpa onerent & morbi & ſua, ad doctorum edicta provocantes, vt propriæ culpæ infelicitatem excuſent. Nam hi ipſi, at quanti viri, malos euentus chinæ abuſum inſequentes peſſimi eſſe ingenii, & difficillime expugnari, ex experientia iudicant. Cuius origo iudicii, quod magnopere limitari meretur, facillime intelligi poteſt ab his, qui norunt, eas febres, vbi ad corticem accedi debere viſum eſt medentibus, difficilioris plerumque indolis fuiſſe, & eſſe adhuc, ſi imperfecte curatæ ſint, quique in talibus ceterarum medelarum efficientiam incertam perſpectam habent, & morbum potius, quam remedium metuunt, huiusque continuato & repetito vſu illum haud difficulter, vna cum omnibus prauis conſequentiis, penitus debellant: quod qui neſciunt, aut

culpa accuſatorum.

infida curatio per naturam & alias medelas.

negligunt, infidum ſibi præſidium in cortice reperiri dicant, per me licet. Eadem vero, immo grauiori ſæpe ratione, doli, ſi ita loqui lubet, & infidæ curationis culpa merito in febribus male fidis imputatur aut ipſi naturæ humanæ ſibi relictæ, aut alii cuicunque methodo, & cuiuis medicamento febrifugo, quod morbo impar ſit: quemadmodum aquam incendii alicuius magnitudini, velocitati, & vehementiæ imparem, quæ vel flammam auget, vel impotenter aggreditur, vel ſcintillas hinc inde relinquit; aut aggerem aquis ferocientibus minus æquo robore obiectum, vbi ſpes ſecuritatis te fefellerit, doloſi præſidii titulo vocare poſſes. Quæcunque enim cortici tribui ſolent noxæ, eas attentus ſine opinionum velo obſeruator facile comperiet, non medicinæ particulis in corpus admiſſis, ſed febrili aliiue morboſæ diſpoſitioni deberi: dum febres minus tutæ, & aliis impuritatibus mixtæ, vel ſponte, eadem omnia, immo grauiora ſæpe, poſt ſe trahunt mala; &, quocunque demum remedio imperfecte curentur, turbatis motibus & male mutata materie, molimina anomala diuerſæ ſpeciei inducunt. Id quod omnium ſæculorum experientia teſtata eſt, & quotidiana hodie loquitur obſeruatio. Febres enim, quæ ſua indole, ad habitum & diætam ægri & ceteras res circumſtantes comparata, ſecuræ ſunt, quæque ſua ſecuritate multos in eum errorem ducunt, (h) vt has pro norma vnica omnis theoriæ, & progno-

(h) Πρωτον vel δευτερον ψευδος hoc eſſe videtur auctoris diſſertationis *de noxio corticis vſu, quamuis recto*, quem titulum, celeb. *Hoffmanni* ſcriptioni, de *corticis vſu recto* oppoſitum, ex ignorantia typographi ita concinnatum, ſemidoctus iuret typographus. Sed reſpondet titulo ratiocinium totius diſſerta-

prognoſeos, & curationis ſupponant, neque ſub alia medicatione, neque hoc febrifugo quacunque methodo dato,

tationis. Vidit aut audiuit bonus vir, curari ſine cortice febres plurimas ſine reuerſione prauisque conſecutionibus. Corticem ipſe nunquam adhibuit, neque forte vnquam recte adhiberi vidit. Neque etiam eo opus eſſe putat: "quis enim, inquit, fando audi-"uit, tertiana regulari, ſuo in "ſucceſſu nullibi turbata, vel in "aliam febris ſpeciem conuerſa, "aliquem mortuum eſſe? Et fando id audiri, & legi, vel ipſa leuis hæc noſtra opella, &, quod ei occaſionem præbuit, problema probat. Ecquis vero fando audiuit, medicos, qui naturæ in febribus curandis frequentes defectus, & medelæ febrifugæ vtilitatem, allegant, de tertiana maxime regulari loqui? Si qua febris aut periculoſa ſymptomata, aut ipſam mortem acciuit, tunc auctor ſuaue ſibi ſomnium finxit: materiam febrilem nocere ſæpe concedens, ſed febrim, ſiue motum a materia excitum, vel, vti theoria Stahliana vult, iſtius cauſſa ſapienter inſtitutum, noxa omni ſemper carere, mordicus defendens. Et materiem, & motum, innumerabilibus modis, aberrante vel labante natura, nocere poſſe, quis peritior neget? Auctor noſter, non *a febre* illud malum, ſed *cum febre* fieri dicit, *ſine febris* culpa. "*Cum febre* enim innumeros mo-"ri fatetur, quod vel *materia fe-"brilis pertinacior* ſit, quam vt "vllo modo ſubigi vel matura-"ri ſe patiatur, vel *viſcera nobi-"lia inſuperabili vitio* laborent, "vel aliud puoddam *phyſico-me-"chanicum impedimentum* obii-"ciatur, cui natura febrim, vlti-"mum, ſi diis placet, præſidium, "fruſtra opponat. §. 21. Si febris ſub ita opinantis medici cura pertinacior fuit, id quod, ſi qua difficilioris indolis obtigit, non potuit non contingere, & *contigiſſe* ibi loci *nouimus*; tum egroti forſan haud immerito impatientes, vti ſæpe fit, ad empiricum corticis vſum ab ipſius medela confugerunt. Hinc mala ex febris indole oriunda, quæ omnis nouit antiquitas, ipſe forſan ex ſua experientia & theoria imperfecta ignorat: quæque vel febri eiusque materiæ

facile nociuæ euadunt; sed sensim sua sponte in integram valetudinem terminari solent, id quod quotidie videre, & sæpe, si multitudinem errorum empiricorum spectemus, mirari licet: quamuis multæ sint febres, sub iusta methodo, cum vel sine cortice, tutæ, quæ, ἀμεθόδως adhibitis remediis quibusque cum vel sine cortice, haud securam indolem induunt. (i) Ipsæ vero illæ impostura & noxæ curationis infidæ, dato legitime, & continuato, & repetito cortice, plerumque penitus cedunt, si adhuc sanationem patiuntur. "Sæpe profecto, monente *Mortono* (k), eiusmodi morbi "sine huius remedii ope vix ac ne vix quidem integram cura-

riæ, vel inepto, aut, ob vanos metus iniectos, imperfecto corticis, vti aliorum remediorum, vsui debentur incommoda, in ipsum medicamentum inexpertus coniicit. Ne de *motus*, seu *febris* ipsius, periculis & damnis dicam, cortice reprimendis, quæ ipsa schola *Stahliana*, eiusque magistri doctiores, *Alberti*, *Iunckerus*, *Storchius*, aliique, agnoscunt: experiatur, vbi *materia febrilis pertinacior* est; vbi *viscerum nobilium vitium* instat, vel nondum plane insuperabile est, sed fieri minatur; vbi *physico-mechanicum impedimentum* febrim naturæ relictam a bono exitu impedit: experiatur, inquam, corticis vsum tempestiuum, efficacem, adæquatum! & augebit propediem, si sincerus est, catalogum doctorum, qui proprias opiniones, errore agnito, refutarunt.

(i) Elegans est monitum *Stahlii*, sed quod explicationem mereri ipse non neget, in notis ad sa- "tyram Haruei p. 216. quod, qui- "cunque practicus non didicerit "febres intermittentes aliis me- "dicamentis percurare, illi etiam "corticis exhibitio non concedi "debeat. Scilicet, qui febres sine eiusmodi cura specifica cito tuto & iucunde satis sanabiles & curandas, ignoret aliis, medelis ex methodo curare, hoc est, qui probe non sit subactus *doctrina* & *experientia* medica *antiqua* & *nova*, ille etiam merito a corticis, vti ab aliorum medicinæ præsidiorum, vsu arcendus fuerit. Vtinam a potentum liminibus aura secunda votis nostris adspiraret!

(k) p. 56.

"curationem admittunt. Ita, quæ febri, metuique a cortice, & fiduciæ in alias medelas incertas, debetur, infelicis curationis nota, illi sæpe medicinæ inuritur, quæ vel sola sanitatem restituere, & hominem seruare potuisset: ingenti sane cum detrimento multorum ægrotantium, quos infaustus deinde horror aut proprius, aut amicorum, aut medicorum, a salutari & sufficienti medicatione in deuia agit. Serio ista velim perpendant non satis experti, curate experiantur, æquiter iudicent, & veritatem, quam testor, suis palpabunt manibus. Confidenter certe heic eleganti illa prouocatione *Stahliana* (l) vti possumus "ad po-"steritatem, præiudiciis pandemiis, volente deo, liberio-"rem. (m)

§. VIII.

Hic igitur secundus est pro genuina corticis dandi "methodo canon, vt proportio æqua inter affectus velocita-"tem, magnitudinem, longitudinem, & corporis habitum "specificique medicamenti virtutem, rite obseruetur: ne-"que præsertim dosi iusto magis sera, rara, ant exigua, "morbum subitaneum, pertinacem, magnum; neque eum, "qui sua natura longus est, breuiori remedii vsu impugne-"mus, & a vacillante valetudine, male deletis incendii fe-"briculosi scintillis, cito nimis medicam remoueamus ma-"num: neque vero etiam præter rationem vrgeamus nau-"seosam curationem, & inutilem grauemque corpori futu-"ram, sed & pondus & remedii formam moderari, & mu-"tare, & iusto tempore incipere ac desinere, nouerimus. *Regula pro corticis vsu secunda.*

SECTIO

(l) De febribus compositis ex acuta periodo. §. 52.

(m) Scitissime, vt solet, *Borrichius* de medic. Hermet. in præf. "Nec reformidamus iudices, fla-"gitamus potius, sed æquos, sed "in palæstra experientiæ exer-"citatos, sed qui in subselliis "artis durauerunt ante lacer-"tos, quam e tribunali pro-"nuntient.

SECTIO QVARTA
DE
PRAENOSCENDIS ET PRAECAVENDIS FEBRIBVS RECIDIVIS AGIT, ET OSTENDIT MEDELAM ORDINE ET REPETITIONE ADAEQTATAM.

§. I.

Febrium recidiuarum iuſtus metus ex morbi ingenio.

INtegre reſtituto, quantum id ſignis præſentibus noſci poteſt, ægro, deſiſtendum eſt a medicatione, neque fidendum tamen penitus induciis. Quamuis enim, ſi prius dicta recte obſeruentur, nihil præterea mali ex febris fuga in corpore euenire poſſit; eſt tamen ſæpe morbi, tum recte, tum perperam curati, ingenium ad reuerſionem pronum, ſi febris vel ex ſua natura futura fuiſſet diuturna, vel alias ſtatus epidemius, aut morbi indoles, ad motus recidiuos inclinet. Haud omnino immerito queſtus eſt *Sydenhamius* (a): "ſi tam effectorum durationem, quam corticis "innocentiam exploratam haberem, principem illi locum "inter omnia, quotquot ſunt, remedia deferre nullus dubi-

obſeruationes omnis ævi.

"tarem. Pleni ſunt omnes veterum recentiorumque obſeruatorum libri mentione febrium recidiuarum, a quauis medendi methodo contingentium, quas aliqui ex indoctis, & ad quotidiana exempla cœcutientibus, ab hoc medicamento in orbem introductas, vel huic maxime deberi, nugantur. Vir eruditus, qui de reuerſionibus morborum ſingulariter ſcripſit (b): "In febribus, inquit, euidentius re-"cidiuæ, quam in aliis morbis, cognoſcuntur, tum quod "frequentius accidunt, tum quod breui abhinc temporis "ſpatio affligentis recordatio a recrudeſcente morbo etiam iterum

(a) Epiſt. l. p. m. 376.

(b) *Ortlob.* ſcrutin. recidiuarum §. 6.

"iterum renouetur. *Hippocrates*, (c) cui febrium eiusmodi indoles ὑποτροφώδης vocatur, & aeris conſtitutioni adſcribitur, meminit epidemiæ *æſtiuæ*, vbi *plerisque*, poſt pauca ſanitatis interualla, *febres reuerſæ* ſunt, vt multi etiam *per hiemen* adhuc laborarent. Notum eſt *Celſi* (d) elogium: "febris facile reuertitur, niſi a ſano quoque aliquamdiu timetur. *Bartholinus* (e), "quæ æſtate, ait, 1652. "graſſabatur febris tertiana intermittens epidemia modo "ſingulis recurrebat diebus, modo alternis, ſæpe vaga, ſæ-"piſſime poſt ἀπυρεξιαν redibat. *Bianchius*, (f) "morbo, in-

(c) 1. epid. ſect. 1. conf. loca plura adducta ab *Ortlobio* ad §. 5.

(d) l. 3. c. 16.

(e) Hiſt. anat. cent. 2. 56. Legi meretur illa hiſtoria febris intermittentis epidemiæ, diris ſymptomatibus ſtipatæ, periculis acutis & chronicis plenæ, & iungi exemplis ſupra p. 17. nota (a) adductis. Simplex remedium proponitur experientiæ commendandum. Verba auctoris ſunt: "Innotuit vir-"tus vnicornu Groenlandici, "quod non ſolum, mediæ drach-'mæ pondere *ante* paroxysmum "exhibitum, *ſudorem largum* "procurauit, ſed *febrem plerum-"que extinxit*. Expertus id re-"medii noui genus ſum magno "ſucceſſu in plurimis, mecum-'que medici alii vrbis noſtræ ex-„ercitatiſſimi. Certe remediis iſtis tenerioribus ex regno animali abſorbentibus, gelatina & ſale volatili fœtis, præcipue marinis, vim ineſſe haud ſpernendam in motibus ſubtiliorum corporis partium excedentibus compescendis, & promouenda diaphoreſi, experientia confirmat. In febribus facilioribus, poſt correctas & euacuatas primarum viarum ſordes, nobis experientibus, & verſus aliquot paroxysmos repetentibus, haud raro fecit ſatis. Neque tamen regimen ſudoriferum adhibuimus, quod verſus id tempus nequaquam vtile exiſtimamus, quamuis vulgo poſt data ante acceſſionem medicamenta vſurpatum. Sudorem tantummodo vel ſub finientem paroxysmum, vel, ſi hic non amplius redit, expectamus tempore inſultus, quo ſudor ſponte erumpere ſolet, cum primum febris ægrum deſerit.

(f) p. 748.

"quit, (nempe febre ex genere intermittentium in conti-
"nentem verſa) ad declinationem vergente, reuocatus
"chinæchinæ vſus optime contulit; ab hoc vrinæ ſemper
"vberiores & concoctæ: quibus autem iſtæ poſt aliquot
"dies recrudescebant, hi cito recidiuam patiebantur.
"Complures *absque cortice alioue febrifugo* curati, & *aptum*
"*ſeruantes regimen*, adhuc *relapſi* ſunt. *Trauerſarius* (g)
Piſauri obſeruauit febres recidiuas generatim copioſiſſimas
"accidiſſe, & quidem tum *poſt corticis* vſum, tum vbi *id re-*
"*medium non* fuit adminiſtratum, atque tunc quidem fre-
"quentiores periculoſioresque. Hoc etiam, ceteris pari-
Febres ad redeundum non pronæ. bus, apud nos veriſſimum reperimus. Febres tertianæ
legitimæ, aut alias faciles, plurimæ, vbi præſertim exquiſi-
tis diætæ regulis ſe ſubiecit conualescens, cortice profliga-
tæ, æque non recurrerunt, ac ſi alia quacunque ratione
perſanatæ fuiſſent: idque eo magis, ſi ſub declinationem
demum morbi medicina data eſt: quamuis ſub hoc ſtatu
epidemio, præſertim æſtiuo & autumnali, nusquam fuerit
tuta fides, & plus tunc felici fortunæ, quam medici ſui me-
thodo, debuerit æger. Idem dictum eſto de ipſis difficilio-
ribus

(g) ap. *Lanciſ* epid. 4. l. 2. c. 8. p. 292. ſqq. "Penſitata, inquit, re in
"plurium grauiter febrientium
"curationibus, nec laudatum
"corticem, nec aliud antifebri-
"le, ego, pariterque doctiſſimus
"conſultiſſimusque in arte me-
"dica ſodalis meus Chriſtoph.
"*Ceruaſius*, exhibebamus; peri-
"culum ſcilicet facturi, an tot
"recidiuarum, & diuturnarum
"moleſtarum ægrotationum
cauſſa fuiſſet quinquina. Ve-
"rum abunde docti ſumus, illas
"aliunde ortum traxiſſe. Re-
ſpondet *Lanciſius* p. 309. "ii quo-
"que, qui absque Peruuiani cor-
"ticis præſidio ab epidemicis fe-
"bribus conualescunt, ipſa mor-
"bi indole recidere in febrim
"ſolent, vt longe ante detectam
"chinæ vim obſeruauit *Hippo-*
"*crates*, qui 1. epid. ſect. 3. n. 36.
"nullum, inquit, noui, qui ſuper-
"fuerit, cui non contigerint re-
"cidiuæ.

ribus & chronicis, quæ ex ſua deinde natura ad reditum pronæ amplius vix fuerunt, vel quæ iam ſatis per recurſus deferbuerant, vbi dari id medicamentum, vel aliam adhiberi curationem, feliciter contigit, ſub ſponte inſtans declinationis tempus, & quando vniuerſa febrilis diſpoſitio remedii alicuius viribus patuit, adiuuante præſertim melioris anni aerisque fauore, & præmiſſis, quæ impedimenta ſanationis tollerent. Hinc vero apud multos in varias medendi methodos, & leues ſæpe alicuius medicamenti, & ipſius corticis, doſes, generalis fiducia naſcitur, quum videant quam ſæpe cito, facile, & conſtanter,

hi motus atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compreſſa quiescant. (h)

Et ſane facile intelligitur, eas febres, quæ vel poſt deflagrationem ſpontaneam, vel primo quoque tempore, leuioribus remediis methodisque minus certis penitus obſecundant, facilioris iam ſua ſpote indolis eſſe, & exinde ſæpe etiam ad reditum minus pronas, quam vbi generoſiori medicinæ ope opus eſt, & curatio difficilius peragitur: vt eos adeo miremur, qui medelis iſtiusmodi tribuunt ceſſationem morbi facilioris ſine reuerſione, & e contrario regreſſum difficilioris medicamentis magis generoſis, quum vtrumque morbi ingenio maxime deberi experientibus pateat. Nihilo tamen minus ipſarum febrium legitimarum, & aliarum plurimarum, quæ expectationi, aut cuiuis methodo, ſine potenti medicina, ceſſerant, multas paſſim reuerſiones, ſub leuibus etiam, vel nullis, diætæ erroribus, ſtatus epidemius acciuit. Euenerunt illæ ſæpe plus vice ſimplici, priori febri interdum ſimiles, leuiores nonnunquam, aliquando grauiores, pro anni temporis, & diætæ, corporisque, mutata ratione, & pro indole eius, quæ latuerat, materiæ

recurſus febrium ſine potente medicina curatarum.

(h) *Virgilius*

reſiduæ; ſæpiuscule non niſi poſt legitimum corticis vſum tandem aliquando conſtanter deſinentes.

obſerv. partic. 23. Femina fere ſexagenaria, ſanguine facile turgente plena, neruorum genere delicato & ad animi pathemata ſenſibili, & niſibus plerumque vanis ad hæmorrhoides ſæpe exercita, hecticum ſtatum, ob phlogoſes motusque quaſi febriculoſos, dudum ſibi perſuadens, corripitur ſub ſtatu epidemio febri anomala viſa, leuiori quidem, & facile remediis abſorbentibus, & ſalinis, vel & leuiter laxantibus abhibitis, poſt hebdomadem vnam alteramue euanescente, ſed adeo ſæpe recidiua, vt vix menſem ὀρθοσαδιος, & ſine remediis, per aliquot annos tranſigeret. Poſt mærorem longum terroremque multum, exeunte æſtate, ante triennium & quod excedit, incidit in febrem epidemiam, anomalam rurſus viſam, ſed, ob hauſtum forte a filio impenſe febricitante contagium, ſtatim prauiorem. Vſa per aliquot hebdomades remediis conſuetis nihil proficiens, me vocauit, aliumque medicum, virum ſummum. Obſeruato rite typo, quotidianum eum, ſed ex triplicato quartanæ genere, manifeſte reperimus. Præcepimus ex methodo noſtra corticem. Obſecuta ægra abſoluit curationis filum, & ab eo tempore ab illa febriendi conſuetudine immunis & ſana per triennium vixit, niſi quod adhuc hæmorrhoidum moleſtiis obnoxia ſit, & ſemel ex catarrho leuiter febricitarit.

reuerſiones poſt febrifugum remedium. Reuerſiones frequentes etiam euenerunt, vbi febres epidemiæ, ante declinationis tempus, cortice, aut alio remedio amaro, aut ſalino potentiori, interceptæ & profligatæ fuerunt, ſed nullo ad motus deinde recidiuos præcauendos habito reſpectu: quod qui negligunt, occaſionem præbent culpando innocuo medicamento. Febres maxime difficiliores antidoto Peruuiana perperam, vel imperfecte, curatæ, easdem paſſæ ſunt manes, quas ceteræ, quibus ſolius naturæ robur ſine plena victoria oppoſitum fuit, vel quoduis

poſt curationem imperfectam.

me-

medicamentum minus adæquatum adhibitum: morbo permutato potius tantisper cum alius ægritudinis imagine, quam cum integritate functionum corporis. Equidem, attestante experientia, affirmare ausim, quum multi se homines illotis manibus medicinæ passim immiscuerint, & corticem, sine iusta methodo, pluribus exhibuerint, quam

Quot Themison ægros autumno occiderit vno, (i)

non tot ac tanta plerumque mala obseruari consueuisse, *post febres* sua indole, vel ægri constitutione, aut diæta, *minus securas*, quam ab alius cuiusque imbecillioris remedii, quamlibet laudatissimi, inepto, vel non sufficienti vsu. Vix etiam, vbi forte fortuna, in languoris aliorumque symptomatum locum, febris cum typo manifesto iterum succesſit, quam vulgo recidiuam vocant, æque illa grauis, vel certe æque periculosa esse consueuit, ac vbi alia minus potentia præcesserant tentamina. Aliqua sane morbidæ materiæ pars vere specifico medicamine, quamuis sine iusta lege dato, plerumque eneruari videtur: etsi pro diuersa aberrationis grauitate, & ægrotantium ratione, variæ notentur differentiæ. Huiusmodi febres recidiuæ, quas *nothas* appellare liceat, (k) vti post imbecillem nimis corticis vsum, hodie hominibus cuiusque sortis, methodi veræ ignaris, frequentatum, & qui innocens remedium infamare aptus est; ita etiam post naturæ, aliusue medicinæ, debiliora molimina, frequentissime euenerunt, aut sua sponte, aut reuocatis ad iustæ methodi leges, salutari consilio, motibus febrili-

febres recidiuæ nothæ.

(i) *Iuuenalis.*

(k) v. *Ortlob.* scrutin. recidiu. §. 31. vbi signa huiusmodi reuersionum euenturarum egregie enarrantur: quorum decimum est: "in specie magis recidiua "metuenda est, si adhuc, licet "obscure magis, prioris morbi "reliquias ex symptomatibus re"stitantibus, licet remissioribus, "obseruamus.

reuerſiones poſt morbum ſubito periculoſum.

brilibus. (l) Febres ſubito periculoſas, haud adeo paucas, præſertim ſoporoſas, naturæ vel artes medicæ impares morte terminari permiſerunt. (m) Similes affectus, vbi quidem, per corticis vſurpationem haud omnibus numeris abſolutam, vel non rite repetitam, conſeruata eſt vita, (n) variis

reuocatio febris.

(l) Reuocatio illa cum magna cautione fieri debet: neque ego in quouis ſtatu epidemio, aut corporis habitu, tentandum illud antiquitus notum artificium conſuluerim, niſi remedio me pollere certus ſim, quo motus forſan excedentes tempeſtiue rurſum reprimere, & penitus auertere poſſim. Cogitent, qui audacius ſentiunt, &, nullo fere habito diſcrimine, febres, quibus perperam curatis alius morbus ſucceſſiſſe videtur, reuocari debere docent, quæ rectiſſime olim *Trincauellus* de ratione curandi L. II. c. 3. ſcripſit: "febris neque "deſideranda, neque excitanda "eſt, niſi quæ mitis & modera-"ta ſit: alioquin vellemus mor-"bum vnum curare altero, non "minus verendo. Mitem vero & moderatam excitare, & ſeruare, nec cuiuis, nec vbique profecto licet: quiquid de huius vel illius methodi, aut medicinæ, felici efficientia ad febres ſuppreſſas exſuscitandas laudetur. Tutius longe ſæpe eſſe obſeruauimus, ſi quæ febres imperfecte curatæ obtingunt, continuare medelæ febrifugæ vſum, vel ſolum, vel præmiſſis aut additis pro indicatione aliis, ſecundum regulas ſupra ſcriptas, donec plena appareat ſanitas, & deinde repetere eundem, ex arte mox deſcribenda. Ita ſæpenumero hominibus abs me petentibus, vt chinam expellam, ab alio medico, aut a medicaſtro, visceribus vel artubus, vt vulgus opinatur, impactam, ridens reſpondeo, cuneum cuneo trudi, & continuando eodem remedio opus eſſe, quo voti potiamur.

(m) *Trauerſarius* l.c. p.299. vbi de reuerſionibus egit: "experien-"tia, ait, compertum habemus, "quam plurimos non adhibito "ſtatim febrifugo interiiſſe, ple-"rosque propinata e veſtigio "china conualuiſſe.

(n) *Lanciſius* p.309. "Miror ſane, ait, "non intelligere cenſores, recidiuam

variis tamen reuerſiones, vel veris, vel nothis, quamuis minus perniciosis, mulctarunt ægrum. Diuturniores ex ſua natura febres, ſi cortice, vel alio remedio febrifugo, interceptæ fuerunt, ægro in ſanitatem perfectam tantisper ſaltim reſtituto, (o) aliud incommodum non attulerunt, niſi quod recidiuæ idemtidem factæ ſunt, donec exhauſta forte fuit per naturæ ὑστερεργυντος, vel artis virtutem, vel aeris & anni mutationem, cauſſa reliqua morbi, qui per tempora ſua decurrere impeditus eſt: & curatio perfecta facilis fuit, niſi forte interdum molimina reuerſionis, ab hominibus diagnoſin aut methodum ignorantibus, vbi præſertim remedium febrifugum oderint, peruerſis medelis turbata, & in alium morbum imprudenter conuerſa ſunt. Atque huiusmodi euentus potiſſimum vanis artis accuſationibus anſam præbent. Interea alii, pari febre indolis chronicæ affecti, qui cortice vſi non ſunt, aut per paroxysmos ſuos perpetuo febricitarunt, moleſtiis periculisque expoſiti, nescio an optabili a morbi regreſſibus immunitate, niſi quis continuum morbum interrupto præferre velit (p); aut, interdum a febre aliquantisper ſub aliorum ſymptomatum larua liberati viſi, recurſus vehementiores plerumque paſſi ſunt, quam quibus ſaniora interualla per medelam febrifugam præſtita fuerunt. (q) Vix etiam, ac ne vix

poſt morbum indolis diuturnioris.

"diuam potius, quam mortem, "expetendam eſſe, vbi hæc im- "pendet, niſi febris ſubito pro- "fligetur.

(o) Conſulto id facere conſueuerunt, quamuis reuerſionem euenturam putarent, *Williſius* de febribus c. 6. *Ramazzinus* p. 225. 236. ſqq. *Sydenham.* p. 112. c. 5. de morbis acutis, quamquam hic deinde meliora expertus eſt.

(p) *Sydenham* de morb. acut. p. "m. 112. Morbus per ſeptimanas "duas vel tres delitescit, magno "cum ægri emolumento, qui ab "illo male multatus paullulum "interim reſpirat.

(q) *Trauerſarius* l. c. p. 299. *Abs- "que corticis vſu* hoc ſtatu epidemio

vix quidem, id ſua ſæpe tolerantia (r) lucrati ſunt miſeri, vt motus febriles, licet moleſtiſſimi & violentiſſimi, citius morbidam materiam conſumſerint, atque ex corpore eiecerint, quam alii, per longioris ſanitatis, breuiorisque, & ſtatim rurſus oppreſſæ, febris recidiuæ intercapedines, perennantem ἀπυρεξιαν recuperarunt. (s) Interdum quidem, quamuis penitus reſtituti viſi ſunt ægri, vbi aliquid circa corticis vſum peccatum tamen eſt, vel curioſa & inordinata poſt febrem iam plane ceſſantem continuatione remedii, quod vulgatiſſimum vitium eſt, (t) vel omiſſis, quæ præmitti aut interponi debebant mede-

remora reuerſionum & morbus longior per medicinæ culpam.

"mio *difficillime* conualeſcunt "ægri, quin potius vel in au- "tumnales *quartanas*, quarum "anno 1710. & currenti 11. non "exiguus eſt numerus; vel in "*cachecticas leucophlegmaticas*- "*que* affectiones, *hydropi* inſu- "perabili affines, incidunt.

* *nimii remediorum febrifugorum vſus noxæ.*

(r) Cauendum eſt his, qui febres per expectationem curare ſatagunt, ne cenſuram promereantur, quam apud *Virgilium* paſtores incurrunt, negligentes, & vano medelarum potius, quam iuſto morborum timore perculſi:

\- - - *alitur vitium, viuitque tegendo,*
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, aut meliora deos ſedet omnia poſcens,
Cum furit, atque artus depaſcitur arida febris.

(s) v. experimenta auctorum ſupra nota (g) adductorum, quibus paria habent plerique, qui ante *Talborium* ſcripſerunt, item *Reſtaurandus*, *Storchius* aliique.

(t) *Varia ab hac inutili continuatione naſci poſſe incommoda videntur. Primo enim nauſea ſine fructu creatur. Deinde hoc remedium, vti cetera omnia, præſertim puluerulenta & ſicciora, immo vti alimenta ipſa, niſi εὐφορια probe obſeruetur, ſtomacho & neruis delicatioribus graue tandem fieri poteſt; quamuis id a cortice genuino, quippe blande amaro, & digeſtionem inſigniter iuuante, & egregie tonico

medelis aliis, id effectum eſt, morbus longior appareret. vt, qui citius finiri potuiſſet, Febres enim recidiuæ, quæ ſpon-

tonico, minus metuendum ſit, quam a pluribus aliis medicamentis. Tertio appetitus nimius interdum excitatur, vt ab amaris diu vſurpatis fieri ſolet, vnde facile in diæta delinquit conualeſcens. Quartum eſt, quod retardatur ita, & in ſuo ordine turbatur, temporarius ille materiæ recidiuæ orgasmus: vnde illæ ipſæ oboriuntur, quas heic notamus, reuerſiones inordinatæ, & ſeræ: quod perquam frequenter accidit. Quintum eſt, fieri poſſe, vt hæc materia immatura, retardato vltra modum naturalem orgasmo, tum vero non attento & imperfecte repreſſo, quum tempore iuſto molimina contingunt, &, iuuante forſan alia praua corporis diſpoſitione, aliam in corpore induat formam, aut motum alium ſuſcipiat, & morbi μεταχηματισμον variasque ægritudines inducat, quod tamen rarius ab hac cauſſa euenit: dum plerumque vel natura tandem aliquando maturat & euoluit materiem, ita vt vera febris recidiua appareat; vel, præmiſſis præmittendis, ipſa legitima per corticem curatio omne fert punctum. Atque hoc quidem ſenſu, nimium, & nimis diu continuatum, corticis vſum nocere poſſe ſentio: quamuis doſeos nimis parcæ & caſtratæ noxa & manifeſtior ſit, & grauior, & frequentior; & iſta itidem præcipue non remedio, ſed materiæ morbidæ debeantur, eodem incaſſum & haud recte tentatæ: quod idem de ceteris medelis febrifugis dicendum eſſe, res ipſa docet. Hanc ob rem ſupra in regula ſecunda ſcripſimus, "proportionem "inter vim morbi & reme-"dii rite obſeruandum eſſe, "vt iuſto tempore deſinere no-"uerimus." Idque facili negotio fit, ſi, obtenta meliori valetudine, & quando non amplius indies magis magisque a remediorum ληξιπυρετων vſu in ſanitate proficere ægrum apparet, (quod præcipuum indicium eſt, materiem, ſi qua latet, non amplius attingi,) ceſſemus a medicatione, neque continuemus nimis officioſe, ſed tempus iuſtum repetendæ

ſponte ſuæ relictæ citius euenturæ fuiſſent, retardatæ hoc pacto potius & ſemiſopitæ, quam penitus profligatæ fuerunt, poſt menſem & vltra demum, rupto vinculo malefido, manifeſte accidentes: dum ſub alia methodo ſimiliter laborantibus ægris, citius manifeſtato recurſu, citius etiam ſua tempora decurrit morbus, vel iuſtam ſui curationem popoſcit: quæ vbi recte inſtituta non eſt, iterum iterumque relapſi ſunt miſeri, licet iterum iterumque cortice curati, & deuorata ingenti eius quantitate, cum opprobrio remedii apud hos, qui non bene diiudicant medicinæ vitium a medentis errore. Verbo dicam: febres recidiuæ fiunt vel veræ, vbi ad integritatem functionum redierat æger, vel nothæ, vbi morbidi motus non penitus ceſſarant. Hæ a qualibet naturæ vel artis ope imperfecta frequentiſſime contingunt. Illæ fiunt vel poſt febres ſua indole recidiuas, quacunque ex curatione deſiuerint; vel poſt eas, quæ, diuturniores futuræ, remedio interceptæ fuerant, quod materiam profundius latentem & immaturam, ſed ſponte deinde repullulantem, attingere vno curationis filo non potuerit: quamuis ſi id iuſto tempore repetatur, reuerſio certo præpediri poſſit. Vulgaris igitur eſt, ſed manifeſtus, error, quo ipſi remedio recidiuæ febres, quaſi ipſi aquæ recandeſcens incendium, imputantur. Ipſa enim materia morbida, vti febrim primariam fecit, ita, ſi quocun-

ſumma dictorum.

---

expectemus. In noſtrate morbi ſpecie τυπικως ὑποστροφωδει curanda, medicatio continua, etſi diutiſſime vſurpata, & inordinata quæuis, etſi copioſiſſime adhibito remedio, reuerſionem non potuit ſemper prohibere, interdum nocere viſa: dum illa, quam deinceps explicabimus, methodus, certis temporum interuallis interpolata, ſpem plenæ & conſtantis ſanitatis vix ac ne vix quidem fefellit: vt adeo heic verum repererimus illud:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

cunque modo imperfecte extincta sit, reuersionem inducit, suæ indolis culpa, non remedii: quamuis huius vsus non rite repetitus pro febre longa continuante interruptam faciat, siue recidiuam euenire permittat; abusus vero, vti ceterarum medelarum omnium, turbare morbum, præsertim difficiliorum, &, reuersionibus inordinatis ansam præbendo, longiorem facere possit.

§. II.

Quod autem longe frequentius morbi longitudo longitudinem maiorem, & paroxysmus paroxysmum, & febris ipsa febrem recidiuam ingeneret, multa sunt quæ persuadent. Lubens concesserim, febrim in se & absolute spectatam, esse motum naturæ per secretiones & excretiones materiæ nociuæ, ad conseruationem corporis tendentem, (a) immo,

Febris recidiua ab ipsa febre sæpe oritur.

febris instrumentum naturæ.

(a) *Sydenham* de morb. acut. p. m. 72. "profecto, ait, est febris "ipsa naturæ instrumentum, "quo partes impuras a puris "secernat. Ita docuerunt omni æuo, hodieque sentiunt ac docent vbiuis, medicorum prudentum scholæ. Sane auctor naturæ, cuius vocis notionem sect. 6. §. 8. 9. explicabimus, qui febrim eiusmodi instrumentum esse, & omnia ordine, tempore, & mensura, peragi voluit, ea etiam in symptomatibus, coctionibus, crisibus, obseruari dedit, vt ipsas molestias suo modo vtiles esse, & medico experto & sapienti indicare appareat, quid agendum sit, aut omittendum. Vix refert, vtrum ea humanæ animæ, quæ symptomatibus sapienter affici velit, an naturæ rerum creatarum corporearum mechanicæ, adscribamus: modo noxias & inutiles molestias, seu errores naturæ, & effectus vtiles, vel secus, causarum corporearum agnoscamus, a quibus natura afficitur. Neque adeo mirum nobis est, quod laudatissimus vir gloriatur: ad *Harueum* p. 166. "iam tres supra quadraginta "sunt anni ex quo hanc causam "agere suscepi. Rarissima, hoc "in primis æuo, fortuna, euenit,

immo, ſi a notione populari & conſueta diſcedere lubeat,

"nit, vt nemo in publicum pro-
"ceſſerit, aduerſus illam perora-
"re contendens." Quatenus febris imputatur animæ rationali, ſapienter, circumſpecte, & ſollicite, motus febriculoſos eligenti, excitanti, & pro cauſſis ſollicitudinis vel augenti, vel minuenti, & ipſa ſymptomata ad certos ſcopos dirigenti, ſine materiali corporearum cauſſarum effectu, qui moralis ſolum ſit, æſtimationem ſui ab anima ſapienti promerens, quod fere ſolum eſt viro illuſtri in theoria febrium peculiare; quatenns, inquam, ita ſentire lubet ipſi, eiusque aſſeclis; plurimi ſane medici incliti etiamnum florentes in publicum proceſſerunt, aduerſus eam ſententiam perorantes, diſputantes, ſcribentes: in ipſa academia Halenſi *Hoffmannus*, in Lipſienſi *Schacherus*, in Ienenſi *Wedelius*, in Vitembergenſi *Bergerus*, in Helmſtadienſi *Meibomius*, in Gieſſenſi *Valentinus*, in Marpurgenſi *Veldius*, in Roſtochienſi *Schaperus*, in Tubingenſi *Camerarius*, in Altorfina *Schulzius*, in Argentinenſi *Boeclerus*, in Lugdunenſi *Boerhaauius*, in Traiectina *Barchuſius*, in iisdem aliisque locis plures alii viri ſapientiſſimi, doctiſſimique. In ipſo ad medelam etiam ληξιπυρετον reſpectu, vbi ex theoriæ influxu practice diſſentire a medicis mechanicis putantur *Stahliani* ſectatores, quamuis plurimi haud vere diſſentiant, contradixit cum ceteris huic hypotheſi ill. *Hoffmannus* tum paſſim alibi, tum nuper in de recto corticis vſu in febribus, §. 35. "quod, ait, "cortex Peruuianus ſtatim in "principio, poſt vnum vel al-"terum paroxysmum, tuto in "vſum vocari poſſit, pernegant "maxime iſti, qui naturam fe-"bre, tamquam remedio *ſapien-*"*ti conſilio*, vti cenſent, *ad* "*amoliendas cauſſas*, quæ vitæ "periculum ſtruunt, perſuaſi "*optimam & ſalutarem naturæ* "*intentionem* hac ratione tur-"bari. Sed ſuperuacaneum pla-"ne eſſe hunc metum, experi-"entia, optima medicarum et-"iam veritatum magiſtra, omni-"busque ratiociniis ſuperior, "luculenter admodum docet. "Nobis certe innumera fere "ſunt exempla eorum, qui a "tertiana epidemica, grauibus-"que ſymptomatibus inuaden-"te, ita perfecte cum ſanitate "in gratiam redierunt.

beat, (b) ne quidem morbum vocari merere: quemadmodum illuſtris *Stahlius* ſæpius, & nouiſſimo rurſum ſcripto aliquo, (c) mentem ſuam profeſſus eſt: qua ſententia, cum conſecutionibus variis, in theoriam medicam "introducta, ſola, cordate, bona fide, diſtincte, & connexe, "febrium ratio exponi poſſit, cui ex alia hypotheſi quacun-

(b) Hanc ſequi nos conſueuimus, & olim in diſſertatione quadam mentem ita explicauimus: "quemadmodum ſanitas corporis noſtri viui in blanda par-"tium & functionum integrita-"te & harmonia, ita *morbus*, in "*moleſta partium*, vel *functio-"num*, *læſione* aut *perturbatione* "conſiſtit. *Partes corporis* aliæ "*ſolidæ* dicuntur, aliæ *fluidæ*, "quarum ſingulæ certam iu-"ſtamque, naturali rerum ſtatu, "habent κρασιν, ſiue *compagis*, "*toni*, & *mixtionis* rationem, "quæ, ſicubi *moleſtam* patiatur "*mutationem*, tunc *morbum* "adeſſe dicimus. *Functiones* "vero, ſeu actiones, ac ſenſus, "in corpore omnes; progreſ-"ſus, ſecretiones, egeſtiones "humorum, & quæ ſunt reli-"qua; perficiuntur *motu*, qui "& naturalem fluidarum par-"tium fluorem, & debitum in "ſolidarum partium tono, e-"iusque συστολὴ & διαστολὴ, re-"quirit æquilibrium ac medio-"critatem. Quandocunque igi-"tur *fluidæ* quidem partes *mo-"leſta* vel *fluxione*, vel *retarda-"tione*, *ſolidæ* autem vel *con-"tractione* vel *relaxatione*, præ-"ter ſolitam naturæ rationem, "laborant, tunc itidem *morbum* "adeſſe pronuntiamus." Eadem populorum omnium notione deus febrim inter morbos, eosque præcipuos, retuliſſe notatur b. *Wedelio*, medico πολυμαθεσατῳ, exercit. philolog. dec. 8. exerc. 4. "Inter alios, "inquit, quamplures morbos, "quos ſuauiſſimus ſaluator ſa-"naſſe & aboleuiſſe legitur, eſt "quoque omnium maximus "FEBRIS. Et hæc inter præci-"puos numeratur Deut. xxviii. "22. quibus iratus deus afflige-"re minatus eſt humanum ge-"nus.

(c) Not. ad *Haruei* artem curandi per expectat. c. 24. p. 56. ſqq.

naturæ errores & defectus.

"que ne vel minima lux affulſerit. (d) Verum nemo etiam negauerit, ad illum ipſum motum certi & ſingularis per varia febrium genera generis, naturam a ſingulari aliqua impuritate excitari, atque diuerſitatem ingentem, in moleſtia, curatione, exitu, & reuerſione febris, ſuboriri a quantitate eius materiæ aut maiori, aut minori, a craſi illius benigniori, vel ſecus, a locis & partibus vnde & quo defertur, a proportione eius ad corpus huiusque habitum, & humorum corporis ad motus, & elateris fluidarum ſolidarumque partium ad ipſas virtutes motrices, quascunque demum eas eſſe ſtatuamus. Quæ omnia, cum innumerabiles a rebus naturalibus, non naturalibus, præternaturalibus, quas vocant, ſeu intrinſecus atque extrinſecus quacunque de cauſſa contingentibus, patiantur varietates & mutationes, merito idem grauiſſimus auctor (e), "natu-"ram hominis, inquit, facile & varie errare poſſe, quis-"quis dubitare ſuſcipit, eo ipſo exemplum aberrationis ex-"hibet. Hinc illam febricitationem, quæ abſolute ſpecta-ta motus erat ſalutaris, ſi in concreto, quod dicunt, vti re vera exſiſtit, conſideraueris, multa inde pericula, moleſtias nimium graues, longas, recidiuas, non poſſe non idemtidem euenire, nemo recte conſiderantium eſt, quem fugere queat: (f) & ideo arte opus eſſe, quæ motus vtiles & ſalutares ab inutilibus & noxiis ſollicite diſtinguat, & naturam humanam labantem aut aberrantem ſuffulciat ac moderetur, quam artem deus naturæ auctor condidit, experientia genuit, analogia rationalis formauit.

paroxyſmorum criſis infida.

Verus eſt *Hippocratis* aphorismus: (g) "a criſi quæ in "morbis relinquuntur, reuerſionem inducere ſolent. Natura

(d) Conf. cl. *Barchuſen* de medic. orig. & progreſſ. diſſert. 25. §. 27.

(e) p. 160. not. ad *Harueum* add. p. 157. vbi plane nobiscum ſentire videtur.

(f) *Stahlius* l. c. p. 157.

(g) 12. Sect. II.

tura quouis paroxysmo partem materiæ impuræ, quam potest, coquit, & per organa excretionum amandat. Ecquis vero sponsor esse velit, naturæ humanæ vel sapientiam, si qua proprie est, vel potentiam, & nisum spontaneum, eo pertingere, vt nihil inconsuetis illis, & sæpe, pro rerum circumstantium ratione, anomalis motibus impotenter moliatur, aut moueat, quod moueri non deberet, promoueri non possit? Hinc prono consequitur impetu, quam facile humoris impuri pars, a crisi particulari vniuscuiusque paroxysmi post motum immaturum relicta, ita profunde visceribus & succorum crasi immergi possit, vt nouis paroxysmis pluribus, & longa aut recidiua febre opus sit, si naturæ virtute corpus repurgari deinceps debeat. Immo ipsi corporis humores boni & puri, vel quorum certe impuritates diuersæ sine molestia diu latere, vel sensim naturalibus motibus consumi potuissent, per febrilem paroxysmum suo circulationis ordine emoti, facillime corrumpi, & communicatas forte secum crisεos imperfectæ reliquias profunde intra sinum suum abscondere posse, videntur. Debilitantur etiam paroxysticis motibus partes corporis, & languidiores fiunt functiones, earum in primis, in quibus febriculosus fomes vel generatur, vel colligitur: ex quibus causis omnibus, præter alia sanitatis detrimenta, plurium paroxysmorum & febrium recidiuarum fomes haud iniuria deriuari possit. (h) Atque imperfecta eiusmodi crisis, & damnosæ moli-

(h) Egregie *Sennertus* de febribus l. 2. c. 17. p. 253. "Relinquitur "post paroxysmum, vti Galenus "2. de differ. febr. cap. vlt. tra- "dit, duplex in corpore vitiosa "διάθεσις, vna inquinamentum "quoddam ex humore in præ- "cedenti paroxysmo relictum; "altera membri excrementitios "humores generantis debilitas.

Hinc

molitiones, facilius fere in morbo paroxyſtico longioris indolis, quantumuis ex ſua natura haud maligno, euenire videntur, quam in acuto. In illo enim longe plures, quam in hoc, eſſe videntur materiæ impuræ partes, inæqualis maturitatis & mobilitatis, quarum præmaturi motus noxas & anomalias illas inducere poſſunt. Hinc forſan eſt, quod plures paſſim febres recidiuæ ex intermittentium, quam continentium, genere notentur. (i) Taceo hauſta rurſum intro, quæ ſub criſi paroxyſmi neceſſario exſpirant, effluuia, quæ in noſtro hoc morborum genere plerumque humores in ſui conſortium rapi aptos intra corpus ægri reperiunt, ſicuti irrefragabili, niſi imaginatione & explicatione affectata ludere velimus, experientiæ teſtimonio conſtat, tot alios inde contagio infici. (k) Quod ſi

contagium.

"Hinc accidit, vt pars hæc, ob "debilitatem, ſuperfluitates ge- "neret; quæ & ab innato vitio, "& a putredinoſo inquinamen- "to a priore paroxyſmo relicto, "initium putredinis concipiunt, "atque ita nouus paroxysmus "oritur. Idque tamdiu durat, "donec & illa diſpoſitio, & "partis debilitas excrementiti- "os humores generans, ſubla- "ta, & illud σηπονωδες περιττωμα "humores inquinans plane di- "ſcuſſum ſit.

(i) Conf. *Alpinus* hiſt. epid. §. 47. qui hanc ſententiam eleganter explicat & probat.

(k) H. *Meibom.* de febribus intermittentibus epidem. §. 8. "non poteſt, inquit, non expe- "rientia docere, illos, qui in "eadem domo, eodem contu- "bernio, eodem ſæpe lecto "vtuntur, frequentiſſime infici "ad vnum pene omnes. Con- "tagium illud obſeruaui mani- "feſtiſſime anno 1666. vbi hæ "febres tum alibi, tum in primis "Wolffenbütteli, plusquam di- "midiam partem hominum af- "fecerunt, vbi contigit, vt "omnibus in vna aliqua domo, "numeroſa admodum familia, "decumbentibus, ſtatim corri- "perentur, ſi qui ad miniſtran- "dum in primis nouiter acceſ- "ſiſſent." *Bianchius* hiſt. hepat. p. 745. ſq. "Ad ineundas fe-

bres,

ſi illorum aliquid, vel ægri, vel adſtantium, vel medentium, vel naturæ errore aut debilitate, vel morbi aut coniuncto-rum affectuum grauitate, vel ab externa internaue cauſſa quacunque, per vnum aut alterum paroxyſmum, contigerit, quod quidem in morbo longiori, difficiliori, aut illegitimo, immo & in legitimo quouis, facillimum eſſe, negari haud poſſe videtur; tum quidem acceſſio acceſſionem, febris difficilis difficilem, immo etiam recidiuam, ſeu ſimilem ſui ſobolem, progenuiſſe videbitur. Eadem omnia, immo interdum grauiora, euentura facile augurari licet, vbi ſemiſopiti imperfecta naturæ aut artis medela paroxysmi, ſub languoris aliusue morbi ſimulacro, circumferuntur, & criſin vel nullam faciunt, vel minus perfectam. Quare, quum imperfecta curatio per corticem Peruuianum, quippe lippis & tonſoribus notum hodie & vſitatum qualitercunque remedium, frequentiſſima ſit, mirum non eſt, ſi febris, haud penitus per illum ſuppreſſa, obſcuris ſuis & minus efficacibus motibus, frequentes reuerſiones, *conſequentia dictorum.*

S &

"bres, etiam populares, certa "quædam & proportionata re-"quiritur humorum diſpoſi-"tio, atque morboſus appara-"tus. Aſt ſiquidem, etiam "dato hoc apparatu, non ſem-"per excitantur febres, niſi ab "externo fomite ſuccendantur: "ita ſæpe incitamenti vices ge-"runt effluuia, ab vno infirmo "in alium tradu&ta. Obſerua-"mus frequenter, non ſolitari-"as ire febres in numeroſis fa-"miliis, quando epidemicæ vi-"gent, vtut tertianas, ſed ab "vno in aliud ſubiectum ſæpe "migrare, præcipue in paupe-"rum gurguſtiis, vbi plures "inſimul cubare adſueſcunt." Similes plane fuerunt in noſtro ſtatu epidemio obſeruationes: idque conqueri potuimus, quod *Borrichius* in act. Hafn. vol. 5. obſ. 54. de quartana tunc temporis graſſata dicit: "integræ "familiæ, toti popemodum "pagi, immo quandoque ter-"tia pars oppidanorum, velut "fulmine icta, lectis affixa eſt.

& morbi longitudinem, ex ſua indole ingenerat, id quod ignorantes deinde huic remedio perperam imputant, maleuoli imputare amant. Adſtipulatur fere hisce ratiociniis de febris longitudine & reuerſione, ex ipſius febris culpa, *Stahlius*, qui naturam, materia impura iam exhauſta, quaſi per conſuetudinem, paroxyſmos motusque recidiuos inducere, ingenioſa coniectura ſtatuit, & tum quidem corticem Peruuianum, ad ſupprimendos motus inutiles, laudare ſolet, (l) parcus alioquin eius remedii laudator, ob euentus, quos notauit, ex abuſibus alienis, & naturæ, quam pro ipſa anima rationali habet, in multis febribus αυταρχειαν, ſub ſtatu præſertim epidemio, & endemio, & corporum ſingulorum, feliciori, & theoriæ ſuæ nexum, & ſi qua alia forte eſt ratio. Recte *F. Hoffmannus* (m) "per ipſum, inquit, febrilem motum noua "ſemper gignitur *materia*, quæ, præſertim quando per"ſpiratione non excluditur, & inſalubri victu augetur "potius, nouum ſemper induci paroxysmum non mi"rum eſt.

§. III.

Problema & obſeruationes de cita febris fuga reuerſionem præpediente.

Neque tamen hoc ego theorema, vltra experientiæ ſuffragium, ita vniuerſim ſtabilitum velim, vt primos cuiusque febris paroxysmos, vel errores ſub ipſis commiſſos, pro ceterorum omnium cauſſa habeam. Vniuerſam enim ſæpe febris, etiam intermittentis, materiam, vel magnam eius partem, durationis ſpontaneæ, acceſſionum, incrementi, declinationis, & recurſuum cauſſam, a primo inde

(l) v. præter alia ſcripta plura eius colleg. practic. cum not. *Storchii* §. 1841. mebr. 7. ſect. 1. p. 939. item diſſert. de tertiana febris genium manifeſtante c. 2. p. 26. c. 6. p. 56.

(m) medic. ſyſtem. T. III. Sect. I. c. 3. p. 102.

inde inſultu, intra viſcerum & humorum receſſus, in herba certe, & niſu naturali, ita latere probabile eſt, vt ex ſuæ deinde indolis lege, & pro naturæ ad illam habitu, vel generetur, vel maturetur, vel in motum ſenſim agatur. Neque tum niſi artis ope in herba ſuffocari poteſt morbus, vt præpediatur, quo minus per ſua tempora decurrat, & ſua ſponte reuertatur. Meum vero haud facio, ſi febris tuta ſatis appareat, *Mortoni* (a) conſilium, qui, "nulli, inquit, auctor ero, vt vel ſecundus paroxysmus "permittatur: cui lubens aſſentit *Bohnius* (b), & *Riedlinus* (c). Attamen experientiam qualemcunque meam, plus decies data occaſione repetitam, teſtor, neminem eorum vlla poſtmodum febre recidiua, vel alia praua conſecutione, mulctatum eſſe, vbi ego, in prima acceſſione vocatus, periculi deinde inſtantis iuſto metu, ob aliorum exemplorum ſimilitudinem, & prauorum ſignorum terrores, perculſus, corticis ſtatim vſu febrem fugaui, &, eo continuato, ad omnium functionum integritatem ægrum perduxi: quamuis nulla deinde medicinæ ope vſus, ad præcidendam reuerſionem (d). Neque vero, cum ſufficiens nondum exſtet experimentorum copia, ſemper id

(a) exercit. 1. c. 5.

(b) tota diſſert. de præmatura intermittentium fuga, quam ſuſpectam tuetur.

(c) lin. medic. A. 4. menſ. 9. lin. 25. neque diſſentiunt, vir ſummus, *Bergerus* in cortice ab iniquis iudiciis vindicato §. 9. &, quos ibi adducit, auctores, *Badus*, *Donzellus*, *Protospatharius*, *Liſterus*, *Iones*: & eadem ſententia ſtetit *Talborio*, eiusque per Galliam & Angliam aſſeclis.

(d) conf. ill. *Hoffmann.* medic. Syſtem. Tom. IIII. l. 1. c. 4. p. 108. *Morton.* c. 7. vbi febres inflammatorias, in principio periodicas, cortice ſubito dato, ſine reuerſione penitus curari obſeruat.

& vbique ita euenturum esse spondere audeo, vlteriori & alienæ experientiæ rem commendans.

obseruat. partic. 23. Ipse ego, cum ante octo, & quod excedit, annos, vere pluuioso, ægrotam ruri inuisissem, pluribus horis ad seram vsque vesperam, inter aeris iniurias, itineri insumtis, & piscis viscidi esu haud sine nausea satiatus, paroxysmo febrili eadem statim vespera corripiebar. Tertianam intermittentem & accessionis ratio (e), & status epidemius, & vrinæ, linguæ, faciei, oculorumque color, & sapor amaricans aduersus, indicabant. Vrgebat instans prope tempus profectionis alicuius necessariæ. Sumsi statim mane ipecacuanham cum arcano duplicato: pomeridie cortice vti cœpi: quo continuato, non febris, nisi leuibus per alternos dies aliquot motibus, sed plena sensim sanitas rediit, qua hodieque vtor.

obseruat. partic. 24. Vnus ex his, quos, soporis maxime indiciis territus, ita velociter sanitati reddidi, pluribus ante annis dolore sinistrum hypochondrium grauante, & cordis palpitatione sæpe recurrente, laborarat. Post hanc ipsam curationem, a triennio ab iis symptomatibus sanus degit, & nunc quidem iter trans mare feliciter emensus est.

obseruat. partic. 25. Femella quadragenaria, temperamenti a natiuitate ita melancholici, vt ad morbum melancholiam, familiæ satis familiarem, procliuis sæpe fuerit, corpusculo debili, & multis alias pathematibus hystericis, spleneticis, colicis, & plusculis abortibus, exercito, quum, anno præterlapso, longum luctum passa esset, febre epidemia autumnali inuaditur. Post primum paroxysmum, graui dolore cardialgico, colico, & dysuria stipatum, quæ somnum iusto profundiorem idemtidem interrumpebant, itidem statim

(e) v. *Galenus* de crisibus l. 2. c. 3. de tertiana exquisita primo paroxysmo discernenda.

ſtatim ad corticem non accedere non auſus fui. Aſt poſtquam a febre manifeſtiori ſemunciæ forte vſu libera euaſit, languens licet adhuc, nauſeoſa, & plane imperfecte ſanitati reſtituta, continuare hanc medelam, neſcio quibus opinionibus & conſiliis muliercularum turbata, omnino noluit, ſeque febricitare negauit, id ſolum, vt paſſioni hyſtericæ, & aliis, quos metus melancholicus repræſentabat, morbis obuiam irem, rogans, variisque præterea remediis inepte vſa (f). Euanuerunt nihilominus ſenſim febrilia ſymptomata. Verum tamen, vti alias etiam ſueuit, alternis vicibus ſanitatis, & velut hyſtericorum paroxyſmorum, cum anxietate, triſtitia, metu vario, alui dolorifica proluuie, catameniis copioſis, ipſoque, qui ſolus nouus erat, & valde ingratus ægræ, hæmorrhoidum fluxu, per interualla hiemem exegit. Omnia lubens corticis, vitæ conſeruatoris, vſui accepta tuliſſet, niſi veterum imbecillitatum ipſa ſubinde recordata eſſet, & adſtringere illum cor-

(f) Eleganter celeb. *Stahl.* de æſtu maris microcosm. th. 8. "ad lectum ægrorum audimus, "quid ipſi maxime conqueran-"tur, id cum ipſis pro morbo "agnoſcimus, huic maxime "obſiſtere, occurrere, contra "pugnare: vt æger de lecto, "tamquam de ſella curuli, *con-"ſuluit*, ita *plebs* medica *ſciuit*. Graphice hanc medicorum crucem, ægris nimium quantum damnoſam, immo ſæpe exitiabilem, pingit ingenioſiſſimus *Lentilius*, tab. conſult. p. 35. "dum ægrotus clama-"bat, da potum; dum vxor, "medere ſingultui; dum affi-"nis, ſiſte dolorem; dum com-"pater, præbe ſudoriferum; "dum cognatus, da vinum, "vt cor confortetur; dum alii, "balneatores, mulieres, ami-"culi, ſcribe hoc vel iſtud, "quod vicino meo, re nulla "iuuante, in eodem affectu "grauiſſime decumbenti, ſalu-"tare fuit! & quæ ſexcenta ſunt "alia: quid tunc ageret me-"dicus? Emoriar, ni vel cen-"ties optauit: o, ſi aliam, "quamuis viliorem, artem "didiciſſem!

ticem perſuaſiſſet conſiliaria domeſtica, quum ægrota diarrhœis & fluxibus ſanguineis eſſet affecta. Tandem vere incipiente feliciter vſa remedio, quod ſuaſi, ex granis bis quotidie quindecim (g) limaturæ martis, (h) ſubtiliſſime, ſine affuſo liquore, præparatæ præcipue conſtante, poſt

(g) *Sydenhamius*, aliique, non niſi octo pro doſi præbere ſolent: & ſufficiunt ſæpe. *Lentilii*, aliorumque expertorum ſcripta idem, quod nos heic laudamus, commendant pondus: & vanum ſit, ſi aliqui metuant, graue ſtomacho futurum. Graviora longe ſunt calcium præparatorum, & alieno acore ſaturatorum, & quarumdam etiam tincturarum, doſes vel minores: & præſtare limaturam ipſam plerumque præparationibus, tum efficacia, tum ipſa digeſtionis facilitate, plurimi obſeruatores docti dudum annotarunt. Eleganter de hac ipſa re dicitur, quod de multis naturæ donis medicis verum eſt, & notabile, in *hiſtoire de l' academie des ſciences* 1713. p. 26. vbi de natura chalybis eiusque vſu medico egregie agitur: "diſpendio maximo eſt, artis opem "adhibere, vt natura deterior "reddatur. *C' eſt grand dom-*"*mage d' emploïer de l' art, à* "*gâter la nature.*" Veteres non infra duos ſcrupulos, ad ſesqui drachmam, immo drachmas duas vsque, propinare ſolebant limaturam crudam vel præparatam, & morbos chronicos maximos feliciter eo pacto ſanabant. v. *Sennertus* præx. l. 3. p. 537. *Claudinus* de ingreſſu ad infirmos append. ſect. 2. de natura & vſu chalybis & medicamentorum chalybeatorum, quæ tota legi meretur.

(h) Hoc cum eius progenie medicamentum, quod, a cortice Peruuiano plane diuerſæ efficaciæ, ex imperfectis, & haud ſatis diſtinctis, methodicorum veterum aphorismis de ſtricto & laxo, veluti ex vnica regula, itidem vulgo iudicatur, aliquando forte, quum de eius vſu in morbis febrilibus agendi locus erit, polychreſtis vtilitatibus vindicare moliemur, correctis abuſibus, ex theoria modeſta, & experientia antiqua & recenti. Propoſitum idem fuit illuſtri *Brunnero*, quod negotiis forſan, aut ſenecta

poſt multos inde excretos aſcarides, magnam partem ægritudine liberata eſt. Denique ſub Pyrmontanarum acidularum potu, ineunte æſtate, catenulam vermium cucurbitinorum (i) excreuit, quam, tertia poſt abſolutam curam hebdomade, ingens lumbricus viuus & concatenatus inſecutus eſt, qualem *Clericus* aliique (k) delineatum exhibent. Hinc incantamenti inſtar omnia omnino pathemata ceſſarunt, ipſaque femina egregie valet, ſanior quam pluribus retro annis. Ridet nunc ipſa aberrationes ſuas, inobedientiæque culpam in brutorum vermium phantasmata iocoſe coniicit.

Cæteri, quos decem numero, vbi ſimiliter corticem a primo paroxysmo dedi, obſequioſi ſatis fuerunt, & perfecte conſtanterqne conualuere omnes. *obſeruat. partic. 26.*

Immo

necta & morte præpeditus, non abſoluit. v. de glandul. duod. p. 149. vbi, "ex efficaciſſimorum, ait, remedio-"rum, dummodo manu tra-"ctentur periti, ſunt martia-"lia, in ſuis caſibus efficaciſſi-"ma, de quibus forte alias." Plura ſane medicamenta vtiliſſima limitibus nimis anguſtis, & impenetrabilibus difficultatibus, & edictis terroribusque theoreticis, tamquam præruptis ſcopulis, ita circumſepiuntur, vt ad vſum etiam verum & ſecurum vix cuiquam permitti videatur acceſſus. "Præ-"cepta finita eſſe debent: ſi "qua finiri non poſſunt, extra "ſapientiam ſunt." *Seneca.* Alii e contrario eadem ipſa remedia laudibus immodicis ita in vulgus propalant, vt vſui mixtus abuſus cuilibet pateat, quem profuſæ pollicitationes, & neſcio cuius hypotheſeos ingenioſa ſpecies, allicuerint. Aberratur vtrimque a veræ experientiæ repetitæ via regia.

(i) v. *Clericus* in hiſtor. lumbric. latorum, & quæ ibi ex *Spigelio*, *Tyſone*, *Vallisnerio*, *Andry*, *Aldrouando*, aliisque collecta ſunt; præſertim tab. I. A. & B. add. obſeruatio, & deſcriptio elegans *Borrichii* act. Hafn. vol. 2. obſ. 47.

(k) v. *Clericus* in hiſtor. lumbric. lator. præcipue tab. II.

similia de aliis medelis obseruata.

Immo vero non huius solum medicinæ eam esse felicitatem, sed & alias medelas, post primam statim accessionem adhibitas, felicius, quamuis haud adeo certo ac ipso cortex, opitulari, comperimus. Vt taceam effectus ita prosperos nobis obseruatos a remediis amaris illi similibus, item a subita catharsi, vel vomitione, sub febris initio, turgente materia (l), complures etiam sanitatem, post leuia vnius alteriusue accessionis molimina, statim recuperarunt, sine relapsu, quibus a primo

(l) Iterum heic laudare debemus puluerem *Cornachini*, vel similem ex scammoneo. Sunt status epidemii, de quibus & nos dicere possumus, quod *Timæus a Guldenklee* cas. medicinal. l. 8. c. 10. de tertiana simplici, vnica purgatione curata: "frequentissimæ circa id "tempus erant tertianæ febres; "verum sumto puluere chola- "gogo plerique liberati sunt: & quod idem deinde c. 19. notat: "si in febribus putridis inter- "mittentibus quibuscunque, ap- "parente aliqua, etiamsi non "perfecta, coctione, ægro ipso "die paroxysmi medicamen- "tum purgans dederis, ita vt "effectum suum ante inuasio- "nem compleat, videbis fe- "brim post illum paroxysmum "non amplius reuerti." Similia de ipecacuanha, & emeticis antimoniatis, prædicare licet. Meminerint tamen medentes, qui ita felices effectus vel a purgatione, vel a vomitione, notarunt, probe attendendum esse, quid euacuationem eiusmodi indicet, vel contra. Quadrat huc maxime monitum *Sydenhamianum*, egregio illo de morbis epidemiis c. 2. sect. I. de morb. acut. scriptum: "qua metho- "do currente anno ægrotos li- "beraueris, eadem ipsa for- "san, anno iam vertente, e "medio tolles" quodque idem grauissimus obseruator paullo infra habet: "idem morbus "in ipsissima anni constitutio- "ne varia sæpe, & dissimili "facie, se ostendat: quod qui- "dem tanti potest esse momen- "ti, vt, pro eius arbitrio, cu- "ratiuæ indicationes ponendæ "sumendæue fuerint.

primo febris vere intermittentis, tertianæ aut quartanæ, maxime vernalis, paroxysmo exeunte, & inde tertia quauis circiter hora, remedium exhibuimus digerens & diaphoreticum, verbi cauſſa, medicamenti egregii, quod in ipſo etiam paroxysmo datum anxietates leuare, humores digerere, & criſin deinde iuuare ſolet, ſpiritus tartari compoſiti, quem mixturam ſimplicem (m) vocant, guttas

(m) v. *Schultzius* peculiari libello de tinctura bezoardica, cuius hic ſpiritus præcipua pars eſt, & in appendice de mixtura ſimplici p. 177. ſqq. &, qui primus huius mixturæ auctor creditur, *Andernacus* de medic. vet. & noua P. II. p. 658. *In perſonis ſpleneticis ſeu ſcorbuticis, & vbi remedio magis volatili opus eſſe viſum eſt, ſubſtituimus pari cum felicitate, eadem doſi, ſed, ob odorem ſaporemque volatilem, ſyrupo pœoniæ aut ſimili temperantes, ſpiritum ſcorbuticum *Dravvizii*, quem ſub mixturæ ſimplicis antiſcorbuticæ nomine in pharmacopolia noſtra introduximus, deſcriptum in tractatu vom ſchmertzmachenden Schorbock, p. 159. "Spiritus tartari libra "vna, cochleariæ vnciis quatuor, irrorantur libræ duæ vitrioli ad rubedinem exſiccati, "digeruntur in balneo per octiduum, dein per retortam, "aucto gradatim igne, propellitur cum reliquis etiam ſpiri- "tus vitrioli volatilis. Doſis "auctori eſt drachma dimidia- "vel integra." Magnopere prædicatur in affectibus ſcorbuticis, præcipue paralyſi. Nobis fructum egregium, præter eam, quam in febribus modo laudauimus, vtilitatem, præbuit in ſtomachi ατονια, & appetitus digeſtionisque defectibus a muco viscido, bilioſo, ſalſo, putrido; in iis vitiis, quæ ſcorbuto calido tribui ſolent; in cachexia ſcorbutica; in paralyſi, & ipſa apoplexia recenti. Biennium fere eſt, quod puella ſexennis, illius ſoror, de qua infra febris nonanæ hiſtoriam recenſemus, poſt aliquot languoris dies, repente corripiebatur paralyſi vtriusque brachii & pedis & ſpinæ dorſi, cum ſenſu formicationis. Aberat cauſſa manifeſta,

* *Spiritus ſcorbuticus Dravvizii.*

obſeru. partic. 27.

tas forte triginta, aut tincturæ fuliginis *Clauderi*, quæ essentia diaphoretica audit duplum, vel vltra: aut quibus,

nifesta, nisi quod stomacace & scrophulæ iam diu afflixerant. Vocatus statim, dedi eius spiritus cum syrupo pœoniæ ανα mixti guttas triginta, idque singulis trihoriis repetii. Rediit sensim sensimque motus sensusque integer, & intra decem fere dies sanitas Absoluta iam hac scriptione, mulierem Iudæam. septuaginta octo annos natam, curo eum alio medico experientissimo, quæ olim sæpe podagrica, quatuor iam annis solitum affectum non passa, insultum nuper apoplecticum noctu subito sustinuit, ex quo lingua cum dextro brachio & pede paralytica remansere, cum mentis stupore, & febre continua. Secari statim venam, ad octo vncias in brachio siniſtro quum in pede non admitteretur, vesicatoria eidem brachio & cruri eius lateris admoueri, enema iniici, assumique per trihoria remixti similiter spiritus guttas sexaginta, curauimus, interpositis paucis pro re nata aliis. Ita lento quotidie gradu magis magisque rediit primum loquela, deinde liberior intellectus, laterisque attoniti motus, febris post nonum diem sensim soluta cessauit, appetitus somnusque, pro senectæ ratione, sat bene habet, & vix quinta nunc a morbi ingressu hebdomas numeratur, neque fere, nisi debilitas, quicquam supereſt. Furunculus in femore siniſtro enatus, & otalgia auris dextræ, vtrimque in abscessum transiit, atque, vti arbitror, egregie felicitatem medelæ iuuit. *Biennium fere effluxit, quod virum sexagenarium, doctum & laborioſum, hæmorrhoidarium, a graui hemiplegia dextri lateris, venæ sectione larga in siniſtro pede subito administrata, hoc ipso dein spiritu continue vsurpato, & denique laxatione κατ' επικρασιν repetita, ex pilulis polychrestis cum mercurio dulci, feliciter, deo iuuante, sanitati reddidimus. Idem superiori æstate tertiana duplici grauiter laborans, cortice Cinchina exhibita post tertium primariæ febris paroxysmum, & repetita legitime, optime con-

obſerv. partis. 28.

** obſerv. partic. 29.*

bus, vbi tertianam ſimplicem vere intermittentem a primo ſtatim inſultu agnoscere licuit, ſoluti liquore aliquo ſalis abſinthii drachmam integram, addito interdum ſulfuris antimonii grano, vel & ſalis ammoniaci drachma dimidia, aut alius ex ſalibus lixiuis aut mediis febrifugis ſufficientem doſin, ſex horis ante paroxysmi prioris tempus ſemel, aut aliquoties alternis diebus, propinauimus. Alii, ſimiliter plane correpti, vbi id momentum prætermiſſum eſt, & altera aut tertia acceſſio ante medicationem inuaſit, diutius longe grauiusque ægrotare, & reuerſionibus obuii eſſe, conſueuerunt. Ea tamen ſimul cautione vſi ſumus, quam ſupra iam innuimus, vt ſtatim, finita acceſſionis criſi, lintea febricoſo halitu polluta cum puriori-bus permutari curaremus. Atque hæc de reuerſionum metu, per citam a prima inuaſione febris fugam, præcidendo, problematis alicuius inſtar dicta ſunto, quod repetitæ experientiæ ſolvendum relinquimus. (n)

conualuit, valetque. Durante curatione eam moleſtiam hæmorrhoidum cœcarum, quam ſect. 3. §. 6. deſcripſimus, paſſus eſt, & curatus remedio laxante ex ſale cathartico amaro, fotibus, & vnguento albo camphorato, & præcipue continuato cortice febrifugo, cum granis aliquot lactis ſulfuris cuique doſi additis. Similem felicitatem laudati ſpiritus ſcorbutici experti quidem non ſumus, vbi diutius iam paralyſis tolerata fuit: vnde & iis in morbis laudandum eſt illud, quod in omnibus fere valet, & præſertim quorum typus non eſt inſuperabilis: principiis obſta!

(n) Alterum de præuertendis reuerſionibus problema, quod pleniori itidem experientiæ permittendum adhuc videtur, quum nobis, tentantibus ſine repetitione corticis, nondum æque reſpondere res viſa ſit, habet cl. *Mangetus* bibl. pharmac. T. 2. p. 698. vbi, "ſancte, "ait, aſſerere ſe poſſe, ſe in mil-"lenis ægris exhibitionem cor-"ticis non omni prorſus recidi-"uæ anteuertendæ aptam obſer-uaſſe,

vis ſalium volatilium ad præcauendos reditus.

§. IV.

Obſeruationes de reuerſionum tempore.

Alioqui, vbi poſt alterum pluresue paroxysmos febris per medelam ſpecificam victa eſt, quæ diutius alias duratura fuiſſet, tum quidem ſemper ægrotos, ſola medicatione per corticem continenti, a periculo quouis alio tutos præſtare licuit, ſed rarius, niſi ea legitime repetita fuerit, a redituro ſponte, poſt *certum* aliquod tempus, ſi permittatur, eodem morbo: qui tamen certe cari & apoplexiæ metu vacuus, & ſat facile ſanabilis, & longe plerumque priori mitior fuit; quamuis interdum, pro corporis, aeris, diætæ ratione, ad difficiliorem indolem redierit: vt omnes omnino morbi ὑποτροφωδεις, præſertim vero febres, modo faciliores, modo difficiliores reuertuntur, quocunque remedio curati ſint (a). Caueant ergo, qui inge-

"uaſſe, niſi volatilia etiam in lar-
"giſſima doſi admiſcuerit. Aſſentit *Trauerſarius* p. 297. "hanc veritatem, inquiens, hic "quoque Piſauri experientia "conſtantiſſime firmat." Cl. *Cohauſius*, auctor archei febrium fabri, in remedio quodam volatili, quod ſibi adhuc peculiare ſeruat, corticis vſui addendo, omne felicis, & a reuerſionum metu liberæ, medicationis præſidium collocat. Sunt ſane ſalia volatilia inſigniter febrifuga, & ſubtilia, & penetrantia, ac forſan reuerſionum materiam in herba latentem, quam cortex attingere nequeat, huic addita eneruare poſſunt, dum ipſe cortex metuendas a ſolitariis volatilibus noxas præuertat. add. §. ſq. not. b.

(a) *Ortlob.* ſcrutin. recidiu. §. 5. "Negari non poteſt, vti recidi-
"uam interdum atrociorem eſſe
"ipſo morbo præcedente; ita
"etiam præſertim febres, modo
"duplicatas, triplicatas reuerti,
"& modo, quæ erant cum in-
"termiſſione, continuo, modo
vice verſa infeſtare." *Grembs.* arbor. integr. & ruinoſ. homin. p. 407. exemplum refert: "* vir robuſtus & ſanguineæ
"complexionis, tertianæ nothæ
'*recidiuam* patiebatur, pulſus erat
"languidus, excretio copioſa.

* *obſeru. partic.* 30.

Nec

ingenium morbi verſatile, & remedii febrifugi recte dati innocentiam perſpectam non habent, ne, vbi obſcuriora forte molimina recidiua iuſto tempore vident, a vera cauſſa, & diagnoſi, & cura aberrent, ſuosque deinde, vti facile fit, errores, ſuas ἀμεθοδιας, priori methodo imputent, ſi morbum naturaliter recidiuum, ſed facile ſanabilem, difficilem fecerint, ordine proceſſurum turbarint, benignum futurum male permutarint. Caueant etiam, quod obiter moneo, ne, vbi febrim poſt corticem recidiuam, eamque forte facilem, facile curarunt, (b) ſuæ illi

"Nec pharmacum, nec ſangui-
"nis miſſionem competentem
"iudicabat medicus. Vreba-
"tur ſyrupis de endiuia, de
"acetoſa. Septimo die acce-
"pit rhabarbarum cum deco-
"cto fructuum. Sed ea nocte
"præter omnium ſpem extin-
"ctus eſt." Ignorabatur eius ætatis infelicitate cortex. Quod ſi iſto in priori febri adhibito recidiua contigiſſet ita exitiabilis, quot, bone deus, ignorantum & maleuolorum cenſorum accuſationibus impetitum fuiſſet remedium, quod ſolum forſan potuiſſet eſſe ſaluti, ſi eo tempore cognitum id eſſe licuerit!

(b) * Elegans eſt conſilium *Hamiltoni* de febre miliari p. 79. "Sumantur mane dies aliquot
"ſalis abſinthii grana decem,
"aut quindecim, ex aquæ Spa-
"danæ hauſtulo, & deinde
"paullatim eiusdem aquæ libræ
"duæ. Nec quicquam febri
"intermittenti, ex præpropero
"corticis Peruuiani vſu recidi-
"uæ, certius occurrit." Hæc methodus, vbi, deficiente aqua Spadana, Schwalbacenſis, vel alia ſimilis, ſubſtitui poteſt, & aliæ medelæ minus certæ, ſæpe ſufficiunt, præſertim ſi febrilis materiæ vis cortice prius fracta eſt, etiamſi, ob intermiſſam iuſtam repetitionem, febris reuertatur, ſubiti tamen periculi, & metuendæ ferociæ expers. Atque in eiusmodi febribus recidiuis ſola ſalia fixa ſæpenumero nobis ſuffecerunt, quum prior morbus ſine cortice vix domabilis apparuiſſet. Eiusdem modi methodus itidem

Vis ſalium & aquarum martialium & alcalinarum, ad reuerſiones.

methodo vbique ſtatim nimium tribuant, & in difficiliori-bus caſibus confidant, & e contrario, vbi febri recidiuæ difficiliori, difficulter aut minus feliciter, ſua culpa, vel metu vano, medentur, priorem medelam innocuam accuſent. Legitime ita, vti ſupra ſcriptum eſt, ſuperata febris interdum quidem incerto rediit tempore, &, quod prænuntiari non potuit, quando aut graui diætæ, aut turbulentæ medicationis errore, aut contagii vehementia, aut inſigni orgasmo menſtruo, puerperali, hæmorrhoidali, vel a variolis, morbillis, podagra, calculo, aliisue morbis alienis inducto, impenſe forſan agitata, maturata, & protruſa eſt materies, quæ intra viscerum & humorum compagem ita antea latitabat, vel immatura erat, vt eam aſſiduo remedii vſu attingere atque exſtirpare nequiuerimus. Interdum minusculas aut paucas corticis doſes, vel roboris parte caſtratas præparationes, ad præcauendum morbi reditum ſufficere rati, methodum ſatis vulgatam ſecuti ſumus, vt per aliquod a recuperata ſanitate tempus continuum, vel incertis interuallis, vel tunc ſolum, quando incommodi qualiscunque aliquid, tamquam febris recidiuæ prænuntium, ſentiri rurſus incepit, aliquantum corticis, ad vnam alteramue doſin, indies officioſe propinaremus.

tempus incertum ex cauſſis extraordinariis.

---

dem feliciter ita nobis aliquoties ſucceſſit, vt reuerſio nulla obtigerit, ſi, ſtatim poſt profligatam cortice febrem, aqua ſalutaris ſale lixiuo ſaturata, præcipue Selterana, per vnam aut alteram hebdomadem pota fuit, cortice etiam deinde non repetito: vt adeo ſalium fixorum vim in reuerſionibus præcauendis laudare itidem poſſim, vti vltima ad ſuperiorem paragraphum nota de volatilibus prædicaui, quamuis & ſuum illæ aquæ ſal volatile acidulum, & ex lixiui mixtione medium, in ſinu gerant: vti præſtantiſſime oſtendit celeb. *Seipius* in de acidulis Pyrmontanis libello aureo. Ea tamen omnia repetiti corticis certæ efficaciæ cedunt.

mus. (c) Et tum quidem ſæpe motus recidiuos paullulum ſuppreſſos & retardatos, vel ſub hac ipſa medicatione non adæquata, vel diuerſo poſt illam tempore, pro varia medicamenti efficacia, rediiſſe obſeruauimus. Quum vero poſt integre reſtitutam corporis œconomiam a medelis plane abſtinuit æger, neque ſontica quædam cauſſa, quod rarum fuit, præmature morbum redundare "fecit, tunc nos quidem multiiuga experientia docuit, "febres *ex tertianarum genere* recidiuas longe quam plu- "rimas aliquo *ſecundæ hebdomadis* die, ſiue poſt quartam "lunaris menſis partem, a ceſſata remedii aſſumtione, contigiſſe, atque, ſi ope naturæ aut artis rurſum euanuerint, ſemel vel aliquoties ſæpe præterea, pro morbi ſtatusque epidemii ingenio, *alternis* ſemper *hebdomadibus* reuerſas eſſe, vel molimina ſaltim ſatis manifeſta oſtendiſſe. Hinc forte haud iniuria coniicere licuerit, ſubeſſe aliquam toties repetitæ experientiæ *cauſſam naturalem*, & tum quoque alternis hebdomadibus motus in' corpore recidiuos *ex morbi ingenio* fieri, quum, impedimento quocunque retenti, non ſatis liquido apparent. Fortuiti caſus, qui hanc nobis veritatem ſub noſtra aliorumque medicatione confirmare potuerint, euenere innumerabiles: &, data opera, plus centies rem experti ſumus, quando ægri, repetitæ medelæ impatientes (d), bene ſe valere cauſſati ſunt (e), & febrim, ſi rediret, indolis haud metuendæ

tempus certum ex morbi indole tertianæ.

(c) "Ipſe *Hippocrates* videtur ho- "neſtiſſime feciſſe, quod quos- "dam errores ſuos, ne poſteri "errarent, confeſſus eſt. *Quinti-* "*lianus* l. 3. c. 8.

(d) *Seidel.* de morb. incurab. p. 99. "Nolumus iſta, inquiunt, tam "longa & intricata: dic vel "propone aliquid breue & "ευπορισον: quaſi in manu me- "dici ſit mutare ordinem rerum "in natura atque arte.

(e) Medicus quidam χαριεσατος, ægris

tuendæ fore perſuaſum habuimus. Tunc enim, omiſſo præcauendi conſilio, tempus reuerſionis expectauimus, immo ipſis ægris prædiximus, euentu vix fallente. Idem plerumque notare licuit, vbi, naturæ vel aliorum medicamentorum auxilio ſanitatis plenæ ſigna tantisper fuerunt reſtituta, morbi tamen ingenio ad reuerſionem prono. Quo propius etiam illi a ſanitate abfuerunt, quos natura vel arte imperfecte reſtitui contigit, ab euidentibus ſaltim paroxysmis immunes, & quo exquiſitiori diæta præmaturam morbi excandescentiam auerterunt, eo certius etiam febres *recidiuæ nothæ* alternis hebdomadibus exacerbatæ ſunt. Immo ipſi errores diætæ, venæ ſectio etiam & remedia cathartica (f), quæque vrinam, & ſudores, & excre-

---

ægris, qui vel ob medelæ nauſeam, vel ob fiduciæ defectum, ita bonam valetudinem, haud bona fide, cauſſantur, facete regerere ſolet *Ciceronianum* illud: ſi vales, bene eſt; ego valeo.

purgatio poſt corticem.

(f) Notum eſt, *Sydenhamium* aliosque medicos omni purgatione poſt corticem, immo ipſis enematibus, interdicere: quippe vnde reuerſiones facillime eueniant. *Bianchius* ex aduerſo cum aliis diuerſa docet in hiſtor. hepat. p. 283. "Hoc, inquit, ſancte referre "poſſum, in innumeris caſibus, "eorumque plurimis, (vt du- "bium ad lancem veritatis ap- "ponerem) de induſtria tenta- "tis, ægros cuiuscunque habi- "tudinis, & quacunque tem- "peſtate, a febre qualibet inter- "mittente, ac intermittentis na- "turam participante, per febrifu- "gum vindicatos, hinc propi- "nato cathartico, nec magis nec "minus in febres relapſos fuiſſe, "quam eos, quibus catharticum "præſcriptum non fuerat: vt "ideo decernendum videatur, "purgantes poſt vſum febrifugi "adminiſtrationes ad reuocan- "dam febrem, vel non reuo- "candam, nil penitus conferre. De violentis ſine arte purgationibus, quæ & facere & reuocare febrim poſſunt, *Bianchiana* hæc non intelligo. Mediocres etiam purgationes, & enemata ipſa, magis minusue facile

excretiones quascunque paullo euidentius mouent, & salia volatilia, ammoniacalia, & amara imperfecte febrifuga,

facile efficere quouis tempore possunt, vt febris imperfecte profligata reuertatur, & reuersiones nothæ contingant, quæ *Sydenhamiano* monito primam ansam præbuisse videntur: dum obseruauit, omissa catharsi, febres, quamuis imperfecte curatas, per ὑστερεργιαν remedii & naturæ, augescente in dies sanitate, constantius cessare; maturata vero purgatione, motus male sopitos denuo efferuescere. Verum, si plena sanitas per sufficientem remedii continuationem restituta esse videtur, tunc distinguantur tempora, quibus natura ad reuersionem prona est, vel secus, & concordabit experientia. Si statim, simulac a corticis vsu cessauimus, longius ab hebdomade παροξυσικη, moderate & ex arte purgauimus ægros, quod *Bianchius* facit, nihil fuit, quod reuersionem timeremus. Metuenda autem hæc fuit omnino, vbi ipsa hebdomade altera, vel paullo ante ipsam, pharmacum purgans ministrauimus, cuiusmodi obseruatio, non satis distincta, alteram præbuisse videtur *Sydenhamianæ* regulæ rationem. Nihilo minus etiam tunc formidandum nihil fuit, si statim ab euacuatione ad adæquatum corticis vsum rursus accessimus, quæ res omissa tertium fundamentum ei admonitioni dare potuit. Denique, absoluto penitus medicationis cursu, nullum vnquam reditum a catharsi apta veremur, quam tunc tot millies secure ex arte administrauimus. Purgationem, quæ sine arte & indicatione & sollicita circumspectione fiat, post corticis vsum, & in conualescentibus, prohiberi par est: & miror esse, qui ideo remedium infidum putent, quia non statim, recuperata exinde valetudine, catharsi corpus turbari debere docetur. De purgatione omni ipsorum sanorum, quidni etiam conualescentium, & ad motus febriculosos pronorum, vere æque ac eleganter monuit *Brunner.* de gland. duod. p. 145. "qui tan-
"tam partium teneritudinem
"penitius inspexerit, ordinem-
"que, quem amat natura, at-

fuga, & ipſius corticis doſes minusculæ, vel roboris parte caſtratæ, (g) aliæque cauſſæ, in quibus ſolis recidiuorum motuum ratio collocari ſolet, longe facilius ſæpiusque redeuntes febris ſupplicio affecerunt ægrotum altera illa, quæ *hebdomas paroxyſtica* vocari poſſit, quam priori, quæ *intermiſſionis* vel *remiſſionis* tempus largiri conſueuit. Sicubi decantata illa reuocandarum febrium male curatarum indicatio locum habere viſa eſt, longe itidem per ea ipſa

---

"que concinnitudinem, æqua "mentis trutina perpenderit, "næ cautius ille mercari discet, "nec ſtatim machinas admoue- "bit, quibus harmoniam cor- "poris exagitet, concutiat, aut "proſternat penitus." Atqui eiusmodi machinæ ſunt medicamenta purgantia omnia, omnia, inquam, ſi in manu imperiti, neque impenſe cauti, verſantur: nec excipio, quæ in vulgi omnis manus hodie dantur, rhabarbarum, ſennam, mannam, pilulas lenitiuas, aut balſamicas dictas, & ſimilia, quæ longe maiori cautione opus habent, quam ipſa febrium antidota. *Grube* de medicamentis ſimplicibus. p. 121. "Medicus circumſpecte agat, "probe aduertens quibus, & "quo tempore propinet. Quæ "quidem ipſa, ſi in vllo medi- "camenti genere, certe in pur- "gantibus, ſunt probe atten- "denda. Neque vero cogitet "tiro, rem leuis eſſe momenti "purgans ægris præſcribere. "Magne id mihi res molis vi- "detur, vtut mulierculæ, vltra "ſexum ſuum audaciores, id "parui faciant.

(g) Hæ medelæ omnes, prout ſors tempusque tulerit, interdum attingunt materiam febriculoſam, interdum relinquunt intactam: itemque, ſi attigerint, euacuant forte fortuna, vel corrigunt eandem, quando ſua virtute inferiorem, & ad exitum e corpore diſpoſitam, reperiunt; ſæpe e contrario, quando niſus recidiuus ipſis medicamentis potentior eſt, irritant, & reuerſionem promouent: quæ obſeruatio arti febres ſuppreſſas revocandi, vti originem fecit, ita limites ponere debet.

ipſa, quæ modo diximus, medicamenta expeditius eodem tempore res ſucceſſit. Addo, idem *ſuo modo de quartanis, & de quotidianis veris* (h), nobis compertum. Integre cortice Peruuiano ante temporis ſui decurſum fugatæ, ſi reditum non præcidimus, *vtræque* pariter, haud quidem altera, vti tertianæ, ſed *tertia hebdomade*, ſiue poſt lunaris menſis dimidium, reuerſæ, vel recurſum euidenter molitæ ſunt: id quod ſimilem cauſſam regreſſus arguit, quam quæ paroxysmorum eſt, & dierum numerum hebdomadibus certo modo reſpondere, quod idem in aeris & oceani motibus naturalibus obſeruatur. Conformitatem indolis quotidianarum verarum cum quartanis inter alios probe notauit *Piſo* (i), qui illas a triplici quartana ſollicite alias diſtinguit. "Tertianam, ait, longitudine ex

ex indole quartanæ & quotidianæ.

conformitas harum.

(h) Obſeruauit has, & diſtinxit a febribus ex alia periodo duplicatis, omnis antiquitas, & nos multoties manifeſte notauimus. Miramur adeo eſſe viros eruditos & experientes, qui eas dari negent, vt cel. *Fr. Hoffmannus*, qui in tractatu de febribus ad *Poterium* p. 874. "quotidianæ, "inquit, febres, recte notanti-"bus practicis, non dantur; "ſed potius tertianæ duplicatæ "vulgo dicuntur quotidianæ." Mutauit ſententiam vir ſincerus, & experientiæ de veritate quotidianarum verarum locum fecit in medic. ſyſtem. T. 4. p. 86. ſqq. Noua ibi diſtinctione ſolas matutinas, & ſtata hora reuertentes, & decem vel vltra horis durantes, aliisque, quæ recenſentur, ſignis conſpicuas, exquiſitas, ceteras omnes nothas & irregulares vocat, quas ſæpius ſe annis huius ſæculi XXVII. & VIII. obſeruaſſe refert. Aliter veteres. *Sennertus* potiſſimum nocturnas, & XVIII. horis durantes, & alia ſigna habentes, exquiſitas dicit, reliquas nothas L. 2. c. 19. de febribus. Sufficiat hic notaſſe, veras dari quotidianas, ab aliis periodis, præſertim tertianis, diuerſas.

(i) de cognoſ. & cur. morbis p. 926.

"cedit quotidiana, quantum a quartana ſuperatur, in "quam non raro conuerti videtur, vbi aliquando perſe- "uerauit. Eſt enim valde ſimilis, & prope idem vtrique "ſubiectus humor, ac proinde prope ſimili ratione curan- "tur." Viciſſim, *Celſi* aphorismo, ex quartana ſæpe quotidiana fit, culpa ægri vel curantis, (quæ in longa ægritudine facile accidit, præſertim quando medicus, certo remedio deſtitutus, varia experiri debet) &, quod addere licet, multis aliis de cauſſis ſæpe ineuitabilibus, aeris, aquæ, loci, corporis habitu, immo ex ipſo morbi ingenio. Et tum quidem *Celſo*, cuius ætas noſtras medelas ignorabat, in malis æger eſſe dictus eſt. Nequaquam ex cerebro nata ſunt, quæ de reuerſionum tempore heic luci exponenda putauimus. Vidimus ſæpe veritatem, antequam ea de re vel ſuſpicio ſubiit. Vos autem, viri clariſſimi, aliosque obſeruatores candidos amanter rogatos volumus, vt experimentis vel confirmetur experientia, vel limitetur, quam veram eſſe nulli dubitamus, numeroſiſſimis exemplis conuicti.

petitio ad obſeruatores.

§. V.

Eam quidem aliis etiam medicinam facientibus dudum obtigiſſe perſuaſum habeo, quamuis paullo obſcurius indicata ſit. Quorumdam auctorum obſeruationes recenſebimus. *Blegny* (a) pro exemplo hiſtoriæ febris tertianæ cortice fugatæ affert aliquam, poſt ſex periodos, id eſt *altera hebdomade*, reuerſam. *Reſtaurandus* (b) "epoto, "inquit, cortice febris vt plurimum definit omnino: at- "tamen interuallo aliquo temporis, *trium* ſcilicet *ſeptimanarum*,

Obſeruationes alienæ concordes.

(a) zodiac. med. A. III. m. Februar. obſ. 29. de vſu corticis Peruuiani in febribus intermittentibus.

(b) ap. *Blegny* A. V. m. Iulio p. 137.

"narum, aut quatuor, prout corpora magis aut minus "incaluerunt, redit; aliquando ſine vlla recidiua discedit." De quartanis ibi ſermo præcipue eſſe videtur, vbi cortex tunc ſollemnis erat, quas redire, vel reditum moliri, tertia hebdomade obſeruamus, licet paroxysmi manifeſti ad quartam vsque interdum retardentur, robore naturæ renitentis, vel remedii præter rem continuati, vel ὑστερεργυντος. *Sydenhamius* (c) febres quartanas, poſtquam ad *duas* vel *tres hebdomades* a corticis vſu delituerint, denuo recrudescere, &, (d) vbi generatim de febris cortice fugatis agit, eas intra *dies quatuordecim* vt plurimum recidiuas fieri, narrat. Huic obſeruationi innixus (e), corticis vnciam, poſt curatam quartanam, ad tres alias vices repeti per doſes iubet, interiectis ſemper *diebus quatuordecim.* Vbi ad quotidianas tertianasque etiam febres vnam præcautionis methodum ſine diſtinctione applicare ipſi lubet, (f) "ne morbus, inquit, "denuo recrudescat, die *octauo* præciſe, a quo poſtremam "doſin æger aſſumſit, vnciam in partes duodecim diui-"ſam certo certius exhibeo. Non tamen prorſus in tuto "collocatur æger, niſi tertio quartoue eamdem metho-"dum, eodem temporis interuallo, iterare non grauabitur. Hæc ita præcepiſſe virum iccirco probabile eſt, quia febres ex tertiano genere alio tempore, quam quod de quartanis notarat, nempe *octauo die*, vel paullo poſt, redire obſeruauit. *Lemery* (g) per *quindecim dies* quiescere materiam febris fugatæ affirmat, vbi quartanam præcipue intelligit, quibus tunc maxime dicabatur cortex, & per duos ideo menſes *duodecimo* quouis *die* medicamentum re-

 petit

(c) morb. acut. hiſtor. c. 5. p. m. 112.
(d) epiſt. I. p. m. 379.
(e) p. 113. ſqq.
(f) p. 381.
(g) *cours de chine.* P. II. c. 6.

petit. *Mortonus* (h), qui de tertianis magis agit, quod hiſtoriæ probant, "ſæpe numero, ait, vltro absque cauſſa "euidenti redit febris, niſi tempeſtiuo corticis vſu obuiam "eatur: quocirca ſolennem corticis repetitionem poſt in- "teruallum *octo vel decem dierum*," id eſt, ſub initium vel ante exitum *ſecundæ hebdomadis*, "bis terue imperare "ſoleo, ſcilicet honec luna ſtadia ſua ſingula ſemel decur- "rerit, quam ſtatis curſus ſui periodis vi exſuscitandi "fermenta morboſa maxime pollere conſpicimus. Atque "hoc modo febres intermittentes maxime eartinaces cer- "tiſſime vt plurimum ſanantur, quas, vtut vicies cortice "fugatas, poſthabito hoc canone, iterum ſeſe in ordinem "recolligere, vt plurimum videre eſt." Deinde addit: "an- "te omnia, vtut firma valetudo videatur, hic canon ob- "ſeruandus eſt, quo facto haud ita frequenter febrium "cortice curatarum recidiuationes famam medici & re- "medii minuerent:" cuius methodi felicitatem deinde multis hiſtoriis (i) confirmat. Alibi (k) "febres maxime "pertinaces eadem ratione absque recrudescentiæ pericu- "lo funditus tollere facillimum eſſe" expertus pronuntiat. *Pitcarnius* (l) eam doſin, quæ tertianis & quartanis fugandis ſuffecerit, *poſt octiduum*, & ea conſumta, rurſus poſt *duas hebdomades* repetere iubet. *Mangetus* (m) quantitatem remedii, quam cuiuis febri deſtinat, in duas diuidit partes, quarum altera conſumta, *dierum octo*, *decem*, *vel duodecim*, vt ait, intercapedinem facit, & tunc ad alterius partis vſum accedit, antequam reuertatur febris. Dubio procul alias febres *altera*, alias *tertia* hebdomade redire, & præmiſſo reuerſioni tempeſtiue per aliquot dies cortice præ-

(h) exercit. I. c. 8. p. m. 69.
(i) præſertim c. 9. de febris συνεχεος genio proteiformi.
(k) c. 7. p. 53.
(l) elem. medic. L. II. c. 1. §. 45.
(m) biblioth. pharmac. p. 698.

præpediri, obſeruarunt illi auctores. *Bianchius* (m) tertianas poſt *quindecim dies* reuerti ſolere memorat, moliminibus præuiis pro febre vere recidiua forte non habitis *Weinhartus* (n) febrem cortice fugatam poſt dies *octo* vel *quatuordecim* recrudescere vt plurimum notat, niſi, quod faciendum monet, ablata iam febre, ad dies totidem vsque, vel ad vnius lunæ tempus, interuallo octo vel decem dierum, continuetur remedium. *Hoffmannus* (o) electario ex cortice febrifugo, elapſis *ſeptem diebus*, ne redeat tertiana febris, ægrum iterum vti iubet: vnde nullus dubito, quin poſt ſeptimum diem eiusmodi febres reuerti ſolere, repetito autem mature remedio præcaueri, notauerit obſeruator peritiſſimus. *Storchius* (p) febres, quas cortice fugare ſolet, idque cum *Stahlianis* principiis conciliat, (q) plerumque poſt *duas* vel *tres* hebdomades (r) redire monet. Paſſim huiusmodi periodi, ſi rite calculus ſubducatur, in doctiſſimi illius viri, & illuſtris *Lentilii* eteodromis, cl. *Bianchi* hiſtoria hepatis, pluribusque medicarum hiſtoriarum collectionibus, inueniuntur exempla: plura etiam comperientur, ſi ad molimina recidiua attendere placuerit, manifeſtis paroxysmis ſæpe priora, & tempus præſcriptum accurate ſeruantia. Quo vero cunque modo iſta ſe res habere videatur, patet certe, tot obſeruatoribus atteſtantibus, reuerſiones neque tutius, neque certius præcaueri, quam repetito intra *duas* vel *tres hebdomades* remedio.

§. VI.

(m) hiſtor. hepat. p. 307. 747.
(n) medic. officioſ. p. 380. ſq.
(o) medic. ſyſtem. Tom. 4. ſect. I. c. 1. p. 49.
(p) qui, ſub *Huldarici Pelargi* nomine, editis elegantiſſimis eteodromis, tantisper, dum hominum iudicia exploraret, velut retro Apellis tabulam latere voluit.
(q) v. eteodr. I. p. 65. ſqq. add. p. 136. n. 7. II. p. 195. III. 279. ſqq.
(r) in not. ad *Stahlii* colleg. practic. p. 960.

§. VI.

Methodus præcauendarum reuerſionum.

Itaque, & noſtris, & aliorum obſeruationibus, non ſolum de tempore reuerſionum, ſed maxime de felicitate curationum, per repetitum, ad eius temporis rationem, remedium, innixi, & de innocentia eius medicinæ ſub integro valetudinis ſtatu per ſenſuum euidentiam perſuaſi, memores fuimus moniti *Mangetiani*: (a) "non eſſe expectandum, donec febris de nouo caput exſeruerit, ſic enim fore, vt renouanda veniat tota medicamenti doſis, quaſi "de eo nihil adhuc deuoratum eſſet." (b) Quando ſufficienter operatus fuit cortex vna ſerie continuatus, vt ad præſentem febrim delendam nihil ſupereſſe, & nihil amplius vtilitatis a continuato vſu in corpus redundare, viſum ſit, deſiuimus primo illum exhibere, & lubenter quidem circa phaſeos alicuius lunaris tempus, licet haud adeo exquiſite notatu neceſſarium. Inde per *hebdomadem accurate vnam*, ſiue ad proximam circiter lunæ phaſin, quiescere a medicatione iuſſimus ægrum, quippe quam tunc ſuperuacuam eſſe reperimus: forte, quia materia reſidua nimis immatura eſt, neque vllo modo turget,

tertianarum.

(a) bilioth. pharmac. T. II. p. 698.

(b) Fundatur hæc formido in vulgata experientia, & in iis, quæ §. 2. huius ſectionis diſputauimus, & in indole febris, eiusque materiæ, naturaliter επακμαστικη, ſeu ſponte augescente. Enimuero, quod *Muſitanus* pyretolog p. 59. generatim dicit: "febris leuiuscule "oboriri incipit, & adeo adoleſcit, vt vehementior magis "magisque fiat, donec tandem "in exaltationem deueniat, & "febrientes periculis obnoxios "reddat:" id etiam de recidiua obſeruabile eſt. Sæpiuscule vero metus feliciter euanescit, & febres poſt corticem recidiuæ facile ſæpe cedunt, vel ſponte, vel leuibus remediis. Tutius vero eſt, certo tutoque remedio vti, quam incertam & inſecuram felicitatem operiri.

turget, & profundius intra viſcerum & humorum texturam latet, quam vt a corticis particulis, aut ab illis partibus, quibus hic ſingulare robur addit, attingi, corrigi, & ex corpore elidi queat. Atque interim illud, quicquid id eſt, vix ac ne vix quidem morbidum vocari poteſt, & interea ſecure in corpore manet, æque ac diſpoſitio aliqua hæreditaria & remota, vti διαθεσις natiua ad variolos aut morbillos, & fomes arthriticus extra paroxysmos, vel malum immaturum quoduis, antequam per ætatis temporumque mutationes, aliasue cauſſas, maturetur, & in motum moleſtum, quem morbum vocamus, agatur. Immo quamuis diætæ vitia, aut niſus febris ad reditum ὑστερησις. maior ſolito, aut cauſſæ graues aliæ, præmaturæ aliquid interdum mouere poſſint, ſufficit tamen fere ſemper aſſumti antea remedii ὑστερεργια, vt impediatur morbus, quo minus recrudeſcere feſtinet. Immo potius (ſiue iam id ſuperſtitibus in corpore, & ſenſim in vſum a natura ductis, remedii particulis adſcribas; ſiue naturæ ipſi in conſuetum ſanitatis tramitem functionumque œconomiam reſtitutæ, & digeſtionis, ſecretionis, nutritionis, excretionis, negotia felicius indies ſponte expedienti) apparet euidenter, hominem iam conualeſcentem, ea ipſa hebdomade, qua nihil medicaminis aſſumit, plura quotidie virium & ſanitatis incrementa capere. Ita iuuant ſæpe prius ſumta remedia tum demum maxime, quum ab iisdem quieſcis (c),

(c) Hinc error vulgi, neſcio an etiam nonnunquam medicorum, facile oboritur, vt redeuntem valetudinem, quæ ad ὑστερεργιαν prioris medelæ referri debebat, neſcio cui alii rei poſtremum factæ imputent, & hanc deinceps miris ſæpe laudibus extollant, quæ, quam vanæ ſint, repetita experientia docet,

. . . . *mandataque fortius vrget*
Imperiosa quies. (d)

tempus repetitionis.

Octauo vero *die*, quo nihil adhuc mali sentiri solet, omnibusque per *totam hebdomadem* sequentibus, corticis vsum denuo iugiter iniungimus continuandum. Neque nos per ipsum mensium fluorem ab hac temporis ratione detineri, vel ita in curationis ordine naturali turbari patimur, vt hebdomades confundamus. Quamuis enim, si nihil periculi vrgeat, primos insignioris regularisque fluxus dies sine remedio prætermittere amemus; deinde tamen ipsa præscripta hebdomade continuare medelam eo magis studemus, quo certius est, a reliquiis orgasmi menstrui tunc, quando ipse fluxus desinit, vel minuitur, febriculosum orgasmum facillime excitari. Multo minus hæmorrhoidibus fluentibus, quæ in pauciſſimis plane ordinatæ sunt, & apud nostrates frequentissimæ, ab ordinata medicatione recessimus, qua turbas & anomalias præpediri sæpe, nunquam induci, notauimus. Securius etiam ad primum vel secundum vsque posterioris hebdomadis diem medicatio protenditur, quam ante statutum tempus ab ea cessatur, quo quidem in his febribus, ad duplicis & multiplicis & anomalæ tertianæ indolem tendentibus, vix vlla

docet. conf. celeb. *Lentilius* peculiari dissertatione de hysterergia medicamentorum T. 2. miscell. med. p. 474. Similem ὑστερεργιαν, quamuis minus certo euenturam, iam supra indicauimus ex imperfecta corticis præbitione. Scilicet sæpe fit, vt, correcta aliquantum materie & motione morbosa, sensim sponte roboratæ naturæ redeat sanitas. Tum vero multo facilius in eam ratiocinii fallaciam incidunt medentes aliique, vt sibi nescio quid egregii persuadeant, de præstantia & efficacitate aliarum medelarum posteriorum, febri per corticem imperfecte curatæ oppositarum; quum tamen felix euentus illi ipsi debeatur curationi per remedium potentissimum, imperfectæ licet, attamen ὑστερεργαντι.

(d) *Claudianus.*

vlla dies, aut diei pars, a recidiuis motibus omnino tuta fuit. Si qua fuerit febris tertiana ſimplex vel duplex vulgaris, magis chronica, & quæ typum adſciuerit conſtantem, ſufficere poteſt doſis aliqua ad ſcrupulum vnum, aut drachmam dimidiam, aut integram, aut duas, pro morbi indole, ſingulis aut alternis, pro typi ratione, diebus per totum octiduum exhibita, bihorio forte ante illud tempus, vel eo ipſo tempore, quo paroxyſmus expectari debuiſſet, ſi perduraſſet febris. In iſtius vero morbi præcauendis reuerſionibus, de quo ſermo nobis præcipue eſt (nempe vbi periculi inſtantis cauſſa, & typo ad tertianæ duplicis, vel multiplicis, & inſtabilis naturam prono, corticem propinauimus,) deinde etiam ad præcidendam reuerſionem, non ſemel aut bis ſolum, minutis maxime doſibus, aggreſſi ſumus redituram ex ſuo ingenio, niſi potenter reprimeretur, febrem; quippe quæ ita potius incitetur ad motus recidiuos, vel turbetur, (e)

doſis remedii repetendi.

(e) Regula hæc in noſtro ſtatu epidemio, in febribus, vt dixi, ad duplicis, triplicis, immo multiplicis, & pernicioſæ tertianæ, naturam pronis, &, quod ad horas acceſſionum, valde mutabilibus, & impenſe in reuerſionem niſu ſpontaneo tendentibus, obſeruatu neceſſaria fuit: quod experientia docuit, ſi quando tentatum eſt minuere doſium quantitatem, aut numerum, licet aucto pondere, ſed ſemel forte indies exhibendo. Tunc enim vel febris, turbata forſan, ſerius recurrit, vel ſub ipſa medicatione manifeſte rediit, vel motus morbidi alii euenerunt, auctiori deinde & ſæpius repetita eiusdem medicinæ doſi reprimendi. Reponendum eſt inter artes febrem ſuppreſſam reuocandi, & occultam producendi, & exiguam, ſed increſcere nitentem, magis augendi, ſi imbecilliorem corticis, aut alius remedii febrifugi, doſin exhibeamus, neque motus, quos ita, irritando & inualide impugnando, facile excitare poſſumus, adæ-

- - - *ægrescatque medendo;*

ſed potius quinquies aut ſexies ſcrupulum vnum aut drachmam mediam, aut ter in die, quod *Mortonus* præcipit, vel bis certe, integram drachmam, propinauimus, aut rubore fere parem alicuius decocti, infuſi, extracti, doſin. Rationem tamen ſemper duximus habendam tum εὐφοριας, tum facilitatis aut difficultatis, qua prior febris fugari potuit, tum etiam, quantus ſit, per ſtatus epidemii & diætæ corporisque rationem, reuerſionis metus. Sunt enim morbi vel ſua aut ægri natura, vel ſtatu aeris & aquarum & locorum meliori, faciles, ſunt etiam declinantes, aut per plures iam recurſus attriti, vbi non amplius, quam vna quotidie, aut duabus tribusue exiguis doſibus opus fuerit, immo per aliquot ſolum priores vel poſteriores dies hebdomadis παροξυσικης exhibendis, ad præpedienda penitus molimina recidiua: ne quid dicam de excellentiori ipſius medicamenti ſpecie, cuius vel minor, vel minus repetita doſis, plus præſtare poteſt, quam maior & ſæpe iterata minus ſelecti aut eximii. Atque ex his etiam fortaſſis ratio dari poteſt, cur multi, ſine ordinata methodo, aut per curationem minus potentem,

---

adæquata medicatione ſtatim componamus. Huc ſpectant, quæ plurimi auctores annotarunt, de ſalium fixorum, & volatilium, & abſinthii aliorumque remediorum amarorum, quæ ληξιπυρετα alias eſſe experientia oſtendit, virtute plane alia, quæ contraria videatur, & vera tamen eſt, ad febres ſuppreſſas reuocandas. Momentum præcipuum ſitum eſt in proportione medicinæ ad niſus motusque materiæ morbidæ. Remedia febrifuga vera afficiunt plerumque & materiam & motum, vnde ſæpe, ſi proportio nimis ab adæquato robore remota eſt, motum exſtimulant, & excandeſcere febrile incendium faciunt, quod extinguere poſſent, ſi virtus medicinæ par morbo opponeretur.

tem, reuerſiones feliciter ſæpiuscule impediant. Tandem ſaltim aliquando multi, ſine ordine continuantes & repetentes, forte fortuna in id tempus cum ſua medela deferuntur, quo remedii efficacia materiem poſtrema molientem attingere, eique deſtruendæ ſufficere poſſit. (f) Eodem deinceps modo, ſi morbus præſertim pertinax & chronicus, ex ſui ingenii, aut corporis ratione, futurus fuiſſe videtur, & diætæ regimen haud omnino exquiſitum ſperare licet, & conſtitutio epidemia, aut contagium, ad inducendas febres verget, iterum iterumque per hebdomadem vnam quiescere, & per alteram, vel octiduum, medicamento vti iubemus. Tunc autem, euicto ſubiti periculi, & ſoporis, & inflammationis, & continuæ febris periculo, infuſum etiam vinoſum, ad *Talborii*, vel ſaltim ad *Sydenhamii*, mentem paratum, egregie confert. Subtiliorem enim materiam morbidam felicius eneruare, partesque corporis tenuiores penetrare & roborare videtur, *repetitio vlterior.*

(f) Huc ſpectare videtur efficacia felix methodi *Talborianæ* ſupra deſcriptæ, qua ingens corticis copia adeo diuturno tempore aſſumitur, vt fieri vix poſſit, quin ſcopus ſæpe tandem fortuito attingatur. Idem iudicium ferre forſan licuerit, de felicitate febres ſine reuerſione curandi, quæ, per ſolam magnam, & ſine ordinatis interuallis continuatam, pulueris corticis quantitatem, pluribus medentibus obtingit. * Ita proſpero ſæpe ſucceſſu beatur puluis ex cortice Peruuiano Berolinenſis, paſſim hodie famigeratus, quem medicus & phyſicus ibi clariſſimus, *Du Clos*, diſtribuit, ad vncias pro vna febre circiter quinque: quamuis nihil in præparandi, exhibendi, continuandi, & repetendi, methodo ſingulare & diſtinctum habere, ſed ſolo medicamenti ſpecifici pondere, bis, ter, vel quater indies repetito, ſine diſtinctione ſpeciali, febres opprimere videatur: quod, ob virtutis magnitudinem, ſæpe ſufficere poteſt, etiamſi exquiſita methodus abſit. ** puluis Berolinenſis Du Cloſii.*

tur: vnde eſt, quod, ſi per incendii metum liceat, vinum, antiqua experientia, pro optimo ſemper corticis vehiculo merito habeatur. Sæpenumero euenit, vt, quum tempore quietis laudatæ nihil incommodi, ſed quotidianum potius ſanitatis incrementum, notatum fuerit, per ipſum e contrario medicationis repetitæ tempus moleſtiæ quædam febriculoſæ, veluti motus morbi reuerſionem molientis, & cum remedio pugnantis, perſentiantur: vnde ægri aliqui, niſi prædictione muniti ſint, melius ſe melioris hebdomadis tempore habere reminiſcentes, medicinæ imputant, quod morbi naturæ & tempori debetur. Sopientur vero certiſſime illa certamina, ſi ad exitum vsque hebdomadis perſeuerare haud grauemur. "Atque iſta quidem, ſi eueniant, "molimina, præcipuo indicio ſunt, omnino *neceſſarium* "eſſe, vt, poſtquam *rurſus per hebdomadem* vnam abſti- "nuerimus, altera inſequente medicinam iterum adhibea- "mus, neque ab eiusmodi alternis vicibus ceſſemus prius, "quam *alternæ* morbidorum *motuum* vices per ſuas hebdo- "mades redire *penitus* deſinant. Quod ſi, ſub hoc ſtatu epidemio impenſe reuerſionibus fauente, in prima vel ſecunda repetitæ curationis periodo aliquid adhuc ægritudinis obſeruatum eſt, ſub tertia certe nihil vnquam amplius accidere memini, quod reliqui morboſorum motuum quicquam indicauerit: quæ obſeruatio cum illis aliorum conuenit, quibus tempus ſesquimeſtre medicationi aſſignatur. (g) Plerisque tamen febribus vna repetitio, atque ita trium hebdomadum tempus, nec niſi duarum medica-

motus febriculoſi ſub ſui repetito.

indicium iterandæ repetitionis.

(g) *Heluetius methode de guerir les fievres ſans rien prendre par la bouche.* add. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 307. *Morton. Sydenham*, ceterique §. 5. adducti.

dicatio, ſufficit (h). Atque easdem hasce regulas, quæ ad corti-

(h) * Tres fere hebdomades itidem requirit ill. *Tortus* in therapeutica ſpeciali, cuius methodum, quatenus peculiaris eſt, nempe præcipue quatenus magna doſi, ſimul circa paroxysmum exhibita, alterum paroxysmum remotiorem maxime, ſed correſpondentem, reprimere ſtudet, ipſi nondum experti ſumus. Elucubratum iam dudum erat hoc opusculum totum, &, quæ ante hanc plagulam ſcripſimus, omnia typis iam abſoluta, antequam libri copia nobis fieret, methodusque inde addiſci poſſet. Memorat cl. auctor, & vberrime pertractat, & pluribus hiſtoriis illuſtrat, *febres intermittentes lethargicas*, ſolo cortice tempeſtiue dato medicabiles: quas easdem eſſe notat, quæ *Sydenhamio apoplexia* comitatæ dicuntur, ſuntque eædem, de quibus problema illud agit, quod nos hac ſcriptione ſoluendum nobis propoſuimus. Laudat impenſe auctor methodum *Mortonianam*, aliasque ſimiles, ſed eas, in maiori velociorique periculo, interdum non ſufficere cenſet, vbi tamen noua hæc e mortis faucibus ægrum eripiat. Nouam vero non in *re* ipſa, ipſoque *genere*, ſed in *modo*, certisque *circumſtantiis*, dictat. "In febre intermittente beni- "gna, ſed diuturna, aut ſine "fructu moleſta, exhiber, ſim- "plici paroxysmo ipſo acce- "dente, vel declinante, drach- "mas duas, ex vino, pulueris "corticis exquiſitiſſimi, quem "Mutinæ proſtare laudat, & "cuius vnciæ duæ plerisque fe- "bribus debellandis ſufficiant: "hasque drachmas duas ad pro- "ximum correſpondentem pa- "roxysmum inhibendum ſa- "tis eſſe docet. Hinc, ad re- "uerſionem præcauendam, per "octo circiter dies, omni mane "propinat drachmam dimidiam, "& *quindecim* plus minus die- "bus elapſis, ſcrupulum quoti- "die vnum, aut amplius, pro "diuerſo febris redituræ metu, "per alios *ſex dies*. In tertiana "duplici nihil notandum præ- "terea habet, niſi, quod prima "illa maior doſis grauioris in- "ſultus die dari debeat, cum in "leuiori data leuiorem ſequen- "tem fuget, grauiorem non attin-

* *methodus Tortiana.*

corticem Peruuianum maxime ſpectant, ad cetera etiam, quæ

"attingat; data vero in grauio-
"ri profliget vtrumque. Aſt
"in febri, vere intermittente,
"ſed periculoſo ſymptomate
"aliquo ſtipata, (nempe vomi-
"tu aut alui fluxu vehemente,
"*cholerico* vt plurimum, non-
"nunquam & *dyſenterico*, vel
"quaſi *hepatico*, aut *atrabilari*,
"*cardialgia*, *ſudore frigido* &
"male critico, *ſyncope*, *algore*
"indeſinenti, & *ſoporoſo* maxi-
"me affectu graui, & ab *apople-*
"*xia* parum diſtante, aut, ſi quid
"aliud periculoſum apparet,)
"primo hauſtu ſemunciam cir-
"citer, vel drachmas ſex, remit-
"tente paroxysmo, hinc, poſt
"horas ſex vel octo drachmam
"vnam aut amplius, & ſic por-
"ro, præbet, vt duodecim, ſi
"fieri poteſt, ante nouam for-
"midandam acceſſionem horis,
"ſex vel octo drachmæ con-
"ſumtæ ſint. Quo propius
"acceſſio & periculum adeſt, eo
"auctior citiorque doſis datur.
"Poſt vnam autem maiorem,
"ita remotiſſime a paroxysmo
"futuro datam, deinde paucas
"minores, &, ob hanc diſtribu-
"tionem, vniuerſim vnciam
"vnam, pro fuganda primum
"penitus febre etiam pernicio-
"ſiſſima, ſufficere ſolere notat;
"quod plures vnciæ aliter di-
"ſtributæ vix præſtent, licet
"innocue exhiberi poſſint. Fe-
"bre ita ſublata, ne redeat,
"drachmam vnam quotidie, per
"tres circiter dies, deinde, per
"alios tres, drachmam dimidi-
"am bis quotidie repetit; poſt
"hebdomadem, ſi opus videa-
"tur, parem aut maiorem doſin
"denuo exhibens, & pro re nata
"continuans. In curanda febri
"ſubcontinua, ſeu etiam conti-
"nua per paroxysmorum duo-
"rum aut plurimum ſubingreſ-
"ſum, prout celerius vel tar-
"dius ad periculum tendit,
"nunc minorem, nunc maio-
"rem doſin, tali proportione,
"diſpenſat, quæ ſenſim paro-
"xysmos eneruare poſſit, an-
"tequam tempus periculi pro-
"babile aduenerit. Exempli
"gratia: ſi tertiana tardius in
"periculoſiorem continuam
"tranſitura videtur, mane, die
"meliori, ſcrupulos quatuor
"vel ſesquidrachmam, veſperi
"drachmam ſemis vel duos
"ſcrupulos, die autem acceſſio-
"nis, extra acceſſionem, ſcru-
"pulos quatuor aut drachmas
"duas diſtribuit, verbi cauſſa,

mane

quæ in aliqua febri profuerunt, remedia: ſalia præſertim, & amara,

"mane ſcrupulos duos vel "drachmam vnam & tantum- "dem ſero, declinante febre, "miniſtrat; per duos vel tres dies "ſcrupulos quatuor, vel circiter, "partitis vicibus, continuans: "quo pacto febri ſublata, ne re- "pullulet, poſt quietem ſeptem "circiter dierum, corticem rur- "ſus ad drachmam forte di- "midiam, modo ſemel, modo "bis in die, iuxta maiorem ad "reuerſiones procliuitatem, per "octiduum fere repetit. Ve- "rum, vbi magis propere, in "eiusdem generis febre, non ni- "ſi obſcurius interuallum, aut "grauiora ſymptomata appa- "rent, primo ſtatim remiſſionis "tempore duas vel tres corticis "drachmas, vel plus etiam, ſi "periculum vrget, ferme ad re- "gulam pernicioſarum inter- "mittentium, altero dein die "drachmam vnam & mane "& veſperi commendat, ad "drachmam poſtea dimidiam "deſcendens, modo ſemel, mo- "do bis in dies ingerendam, do- "nec vncia circiter vna abſumta "ſit. Tunc, in præſeruationis "gratiam, alia vncia, ſicut de "vere intermittentibus pericu- "loſis dictum eſt, diſtributa præ-

betur. Discedere a methodo ac doſi & febris & ægri ratione nonnunquam cogitur, & in difficultate deglutitionis tincturam ſaturatiorem per os, pluerem in clysmate, quod ante *Heluetium* ſibi vſurpatum laudat, per anum curat infundi. In ipſo rei cardine, etiam quod ad reuerſiones attinet, cl. *Tortus* nobiscum facit, quod ex opere eluceſcit, & patet etiam tum ex his, quæ excerpta exſtant in *giornale de' letterati* T. 12. p. 45-99. & act. erud. Lipſ. 1716. p. 220. ſqq. tum ex *Bianchii* hiſtoria hepatis paſſim: quamuis, quod nos petimus, *moderamen continuandi remedii*, in plenæ ſanitatis ſcopo obtento ſitum, nullique doſi adſtringendum, & *interuallum accuratum repetendi*, in typico reuerſionum tempore fundatum, non ita memoratum ſit, cuius tamen rei obſeruatæ veſtigia hinc inde reperio p. 45. 10 61. ſqq. 218. & alibi in hiſtoriis. In primis etiam p. 163. "poſitis, ait, "in tuto ægri rebus, (1) ad *vltc-* "*riorem expugnationem* fer- "menti febrilis, & (2) ad *præ-* "*cautionem recidiuæ*, neceſſe eſt, "(1) *inſiſtere* in vſu remedii per

amara, cortici analoga, extendere ſolemne nobis eſt. Nempe quodcunque horum remediorum prodeſt, id tam diu continuamus, additis aut interpoſitis, quibus opus eſt, donec ſymptomata febris omnia ceſſent: hinc quieſcimus per hebdomadem accurate vnam, altera vero eandem rurſum medicinam repetimus. Atque ita, etiam ſine cortice, febres epidemice ὑποτροφωδεις ſæpe curauimus, vt non reuerſæ ſint: quum ex aliter tractatis ſimilibus ægritudinibus multas ſubinde natas viderimus reuerſiones.

§. VII.

Methodus præcauendi reuerſiones quotidianarum, quartanarum, erraticarum.

Eadem fere curandi ratio in quotidianis quartanisque recidiuis præcauendis locum habet, modo *non alterna*, ſed *tertia quauis hebdomade* medela prophylactica iteretur. Exquiſitas, verbi cauſſa, quartanas, vbi præmittenda, ſi qua fuerunt, præmiſimus, corticis puluere ad drachmam vnam, duas, vel tres, in aquæ, cereuiſiæ, vel vini

"plures dies, (2) illudque, poſt-
"quam *ad dies aliquot omiſſum*
"eſt, ad plures alios *repetere*.
"*Alterna* ſiquidem *reciprocatio*
"*temporarii vſus & omiſſionis* il-
"lius mirifice conducit ad intен-
"tum, *præſtatque* vſui *non inter-*
"*rupto*." Quod ſi leuidenſe opusculum hoc in obſeruatoris tam docti, tam candidi, manus perueniret, ſperauerim, has obſeruationes noſtras & aliorum, præſertim etiam *de typico reuerſionum & repetendi remedii tempore*, ipſi in experientia fundatas repertum iri, & robur ab ipſius obſeruationibus, melioremque illuſtrationem, accepturas, in incrementum artis feliciter & conſtanter febres ſanandi. De febribus lethargicis, ſoporoſis, ſeu apoplecticis, cl. *Tortus* p. 227. "in fe-
"bribus, inquit, huiusce ſpeciei
"*fere ſemper* contingit *recidi-*
"*ua*, ſæpe etiam *grauis*, ſubſe-
"quiturque *difficilis conuales-*
"*centia*." At noſtra hac methodo, qua, *ante plenam ſanationem non intermittimus* cortice *pluries* in die vti, eumque *iuſto tempore pariter repetimus*, vtrumque illud incommodum feliciter multoties vidimus auerti.

vini potius, vnciis circiter quatuor macerato, & bihorio aut trihorio ante paroxyſmum dato (a), plane profligavimus,

(a) Ignoscat illuſtr. *Tortus*, ſi ab vna eius ſententia particulari leuiter forſan diſcrepemus. Scribit lib. 3. c. 3. therap. ſpecial. p. 161. "quæ china china exhibe-"tur paucis admodum ante ac-"ceſſionem horis, ea pro inhi-"benda huiusmodi acceſſione "nihil valet, niſi forte in quan-"tum præceſſerit horis congru-"is alia quantitas, *roborari* ca-"pax *ab hoc adiuncto*." In ſubito pernicioſis intermittentibus, aut continuis, ſubcontinuisque febribus, de quibus vir inclitus loquitur, nos eam veterum, & *Liſteri*, rationem exhibendi ſequi, non fuimus auſi, quod p. 90. innuimus. Experti vero frequenter ſumus, ſolam *doſin adæquatam*, & *huius* remedii, & plurium *aliorum*, *prope* ante *paroxysmum* febrium aliarum, & quando, (vti *Liſterus* monet, dum ſchedula Romana leuiſſimum paroxysmi indicium requirit,) maxima adhuc integritas, ſeu plena intermiſſio eſt, exhibitam, ipſam *proxime inſtantem acceſſionem* ſuſtuliſſe, inſecuto vel vomitu, vel ſeceſſu, vel ſæpiſſime ſudore, vel nulla excretione, ſymptomate nullo. Atqui hæc efficacia de ceteris remediis febrifugis obſeruata antiquiſſimæ illi, & multa experientia nobilitatæ, regulæ originem dedit: prope ante paroxysmum exhiberi debere, quorum ope febrem fugare nitamur: quaſi tunc turgens materia medicinæ viribus maxime expoſita ſit. Fateor tamen, frequentius alterum inſequentem, vel tertium demum paroxysmum, iſta methodo, & noſtra, quæ hic venditur, cortice ſimiliter repetito, penitus fugatum eſſe: quamuis proximus plerumque ſtatim *mutetur*, nonnunquam *auctus*, ſi minus adæquatum remedium fuerit, ſæpius *imminutus*, & vel *anticipans*, vel *poſtponens*: certo indicio, attingi ſtatim morbum a potentiſſimo remedio ſub id tempus dato, &, quod & alii multi, & ipſe cl. *Tortus* p. 228 notarunt, *certo* etiam *præſagio* ſanitatis melioris poſtero acceſſionis die expectandæ. Inſignis vero & manifeſta remedii potentia, de efficacitate & *Tortianæ* methodi, & noſtræ, quippe in præcipuis momentis

uimus, quod tertia certe, poſt primam doſin, acceſſione nun-

haud diſcrepantium, peritum quemlibet facile perſuadebit, quum vterque teſtem habeamus multiplicem experientiam. Conſentio omnino viro illuſtri, maiorem doſin in pernicioſis & ſubito metuendis febribus, ad vnciam minimum dimidiam, drachmas ſex, vel vnciam vnam, in duorum paroxysmorum interuallis dandam eſſe, ante eum, quem formidemus: vti patet ex ſuperiori capite p. 88-93. Cum *Mortono* aliisque eam doſin partitis vicibus, nempe pulueris drachmam circiter vnam, (amplius ibi vna doſi dare nondum auſi,) per bihoria vel trihoria, ab exeunte acceſſione ad redeuntem vsque, exhibere felicisſime ſueuimus, vt ſenſim digeſtum remedium, quum *adiuncta* ſemper noua *doſis priorem roboret*, vti vir clariſſimus recte iudicat, inſtantem acceſſionem formidandam cohiberet, vel minueret impetum. Damus tamen præſtantiæ laudem inuentioni *Tortianæ*, largimurque tanti viri experientiæ, id valere ſex drachmas, aut quatuor, aut duas, ſimul exhibitas circa acceſſionem priorem, ad correſpondentem poſteriorem inhibendam, quod maior quantitas, partitis vicibus ſenſim alioque tempore data, præſtare nequeat: præſertim quum doſin multo minorem, exeunte aut declinante aliquo paroxysmo datam, criſin manifeſte multo perfectiorem & copioſiorem ſolito efficiendo, & naturam tunc maxime languentem roborando, ad ſequentem acceſſionem inhibendam inſignis efficaciæ eſſe, ſæpe ſæpius notauerimus. Facile nobis maiora de maiori doſi pollicemur, vbi generoſius agere formidabile periculum iubet: ob quem nobilem auſum, & candidam methodi reuelationem, viro inclito, neque temere neque timide medicanti, multas gratias & medici imitatores prudentes, & ægri, & poſteritas debebunt. Atque adeo iſta methodo *Tortiana* credimus poſſe ſanari febres quasdam periculoſiſſimas, alia methodo, & ipſo cortice aliter dato, vix medicabiles, quod in corpore proprio, & tot ægris, mirabili cum felicitate exploratum, vberrime candideque enarrat

vir

nunquam redeunte, contigit. Deinde per *quatuordecim* accurate ab eo tempore dies quieuimus, *decimo* vero *quinto*, *decimo octauo*, & *viceſimo primo*, æque efficacem remedii doſin verſus paroxysmi tempus denuo miniſtrauimus, qui dies *iidem in tertia* hebdomade, *qui in prima*, & *paroxyſtici* eſſe, inito calculo, reperientur. Atque ita ſex maiusculis corticis doſibus plus centies, ſine vlla reuerſione, aut alio morbo ſuccedente, perfecte curauimus

vir experientiſſimus. Quod ſi tamen, vti iſta fidem omnino faciunt, magna illa doſis, tempore ab acceſſione remotiori ſimul ſumta, tantum præſtet; vix mihi dubium eſt, eamdem, ſi temporis & periculi neceſſitas poſtulet, duabus etiam aut tribus horis ante acceſſionis nouæ ingreſſum, & ante eiusdem molimina inſuperabilia, vſurpatam, parum minora ſæpe effecturam. Certe tuto in iisdem febribus, & cum fructu, ad acceſſionem nouam aut eius euidentia molimina vsque, continuari cœptum inde a priori acceſſione, & per interualla bihorii aut trihorii per drachmas diſtributum, medicamenti vſum, penitus experientia compertum habemus, & plerique omnes, quos adduximus, auctores nobiscum annotarunt, & ipſe cl. *Tortus* non dubitare videtur, dum ita roborari priores doſes memorat. Neque ſpernendum eſt, quod *Liſterus*, poſt antiqua experimenta innumera, ſe *centies* felici euentu expertum teſtatur, quod, ſi "cortex *vna vel altera hora an-*
"*te aduentum paroxysmi* propi-
"netur, quando ſcilicet maxima
"corporis eſt integritas, debel-
"let *plus vna eius doſis*, *quam*
"*decem alias* exhibitæ. v. ſupra p. 90. 92. Et nos in longis pertinacibusque febribus, ſed haud ſubito metuendis, ſæpius paria obſeruauimus, in perniciosis timidiores; quia interdum, vti dictum, conſueta doſi, eo tempore in ſecurioribus febribus data, proximum paroxysmum augeri expertum eſt, quod tunc quidem innocuum, a corticis præbio magis adæquato haud metuendum forſan fuerit, (modo id digeratur) in iis morbis etiam, vbi vnus paroxyſmus grauius rediturus timeri debet.

quartanas, ad coniuncta forsan alia pathemata ex arte respiciendo. Quod si vero aliquid sub repetito vsu afflixit febriculosi, eodem iterum iterumque modo repeti debuit cura, post duarum semper hebdomadum interuallum.

obseruat. partic. 32. Durante intercapedine duobus solum ex ægris nostris ita tractatis euenit febris recidiua. At illa omnino non respondit diebus paroxysticis prioribus: vnde colligere licuit, quartanam non plane exquisitam & simplicem regularem, cui isthæc methodus destinatur, sed pronam in typum duplicem, vel anomalam fuisse.

Cuius rei, quando vel minimus metus, vel æger delicatior est & debilior, & morbus haud satis tutus, tunc non solis diebus accessionis, neque paucis tantum ante eam horis, sed per quatuor forte horarum interualla extra paroxysmum, sicut supra de tertianis scripsimus, in quartanis etiam quotidianisque plerumque corticem præbemus. Quæcunque iam eligatur medendi ratio, eo certe vsque continuamus, quæ semper nobis præcipua lex est, *donec penitus febris cum symptomatis suis desinat.* Quiescimus deinde per dies *quatuordecim: decimoquinto* vero, quia tertia hebdomade reditus timendus est, repetimus curationem eamdem, neque nisi post *vicesimum primum* ab ea desistimus, eodem modo, si opus fuerit, post alios *quatuordecim dies* repetituri, "donec, nullis amplius sub me-"dela molestiis notatis, funditus morbidum quodcunque "exstirpatum esse videatur. Mixtum morbi genus, idque satis pertinax, attentus obseruator manifeste sæpe notabit & computabit, præsertim sub autumnum (b), & vbi splencticos tertianæ inuadunt, quamuis sub erraticæ febris nomine passim negligatur (c). Ibi feliciter & constanter medi-

febres mixtæ seu erraticæ.

(b) *Hippocrat.* aphorism. 22. sect. III.

(c) *Galenus* 2. de diff. febr. sub fin.

medicati ſumus, vel expectando & rite curando quartanam, quæ tandem ſola manere ſolet, (d) poſtquam tertiana, vbi licuit, aliis remediis expugnata eſt; vel, ſi poſt firmiſſime iacta fundamenta ſanitatis, per *decemdium* quieuimus, & deinde per *ſeptem* aut *octo dies*, aut vltra, medicinam rurſus adhibuimus, vt *ſecundæ hebdomadis poſtremam*, *tertiæ primam certe*, *medietatem* efficaci præſidio muniremus. Verum de iſtis omnibus hoc loco obiter ſolum aliqua putauimus dicenda, quæ alibi explicatius proponere, & exemplis rationibusque firmare & illuſtrare, deo fauente, conſtituimus.

§. VIII.

Eſt igitur tertius pro legitimo corticis vſu canon: *Regula tertia pro genuino corticis vſu.*
"vt motus recidiui præcaueantur, & iuſto tempore ordine
"que, & efficaciter, & ſufficienter, repetita ad normam
"periodorum febrilium mature medicatione, donec ſub ea-
"dem ipſa nullus motus morboſus ſupereſſe amplius obſerue-
"tur, & medicamentum ſpecificum de diſpoſitione febrili
"plenam manifeſte victoriam reportarit.

SECTIO QVINTA
SVBIVNGIT ALIQVA DE CONSTANTIA EFFECTVVM ET SECVRITATE METHODI.

§. I.

Atque ita quidem veriſſimum reperimus, quod ſenex longo rerum vſu meritisque plurimis etiam poſt fata vene- *Conſtantia ſanationis.*

(d) *Galenus I.* ad Glaucum 5. Hippocr. Coac. 3. 27. Raym. Iohann. *Fortis* de febribus p. 237. ſqq. *Foreſtus* obſ. 44. 45.

venerandus (a) *Brunnerus*, a *Brunn* dictus, grauiter profatur. (b) "Chinachina, ſunt verba viri huius illuſtris, amaricantium regina, non tantum febriles tollit paroxysmos, "abhinc fortius redituros, quemadmodum calumniantur "inſulſe imperiti," addo, vel quemadmodum male metuunt non niſi cum præcepta opinione, & haud ſufficienter, aut ſine iuſta methodo experti, aut hi, quibus

(a) Noluerim curationem morbi deſperati arthritici & hydropici, in perſona ſereniſſima, a tanto viro, (qui mihi quidem non, niſi magna fama, & ſcriptis, & pauco litterarum commercio, notus fuit,) ſine alias conſueta felicitate peractam, tam acerbe & præter meritum caſtigatam eſſe a celeberrimo auctore medicinæ conſultatoriæ, (quem itidem non niſi meritorum cauſſa noui,) tom. IIII. dec. 4. caſ. 7. poſtquam hic hiſtoriam ab alio ſolum medico, & haud amice, vti facile patet, perſcriptam legerat. Miror ignotas eſſe potuiſſe ſagaciſſimo viro perſonas, p. 164. quas Europa tunc ex publicis nouellis nouerat, & plurimi homines ex ipſa hac hiſtoria ſtatim diuinarunt. Nos de aliorum medicorum curationibus ſingularibus iudicium lubenter ſuſpendimus, licet cautiones nobis practicas, ſine odioſorum exemplorum manifeſta propalatione, ſeligamus. Neque fortiores, aut inſolitas mihi, aliorum medelas in hydrope, qui conclamatus fere viſus eſt, aliisue morbis ſonticis, vitupero, Sammonici illud effatum cogitans: *hæc potiora putant, quam dulci morte perire:* præcipue quia omnia momenta & conſilia, & alienam experientiam ſcientiamque pernoſſe, & iudicare, mihi non arrogo. Neque etiam pro vitio imputem, ſi qui deſperati ægri ſpem, dulciſſimam rerum, refocillare per morbum longum conetur aliquibus remediis, in quæ fiducia quædam collocari videatur: præſertim quum, vti in prouerbio eſt, fiant interdum in arte miracula, & miſerabiles ægroti haud plane conſilio deſtitui debeant & ſolatio. v. ipſe *Brunnerus* l. c. p. 145. ſqq.

(b) In elegantiſſimo pariter & vtiliſſimo libro de glandulis duodeni, quem anno 1715. edidit. p. 101.

Valentinos, *Ve'dios*, *VValdſchmidios*, *VVedelios*, *Zapfios*, *Zendrinos*, *Zvvingeros*. Decuplo forte plura (d) alia grauiſſimorum

"ta therapeutica ſua ſpeciali ad "perſanandas chinachina febres "pernicioſas quascunque. Ha"bebunt inde proficiendi occa"ſionem, non ſolum profeſſo"res artis iuuenes, quibus ma"xime inſtruendis luci datum "abs ſe hoc opus pronuntiat "auctor; ſed & veterani, & "inimici maxime ac contrarii "remedio tam præclaro & in"nocuo: quandoquidem ſatis "ample explicat & docte prodi "gioſas huius vires, & numero"ſiſſimis experimentis oſtendit, "quibus in febribus, etiam atro"ciſſimis, præſcribi cum boni "euentus ſecuritate poſſit, & "quomodo ad alia mala, & ad "quænam, & quo vsque, ſe pro"tendere queat virtus mirabilis. "Opus laude dignum eſt, tum "ob vtilitatem, tum ob erudi"tionis ornamentum: dum ni"hil fecit reliqui auctor erudi"tus, quo illud omni ex parte "vtile redderet & ſpectabile.

(d) Ex cl. *Torti* reſponſionibus iatrapologeticis conſenſus omnium fere doctorum Italorum patet, & idem ibi de Hiſpanis affirmatur. Nota eſt res de Gallia, Anglia, Belgio. Theoriæ diuerſitas, aliæque cauſſæ, diſſenſum aliquem inter eruditos quosdam, vti alibi, ita etiam in Germania noſtra, fouere videntur. Conſentit tamen maxima pars doctiorum magisque expertorum, & quos opiniones, aut occaſionis defectus, ab vberiori experientia non prohibent. In vna noſtra ciuitate decem alii mecum artem exercent medici, quos & meritorum & amicitæ cauſſa ſuſpicio diligoque, fautores & amicos omnes, partim etiam collegas coniunctiſſimos, Horum omnium *nemo vnus* eſt, quod *ſcientiſſimus* ſcribo, qui non pro re nata *frequenter* & *feliciter* cortice Peruuiano vtatur, & hoc præcipue ſtatu febrili tot annorum epidemio eum vſurparit. Et fuerunt a quinquaginta fere annis, & ſemper deinceps, medici in hac vrbe, dignitate, doctrina, experientia, conſpicui plures, quibus idem vſus in puluere, electario, decocto, infuſo, admodum familiaris, frequens, & fe-

rum obſeruatorum nomina, vel ſcriptis vel praxi clariſſimorum,

lix fuit, quamuis ægroti & adſtantes nomen remedii, vulgo tunc parum cognitum, ignorarint, neque facile ſcire quæſiuerint, quod hodie, poſteaquam ſtatus epidemius innumerabiles febres & febrium medicos acciuit, & præiudicatæ quorundam doctorum opiniones magis diuulgatæ ſunt, muliercula ex vulgo quæuis & noſſe ſibi ſumit, & iudicare. Ita, verbi cauſſa, menſuras plures infuſi in vino corticis, quod, ſi a pulueris ſubſtantia receſſeris, efficaciſſimum eſt, feliciter potarunt heic multi homines ignari. Id enim remedium antiquitus hic loci, præcipiente archiatro inclito dutum defuncto, cum floribus cordialibus mixtum, ſub titulo ſpecierum cordialium anodynarum, medicis & pharmocopœis cognitum, ægrotis & vulgo ignotum fuit, quibus notum eſſe, quid rei ſit, quod ſumatur, raro intereſt. Alius medicus, multa hic fama vſus, paullo ante meum huc aduentum deceſſit, cuius ſchedæ manu ſcriptæ inrra manus meas ſunt. Is itidem, quod facile monſtrare poſſum, feliciter, & pro ſtatuum epidemiorum & febrium indole, & ægrorum obſequio, frequenter eodem medicamine vſus eſt, diſſimulato licet ſæpe, ob hominum opinionem, nomine: immo ipſe, quod noui, ſua ſæpe manu dedit, aut vino infudit, dum ſchedulæ in pharmacopolium publice miſſæ aliud præ ſe ferebant. Nempe vir ille peritiſſimus vſum familiarem eius medicinæ acceperat a *Bohnio*, magno illo maturi & ſufficientis vſus patrono, *Schambergio*, aliisque Lipſienſis academiæ luminibus, vbi per multos annos artem didicerat feceratque. Haud abſimiliter rem in pluribus paſſim vicinis & remotis prouinciis vrbibusque ſe habere compertum nobis teſtamur: quamuis, dum homines ſumus, fieri non poſſit, quin alii atque alii in hypotheſibus theoreticis, caſibus particularibus, & methodo ſingulari, opinando-

&

morum, addi poſſent, & alia quilibet colligere poteſt, cui ephemerides naturæ curioſorum, hiſtoriam & commentarios academiæ ſcientiarum, tranſactiones philoſophicas, acta eruditorum, & ex Belgio, Anglia, Gallia, Germania, Italia, quouis menſe, partim etiam quouis hebdomade, prodeuntia volumina excerptorum, & nova litteraria, vel ipſos quotannis fere editos libros medicos, vere practicos & candide ſcriptos, volutare volupe eſt. (e)

& coniiciendo nonnunquam aliquantum ſententiis diſcrepent.

(e) Ipſe auctor diſputationis παραδοξολογικης de Impoſtura corticis id diffiteri nequit §. 4. vbi inquit: "aſt, quid ego mo- "lior? Itane *vniuerſali fere ple-* "*rorumque practicorum experi-* "*entiæ* impune contradicere licet? Verum hanc ſupra artes dialecticas poſitam ad propoſitum ſibi ſcopum non ſpectare ratus, in arenam ludicri certaminis aliam minusque nobilem deſcendit, in gratiam forte populi, cui ſpectaculum datur, "Anne, inquit, *nouellæ publicæ* "quotidie ferme certiores nos "reddunt, quanta in *Gallia*, "*Italia*, & potiſſimum *magna* "*Britannia* & *Belgio* miracula & "olim fecerit, & hodieque fa- "ciat cortex Ieſuiticus? Itane "ab omni fide aliena ſunt, quæ "a popularibus noſtris Germa- "nis nobis enarrantur de nume- "roſis febricitantibus ſolo eius "vſu reſtitutis? Fateor ſæpe me "relatum legiſſe, febricitantes "quosdam ſtatim ac china chi- "na vſi fuerant, febrem eman- "ſiſſe, ſed non minus recordor, "eosdem illos exacto paucarum "ſeptimanarum ſpatio, in ean- "dem denuo incidiſſe. Cum- "que, ad eam perdomandam, "ad idem remedium, eodem- "que, quo prius, ritu recurre- "rint attifices, quid mirum, "quod recidiuam paſſi fuerint, "donec, naturæ actiuitate ſup- "preſſa, ſchema mutauerit mor- "bus, ſenſimque in lentam vel "hecticam tranſierit febrim? Nobis illa vulgata ſchediasmata minus fida, & exasciata eſſe videntur, quam, vt ad ea prouocare in eiusmodi cauſſa lubeat: quamuis pleraque omnia, quæ

§. III.

Dissensus quorundam apparens.

Multi præterea sunt, quos alienis opinionibus, aut suis, & præceptorum aphorismis, quos, agnita licet veritate, reprobare aut limitare forsan pudet, aut aliis rationum momentis, quæ partim, si in ægrorum salutem dirigantur, ipse probo, id dare iuuat, vt nomen remedii prudenti tegant dissimulatione, dum id, sub alius tituli inuolucris, strenue deglutiendum propinant. Delectamento mihi sæpe fuit persuasio hominum ex variis locis aduentantium, qui sibi & suo medico mire congratulabantur, de curatione feliciter perfecta sine china, vt aiunt, qua alii medici ægros suos soleant curare: cuius medicamenti plures vncias ignari deuorauerant, (a) quod ex monstratis remediis, vel formulis, vel aliunde, facile manifestabatur. Sicubi plusculos remedii huius osores, & opinionum præiudicatarum fautores reperire est, vti hinc inde per Germaniam fit, sunt forte ex medentium numero,

quæ inde adduci possunt, veritatibus practicis de periculis, maligna pertinacia, & reuersionibus febrium, de aliarum medelarum minime certa efficientia, & de vsu abusuque corticis & aliorum remediorum, omnino adstipulentur, & apud ipsum vulgum, dummodo id attenderet, fidem facere possint.

(a) Erat etiam inter nos medicus, qui iam aliorsum migrauit. Dicebat se *Stahlianum*, & libellis quibusdam in lucem editis, & propria maxime remedia arcana laudantibus, inclarescere studebat. Declamasse hinc inde virum percepi contra chinam, & contra medicos ea vtentes, & se ab eo remedio alienissimum dixisse. At, quod sancte testor, & testes habeo, & ipse negare nequit, plures eius ipsius viri schedas his oculis vidi, vbi corticem Peruuianum claro nomine tunc præscripsit, quando eum vituperauit. Aliquoties etiam curationibus ipsius superueniens ipsum id medicamentum ab eo datum reperi.

ro, qui, licet cum doctis ſentiant, diſſenſum tamen vel omnino, vel ex parte, præ ſe ferunt, & cum vulgo loqui amant, atque, vt hominibus placeant, & cenſuras vitent, vel damnare penitus & omittere medicinam, quæ diſplicere aut cenſuras incurrere poſſit, vel reformidare cum ignaris formidantibus, & non niſi cum multa hæſitatione, & ſuſpenſa manu, aut neſcio quibus ſub cautionibus, ad captum vulgi & inſciorum laudatis, exhibere, immo forte alios magis ſinceros carpere, affectant, (b) aliter dicturi facturique, ſi rationes politicæ abeſſent. (c) Sunt qui vſum ipſum penitus diſſimulare non poſſunt, aut nolunt; attamen in eo pſeudodoxiæ vulgi adſentantur: certam aliquam, neſcio quam, doſin remedii periculoſam eſſe, & quantitatem, quantitatem muſſitant, iuſto maiorem, hic illic abhibitam, quod vocabulum nihil ſignificat, neque

incongrua cenſura doſeos.

(b) Cl. *Torti* therap. ſpec. p. 177. "aliqui methodum ſubfrigide, "ac quibusdam tantummodo "additis limitationibus, lauda-"bunt, vel laudabunt, quan-"tum ſatis eſt, vt ea poſſint vti "ſine exprobratione, ſi depre-"hendantur in facto, ſed ſimul "quantum ſat eſt, vt poſſint "opponere, & cauillationes ad-"ducere, eamue non nihil re-"formare, vel caſtigare tunc, "cum eadem ſibi proponitur, "vel muſſitare ſaltim, cum ab "aliis exercetur.

(c) V. vel. *Valentini* animaduerſiones in Machiauellum medicum, præſertim propoſ. 2. 3. 9. 10. 11. 12. 14. 27. Exſtant prax. infallib. part. I. p. 785. ſq. merito iis attendendæ, ſi qui hodie ſunt, qui regulas ipſius contextus haud auerſentur. Huius auctor creditur *Barnerus*, chemiæ philoſophicæ ſcriptor, &, quisquis eſt, politicæ præceptor eſt peruerſæ, & cordato viro indignæ, neque ſerio, ſed κατ' αντιφρασιν, & quaſi per ſatyram, ſcripſiſſe cenſendus eſt, vt oſtenderet, quid paſſim fiat, non quid fieri debeat.

determinat. Hi vero ipſi (d) menſuram & regulas, qua doſi & quo vsque continuari debeat cortex, aut nullas proferunt, aut incertiſſimas, aut, ſi quid tandem candide determinare, & praxi probare debent, niſi hanc lubricam eſſe velint, easdem, quas nos, ſummique viri, quos ſequimur, nempe, quæ in proportione virium medicamenti cum morbi ingenio, magnitudine, velocitate, longitudine,

(d) Exemplum elegans, cuius ſimilia etiam paſſim alibi leguntur, videre eſt in cl. *Torti* reſponſ. iatrapolog. p. m. 524. Cl. *Ramazzinus* iunior is fuerat, ad cuius petitum epiſtolam, vti hæc præ ſe fert, de abuſu chinæ, ſcripſerat patruus. De illo ita *Tortus*: "ſuadea-"mus nobis auctorem diſſerta-"tionem ſuam inſcripſiſſe nepo-"ti inſcio, nec de china china "quicquam locuto, nec re-"ſponſum vllum per litteras "vnquam quærenti: iuuat hoc "credere, tum quia tantam in "viro modeſto, cuiusmodi eſt "nepos defuncti auctoris, fidu-"ciam arguere, vt numeroſio-"ri, forſan & digniori, Muti-"nenſium medicorum parti, "Peruuiano febrifugo liberali-"ter, vt decet, vtenti, tam faci-"le ſuccenſuerit, tum maxime, "quia abunde iam conſtat, "ipſum longe aliter, ac olim, "de chinachina ſentire cœ-"piſſe, ſuamque laudabilem mu-"tationem ſententiæ, *vſu ipſo* "*practico*, prodidiſſe non ſemel. Hinc narrantur exempla dati ab eodem *doſeos cenſore*, corticis ad vncias duas cum dimidia, immo alicubi primum ad ſemunciam, deinde ad *vnciam*, quæ *pluries repetita* fuit, & *iterata* in eodem ægro, ſubſequentibus menſibus. Adduntur tandem verba ſequentia: "vt omittam, "quæ inſuper ex amicorum & "pharmacopolarum relatu hac "occaſione mihi certo innotue-"runt, de crebra & liberali "oblatione eiusdem febrifugi, "quæ hodie, citra vllam hæſi-"tantiam aut frugalitatem, in "vſu eſt eidem cl. auctoris ne-"poti. In meliorem ſenten-"tiam, prout hominem inge-"nuum decebat, tandem deve-"nit, quod illi quidem glorio-"ſum plane, & ad delendas ad-"miſſi olim præiudicii notas "abunde ſufficiens.

ne, difficultate, & niſu recidiuo fundantur: vnde remedii facile aut difficulter iuuantis minor aut maior copia requiritur, (e) quod per ſe, maiori etiam doſi, ſed opportuna,

(e) Conf. cl. *Torti* l. 1. c. 1. & l. 3. c. 4. ibique adducti auctores. Vncias duas corticis exquiſitiſſimi plerumque febribus debellandis ſufficere memorat, & in iſtis cancellis, apta diſtributione, manere laborat, ne ægrum nauſeoſo remedio præter neceſſitatem oneret, vtque voces obtrectorum reprimat, quaſi nimius ſit in doſi remedii, falſo quibusdam ſuſpecti. Ipſe vero, quod hiſtoriæ teſtantur, pro morbi ratione, & remedii effectu, mutauit ſæpe doſin, & præſertim ob reuerſiones longe transgreſſus eſt, perſuaſus, nihil quicquam in morbis opportunis detrimenti a cortice, ad plures & plures vncias ingurgitato, ſuboriri. p. 165. &, quamuis inutile ſit, licere tamen ad libras adſcendere, ſi nulla alia eſſet ſalutis via, p. 516. add. p. 172. ſqq. *Menginot.* de febrium curatione per vſum quinquinæ, zodiac. medic. p. 163. ſqq. 1681. m. Aug. "In "curationem vnius febris im- "pendenda eſt leſcuncia, ad "vncias duas, immo aliquando "ſuperanda illa quantitas, pro "varietate occaſionum. Fortu- "nati, quibus minor ſufficiet, "cum ſcilicet occurit *tempeſtas* "idonea, aut *febris non producta*, "vel ea *mitis* ſi fuerit. At, cum "nihil mihi animo obuerſetur "quam, vt optimum quidque, "& vſu probatum, adferam, "doſin eo vsque extuli, ratione "& experientia teſtibus: cum "ab huius remedii vſu omne "omnino abſit periculum *ſatius* "*eſt ad maiorem quantitatem aſ-* "*cendiſſe*, quam in minori hæſiſ- "ſe, vt curationis το ασφαλες ſe- "quatur." *Albinus* de febre quartana p. 28. "Videas ſæpe re- "dire febrim nullo corticis, ſed "medici vel ægri vitio, qui hunc "in inſidiis latentem hoſtem "tamdiu oppugnare debuiſſent, "donec expugnaſſent, nulla "habita doſeos ratione, vtpote "quæ quandoque ad aliquot "adſcendit vncias." Ita ſane ſe res habet, neque in vſu huius remidii, quod nulla vnquam doſi venenum dici poteſt, ſed immodice etiam & inutili copia, imprudenter, & ſine corporis nox-

tuna, innocuum eſſe fateri debent. Neque quærendum eſt, quam multum æger ſumſerit, ſed quam bene, quam opportune, quam feliciter. Proſper ſucceſſus remedii indicium eſt recte & ſufficienter dati. (f) Quis cibum & potum his, qui alimento & refectione indigent, omnibus ad æquabilem lancem appendat? Nam panis & vini libras corticis & ſimilium remediorum vegetabilium vnciis haud ſe-

genuinum doſeos moderamen.

noxa tamen, a plurimis hominibus deuoratum nouimus, certæ alicuius quantitatis limitibus prudens medicus includi debet. Etenim vna quantitas certa materiæ, & motuum, & velocitatis, & periculi febrium, in diuerſiſſimis ægris, ſtabiliri nequit, & neceſſaria remedii proportio tum ex cauſuum ἀναλογίᾳ, tum maxime ſingulariter ex ipſa demum εὐφορίᾳ eluceſcit, & ex ſumma illa indicatione, quæ a iuuamine vel eueniente, vel ſecus, peritis obſeruatoribus fere in quavis curatione deſumenda eſt: quod negligere, id eſt, quod in prouerbio dicitur, calceum vnum cuiuis pedi aptum reputare, eamdem aquæ copiam cuilibet incendio, & gigantæo morbo pygmæum remedium, vel medelam gigantæam pygmææ ægritudini, opponere. Nimiæ quantitatis præter analogicam rationem & εὐφοριαν & vtilitatem datæ, nocumenta ſupra p. 128. ſqq. notauimus. Et nos maxime in vſu omnium remediorum, & in huius etiam, id ob oculos habemus:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Iuſto *modo*, & *certis*, quas ſupra ſcripſimus, *regulis definito*, *placet* nobis illud *ne quid nimis*. Caueant, qui ab his recedunt, ne, cum damno ægrorum, idem illud dictum nimium ſibi placere dicere queant, id eſt, immodice; vti Græco illi:

Τὸ μηδεν γαρ αγαν αγαν με τερπει

Conf. præfatio *Mangeti* ad opera *Ramazzini*, *Torti* reſponſiones ad eiusdem *Ramazzini* diſſert. de abuſu chinæ, quæ integre lectæ non tirones ſolum, verum doctos etiam medicos, doctiores dimittent.

(f) *Hippocrat*, de locis in homine §. 125.

quibus naturæ defectus, & hominum errores, a medicaminis effectibus non ſatis diſtinguere licet aut lubet, "ſed "prudenti & continuato vſu penitus extinguit illos, nun- "quam redituros." (c) Aliquando (d), ſed *raro* accidit, ex

(c) Ita, præter alios multos, *Schelhammer* de genuina febres curandi methodo p. 132. "Cortex hic paroxysmum non "modo ad tempus ſuſpendit, "verum etiam, iterato propina- "tus, ipſum morbum ſubigit ac "tollit de medio." *Bontekoe* de febribus p. 77. "Exclamant, "ait, quod febres non proflige- "mus, ſed ad tempus aliquod "ſuſpendamus. Verum quale "habent horum documentum? "nullum aliud, quam quod *fe-* "*bris* deinde *redeat*. Aſt præ- "terquam, quod & *hoc illis* in „praxi *ſæpe occurit*, non cogi- "tant, *melius* adhuc eſſe, *pro* "*tempore* a febre liberari, quam "*multis menſibus* ea *grauiſſime* la- "borare: prout ipſi *ab illis* tra- "ctati ægri, ſanitatem non re- "cuperantes, in *morbos* incidunt, "*ipſa febre moleſtiores*, vti in hy- "dropem, icterum, phthiſin. "Denique, quid intelligitur per "febrem præcludere? qnomo- "do chinæ chinæ puluis, vel "aliud quoddam remedium fe- "brem in corpore, veluti lu- "pum intra ouile, præcludere "poſſunt? Vnde doctores no- "ſtri hæc didicerunt? Puluis "ille, *præcluditne* febrem, cum "eam *ad tempus* pellit? Sed hoc "non eſt præcludere, verum "*ſemicuratio* quædam: &, *quia* "*malum remedio fortius* eſt, ideo "fit, vt febris, diebus vel heb- "domadibus aliquot elapſis, re- "currat. Aſt hoc inde vulgo "fit, quod *æger* male obſeruet "*diætam*, vel etiam quod *me-* "*dicus negligat imperfectam pro-* "*ſequi curationem*. Si enim æger "& medicus munus ſuum æqua- "liter obeant, *certum eſt*, *expe-* "*rientiaque* nos docet, pulueres "hosce *febres non præcludere*, "ſed *plane curare*.

(d) Probe hanc obſeruationem ſimilesque noſtras intelligant velim, ſi qui ſunt, qui nihil niſi noxas corticis crepant, veluti auctor ille *impoſturæ*, & alter *ſuſpecti vſus*, de quibus ſupra obiter quædam notauimus: ne nobis forte id eueniat, quod aliis viris cordatis. Verbi

ex *magna* & *ſontica*, aut *noua* etiam *cauſſa* (e), legitime ita perſanatam febrem nihilo minus denuo excandescere, vti, quæ malum aliquod ſemel excitarunt cauſſæ, eidem iterum producendo ſufficere poſſunt, & alia quæuis medicatio minus adhuc ea pollet virtute, qua per totam deinde vitam contra omnes febrium cauſſas præmuniri hominem poſſe præſumamus. Tum vero morbus plerumque ſponte naturæ, & vulgatis remediis iuſta methodo adhibitis, *ſine periculo* deflagrat, vel, ſi quid in mora discriminis eſſe apparet, repetito corticis vſu æque *certo*, ac prius, extinguitur. (f) Ita, ſi ſimilitudine ſatis apta ludere licet, recens

cauſſa, ſi *Sydenhamius* candide narrat, vti poſt plures alias febres, ita poſt *paucas* cortice curatas, tumores pedum nasci, ſed *facile continuato remedii vſu* curari; item, ſi incommodum memorat, quod *vnicum* dicit, idque *rarum*, nempe rheumatismum aliquem ſcorbuticum, qui tamen facile medicamentis cedat; ſi idem obſeruator nondum ſatis expertus, in prioribus maxime ſcriptis, viſam ſuspenderi potius cortice, quam debellari, quartanam ſincere recenſet: quam poſtmodum repetito vſui vel certius, quam ipſas tertianas, conſtanter cedere reperit epiſt. l. p. m. 385. & alii poſt eum felicius exploratum præſtiterunt: nescio qui fiat, vt clament ſtatim ſcribantque boni viri; en ipſum *Sydenhamium*, en tantum corticis patronum, qui ex eius vſu tumores œdematoſos, qui rheumatismos arthriticos, qui inconſtantiam efficaciæ fatetur! Bona verba quæſo! Æquum detur iudicium his, qui neque cauſſidicorum alicuius remedii, neque accuſatorum, officio fungi, ſed meliores ſequioresque euentus, ac vſus abuſusque annotare, inſtituerunt, neque exercitii cauſſa ſcriptitant, ſed ſerio in incrementum artis ſymbolam quantamcunque conferunt, vt tum vera diuerſitatis euentuum cauſſa erui, tum mali correctio, & abuſus euitatio, magis magisque tentari & perfici poſſit.

(e) Confer. p. 150. ſqq.

(f) Similia ſcripſiſſe reperio cl. *Torti* therap. ſpecial. p. 181. ſqq.

Lælius

recens incendium, vbi aliud aliquando extinctum fuerat, denuo affuſa aqua delere nemo prudens verebitur. Ita noui vulneris eamdem curam gerimus, qua ſuperiori forte tempore aliam eiusdem corporis læſionem ſanari licuit: ita denique morbos plurimos, paſſiones hæmorrhoidales, & quæ circa menſtrua accidunt, febres acutas, conuulſiones, lumbricos, tuſſes, diarrhœas, arthritides, ſyphilidis & σκελετυρβης ſymptomata, & quæ ſunt alia, vbi plus ſemel hominem infeſtant, ſimili methodo, iterum atque iterum, prout res poſtulat, repetita curamus: neque diætam vel medelam, ſemel proficuam repertam, ideo reiicimus, vel contumelia afficimus, quia mortalem hominem inuulnerabilem non præſtitit, neque corpus in primæuum innocentiæ ſtatum potuit reſtituere, aut in eodem, veluti arbor vitæ aliquis, conſeruare. Neque vero hac excuſatione multum opus eſſe, ſi regulæ probe obſeruentur, res ipſa docet. Pauciſſimi (g) ex plurimis, hac methodo rite

Lælius a Fonte, auctor vetuſtior, cl. *Stahlio* magnopere paſſim laudatus, conſultat. 21. de febre tertianæ indolis: "ſi mor-"bus, ait, in recidiuam relaba-"tur, iteranda ſunt medica-"menta.

(g) Fuerunt, inquam, aliqui, ſed, ſi maxime comparentur ad eos, quos & ipſe extra hanc methodum perfectiorem curaui, & curari vidi & noui, & relabi expertus ſum, adeo pauci, vt memorari vix mereantur. Hi vero pauci poſt plures menſes, poſt annum vnum aut alterum, poſt egregium ſanitatis interuallum, noua febre ſub ſtatu epidemio afflicti ſunt, quæ neſcio an recidiuæ nomine dici ſemper mereatur. Atqui ſontica, vti dixi, cauſſa adfuit, ex his fere, quas ſupra p. 150. de reuerſionum tempore extra ordinem incerto, notaui. Forte etiam anomalia, quæ regulam facere nequit, interdum ſubeſſe potuit, vt ordinata curatione inordinatus ad reuerſionem

abſoluta perſanatis, febrem nouiter paſſi ſunt, neque grauis cauſſa manifeſta abfuit; dum alii innumeri, quos natura vel ars minus certa ſanitati reſtituit, ſub hoc ſtatu epidemio, relapſus frequentes, graues, difficiles, immo ſæpe ſæpius vix ſine cortice medicandos, ſuſtinuerunt, (h) etiamſi cauſſa grauior allegari vix potuit.

§. II.

ſionem niſus penitus præcaueri nequiuerit. Fieri enim poſſe nouimus, vt, magis aut minus manifeſte, non misceantur ſolum inter ſe, verum etiam permutentur, & ſibi inuicem ſuccedant, tertianæ, quartanæ, quotidianæ: quibus aliam atque aliam medelam, quod ad tempus attinet, reuerſionis præcauendæ cauſſa, deberi hactenus oſtendimus.

(h) *Lælius a Fonte* l. c. vbi euentum curationis in ægro febriente tertiano narrat: "quamuis, inquit, auxilia pro"poſita adhibita ſint omnia, "nunquam potuit perfecte con"ualescere, quin pluries etiam "in recidiuam relapſus fuerit, "& non potuerit curari, niſi "anni vnius ſpatio, & aeris mu"tatione." Similia, immo peiora, omni æuo, a quauis extra corticem methodo, ſæpenumero contigerunt, & hodie contingunt. Si cortex, quem *Lælii* ſæculum ignorabat, imperfecte forſan fuiſſet adhibitus, multo magis ſi, ex eius auctoris de aliis remediis ſententia, quouis recurſu repetitus fuiſſet; non morbidam credo materiam eiusue indolem, neque naturam ægri, neque diætam, neque anni & aeris ſtatum, neque medelarum & methodorum imbecillitatem, ſed noxiam corticis poteſtatem, reuerſionum & producti morbi auctorem feciſſet hominum ignarorum, & præiudicantium, aut maleuolorum opinio: quamque candidus auctor anni maxime & aeris mutationi tribuit, meliorem conſtantioremque valetudinem, acceptam tuliſſet nescio cui methodo aut medicinæ poſtremum adminiſtratæ, & expurgatæ tandem, mira cum felicitate, noxæ a china relictæ. Hodie certe eiusmodi opinationibus & fabulis natura & veritas hinc inde obumbratur.

§. II.

Multiplici vero mea & ſummorum virorum experientia perſuaſum habeo, nihil ab huiusmodi methodo, & continuato efficaciter repetitoque corticis vſu, ſi prudenter & tempeſtiue fiat, damni emergere. Exempla & teſtimonia huc cumulare ſuperſedeo, quæ apud auctores paſſim hactenus laudatos vbiuis obuia ſunt, & neminem in medicorum ſcriptis verſatum fugere poſſunt. (a) Honoris

Experientia & conſenſus doctorum de methodi ſecuritate & ſalubritate.

(a) Hæc habemus innumerabilia, quæ opponamus παραλογισμοις diſſertationis, quæ, titulo mirifico, corticis vſum rectum & tamen noxium, proclamat. Gemina hæc opella eſt, alteri, de impoſtura corticis. Vtramque ſerio ſcriptam eſſe, quum eiusdem viri docti nomen præ ſe ferat, nequaquam perſuaderi mihi patior: niſi impotens animi affectus, nescio quibus cauſſis excitus, & calamum duxit, & conuicia in medicos fere omnes dictauit: vt auctor naturæ ſuæ errantis & affectibus turbatæ miniſter fuiſſe videatur. Mentem auctoris, & totius diſſertationis ſummam exponit §. 17. "Eſto iam, inquit, febricitanti "eam obtigiſſe felicitatem, vt "inciderit in medicum vetera-"num, expertum, hiſtoriæ mor-"borum pariter, ac medicæ ma-"teriæ, apprime peritum, cui "ſubiecti indoles, eius tempera-"mentum, ætas, immo indiui-"dualis conſtitutio, examuſſim "ſit perſpecta, quique & pro-"xysmorum febrilium, & ipſius "quoque temporis, in quo febris "eſt conſtituta, doſεως itidem "formæque, ſub qua febrifu-"gum Peruuianum & ordinan-"dum & exhibendum ſit, "omnium denique cautelarum, "quæ ad rectum eius vſum re-"quiruntur, exactiſſimam ha-"beat rationem; nulli tamen "dubitamus aſſerere, famoſum "corticen eſſe ac manere re-"medium infidum, fallax, im-"mo abſolute noxium, ſiue "intermittentibus, ſiue acutis "opponatur. Id quod, ne citra "ſufficientes rationes & expe-"rimenta dixiſſe videamur," (nam abſurdum id non poſſe non videri, facile ſenſit) iube-

cauſſa nominatim indicare lubet *Albinos*, *Albrechtos*, *Apinos*, *Barchauſios*, *Bartholinos*, *Behrenſios*, *Bergeros*, *Bianchios*, *Bœcleros*, *Boerhaauios*, (b) *Bohnios*, *Brunneros*, *Camera-*

"iubemus ante omnia rite at-
"tendi ad indolem & naturam
"omnis febris in genere. Inde de febre, tamquam autocratico & ſemper ſalutari naturæ, ſeu animæ rationalis, conatu; de adſtringentium lucta cum natura ſapienti, quæ inter cortex primatum obtinere fingitur; de ſanguinis & humorum abundantia, tamquam vnica febris cauſſa; de raritate febrium epidemiarum; de cascarilla aliisque remediis cortici præpollentibus; theſes pro auctoritate, forte ſolius diſputationis academicæ, & linguæ in cathedra exercendæ cauſſa, tamquam edicta, promulgantur, quibus nemo ſciens aut expertus fidem adhibebit. Ab huiusmodi non rationibus, quod ſcientem quemlibet teſtor, ſed rationum vmbris inanibus, & ab experimentis iactatis, ſed aut nullis, aut manifeſte infidis & imperfectis, παραλογως concluditur, vel precario ſupponitur: *corticem tota ſua natura*, quam profecto auctor non nouit, *indoli febrium*, quæ doctioribus ipſo haud ſatis cognita eſt, *contrarium, atque ideo*, quamuis prodeſſe poſſe, & ſæpe nequaquam nocere, non negetur, *abſolute noxium eſſe, etiamſi recte vſurpetur*. Ita ſanæ rationi, & experientiæ veritatique manifeſtæ, aduerſari audet vel opinio, vel contradicendi pruritus, vel ludendi in re ſeria, vbi de corio humano luditur, & quidlibet diſputandi, ambitioſa voluptas, vel ſi qua alia cauſſa occulta ſubeſt.

* *Boerhaauius de corticis vſu.*

*(b) Huius communis plurimorum per diuerſas regiones medicorum præceptoris aphorismi de cognoſcendis & curandis morbis, Ilias in nuce, neruoſe docent differentiam febrium ex genere intermittentium inſignem pro ratione indolis, euentus, ſymptomatum, facilitatis, & difficultatis, ſecuritatis & periculi, ſalubritatis & perniciei. Faciliores, tutiores, & ſalubres, ſub vernalium nomine,

merarios, Cohausios, Dauinios, Dolæos, Dodartios, Ferrarios,

ne, probe discriminat a difficilioribus, insecuris, insalubribus, quas autumnales vocat, quia autumno frequentiores sunt, quamuis ab æstate ad ver fere vsque harum ditionem protendat, & eas etiam febres sub autumnalibus comprehendat, quæ vere in ipso simili indole aberrant §. 747. 48. 49. 52. 53. 54. 61. 65. 69. Præcipue §. 767. tres corticis Peruuiani vsurpandi indicationes diuersas exhibet: febris autumnalis vehementiam, corporis ex ægritudine debilitatem, morbi longitudinem. Addit cautiones tres: ni adsint signa inflammationis internæ, collecti alicubi puris, aut obstructi admodum huius vel illius visceris: nempe ita obstructi, vt remedii vi aperiente obstructio superior sit, neque ab isto minui, vel etiam intacta manere, sed augeri potius a medela, aut a febre resolui, videatur. Laudat denique iungenda, quæ propria affectibus coniunctis sint, tempus exhibendi extra accessionem, debitum ordinem, dosin, regimen. Et hæc eadem ipsa sunt, quæ nos supra paullo fusius deduximus. Quod de distinctione obstructorum viscerum heic dictum est, & cum principiis, & cum praxi inciti viri, & cum quotidiana experientia, concordare nouimus. Ipsi etiam perspectissimum est, & multoties in nostra praxi reperimus, quod cl. *Tortus* p. 91. enarrato casu de febre duplici tertiana, cum obstructione & tumore lienis insigni & amplo, per corticem solum medicata, dicit: "plures casus istiusmo-"di, de febribus intermittenti-"bus. præcipue quartanis, tu-"more viscerum infimi ventris "comitatis, & per corticem, vna "cum tali symptomate, sanatis, "afferre possem, quos tamen, "vt pote *triuiales* & passim *ob-"uios*, satius est silentio præ-"terire." Sæpe etiam obstructionibus viscerum grauioribus accedit febris intermittens, quæ fructum nullum affert, sed impedit potius medelarum ἐμφρακτικῶν effectus, auget etiam malum, vires indies minuit, aut pernicioſam induit indolem. Itidem tunc indicatur omnino illud remedium

rios, Gothofredos, Guidetos, Heiſteros, Heluetios, Hoffmannos, Lanciſios, Lemerios, Lentilios, Mangetos, Meadios, Meibomios, Musgrauios, Muyſios, Nigriſolios, Pechlinos, Peyeros, Pitcarnios, Puerarios, Riedlinos, Schacheros, Sloanios, Sydenhamios, Tortos, (c) *Tozzios, Vallisnerios, Vel-*

dium, quod ipſum neque obſtruit, neque violenter irritat: ſed ita indicatur, vt altero ſemper oculo ad vitium febri coniunctum reſpicias, quod, ſublata iſtiusmodi febre, quæ inutilis vel noxia eſſe videatur, & roborata natura, felicius ſæpe curare licet, medicatione apta cortici addita, interpoſita, vel ſubiuncta, ſi præmiſſa ſpem fallat, vel vrgens indicatio præmittere prohibeat. Ita & theoria, & praxi, mecum ſentire ſcio virum inclitum, cuius conſenſum, aliorum quorumdam, immo ſi etiam multi eſſent, diſſenſui fidenter oppono.

Torti elogia.

(c) Hic, teſte celeb. *Bianchio* hiſt. hepat. p. 227. "in febribus per-"niciosis pertractandis palmam "omnibus præripit." A medico & philoſopho acutiſſimo, (*Giornale de' letterati* T. 3. p. 116.) & ex experientia multa, ac ab anno inde 1695. repetita, (T. 4. p. 432. ſq.) ſcriptus eſt liber: "Franciſci *Torti*, Murinenſis, ſe-"reniſſ. ducis medici aulici, & in "patrio lyceo prof. med. pract. "therapeutice ſpecialis ad fe-"bres quasdam pernicioſas "vna vero china china, pecu-"liari methodo miniſtrata, ſa-"nabiles: aucta curationum hi-"ſtoriis, quæſtionibus, ac ani-"maduerſionibus practicis, aliis-"que plurimis, variam huius-"modi febrium habitudinem, "intermittentium quoque "omnium, immo continuarum, "naturam, & chinæ chinæ præ-"ſtantiam, actionemque, reſpi-"cientibus, nec non vſum & "abuſum in ſingulis febrium, "aliorumque plurium morbo-"rum, præſertim recurrentium, "ſpeciebus. Mutinæ 1712. primum, iterum 1732. editus, cum reſponſionibus iatrapologeticis ad *Ramazzinum*. Elogium, quod hic liber ab auctore diarii eruditorum Italici promeruit, ex T. 12. p. 408. ſq. breuiter adſcribere lubet. "Franc. *Torti*, medicus magni "nominis, tandem publicam "expectationem impleuit, edi-

ſecuriores eſſe, fidenter affirmabunt experti. Conſideretur differentiæ ratio: profecto noxa maior in hominibus & ſanis & febrientibus, ex pane & potu ad nimias libras ingurgitato, quam ex cortice ſenſim intra plures dies ad vncias plures deuorato, timenda eſt. Quis theæ foliorum, fabarum Turcicarum, radicum, herbarum, florum, fructuum, ſeminum, lignorum, corticum medicinalium, per ſanitatem & per morbos iterum iterumque repetita & ſenſim conſumta pondera ſcrupuloſus computet? Atque quid præ his magis metuendi habeat febrifugus cortex, nemo quisquam, vel Argo oculatior, reperiet. Noui homines, qui rhabarbaro ita familiariter vtuntur, vt, ſi recte calculus ineatur, quatuor & amplius libras ſenſim deglutiuerint: quod remedium cortice longe magis adſtringens, &, in minori ac ille doſi, ad ſenſum ſuo modo efficax eſt, & haud ſine turbis operatur. Tutioresne rhei libras corticis vnciis dixeris? Sagaciores ſane pronuntiabunt vncias corticis ſenſim datas drachmis tutiores eſſe. Quis, ſi arſenicum aſſumtum ſit, antidotis veneni propinandis, aquæ, lacti, oleo, mucaginibus, cryſtallo, modum aut doſin vniuerſaliter præſcribat? quis abſorbentium remediorum pondera determinet certa, & vbique ſimilia, vbi acor corrodens intra ſtomachum eſt? quis ſalium doſin & continuandi tempus omnibus febribus pariter præſcribat? quis numerum repetendarum potionum purgantium aut diureticarum, pro hydropicorum omnium aqualiculo exhauriendo, vnum & eundem præſtituat? quamuis hæc multo maioris aleæ ſint; vti &, quæ paſſim *Sydenhamius* aliique de augendis & continuandis, ſecundum dolorum & fluxionum vehementiam & pertinaciam, anodynorum doſibus notant. Collineant huc, quæ rectiſſime *Hoffmannus* de prudenti medica-

mentorum continuatione monet (g), præcipue de chalybis vſu ſæpe continuando. "Merito, ait, debet eſſe *proportio* in-"ter *cauſſæ morbificæ magnitudinem*, & inter *virium medica-*"*mentorum efficaciam.* Hæcque mihi præcipua videtur ra-"tio, (h) quare affectus varii tam difficulter curentur, quod "ſcilicet non continuo, & ad legitimum tempus, tum *medi-*"*corum*, tum *ægrotantium culpa*, medicamenta propinantur." Pernoscantur regulæ de vſu corticis tempeſtiuo, efficaci, adæquato; notetur morbi & remedii proportio; obſeruetur αναλογια, ευφοριa, & iuuamen eueniens! tum perinde medico eſſe debet, vna, an duabus, an decem, an viginti, an pluribus drachmis medicamenti per ſe ſecuri ſenſim dandis opus ſit, modo ſanitatem reſtituat, morbum expugnet. (i) Ita ipſi, qui maiorem doſin corticis, ſi opus ea ſit, minime reformidamus, paucis ſæpe ſæpius drachmis febres ſanauimus, ſi iſta rite obſeruata ſint. Eant, qui non obſeruarunt, & ſuum errorem agnoscant pœnitentes, non

(g) peculiari diſſertatione §. 13.

(h) Hæc præcipua ratio eſt, cur multi affectus febriculoſi, ſua ſponte pertinaciores, & ad ανομαλιαν proni, tam difficulter, immo tam infelici cum ſucceſſione variorum aliorum motuum morbidorutm, curentur: timor vanus, tergiuerſatio, & nauſea ſufficienter continuandi remedii, cum ſcientes prudentesque morbum timere ac nauſeare debeant.

(i) Lubet finire hanc apud expertos fere ſuperuacuam diſputationem verbis *Charaſii* a cl. *Torto* p. 172. hanc in rem adductis. "Non opus eſt, inquit, "ſcrupuloſum eſſe de doſi reme-"dii: hoc enim commodi ha-"bet, quod neque augmentum "eius paullo maius ſolito, neque "iteratio præbitionum, mali "quicquam cerpori impreſſum "poſt ſe relinquant, ſed nemini "nocumentum inferre poſſint. "Ita, ſubiungit *Tortus*, ſentiunt "auctores omnes in abhibenda "chinachina exercitati.

non culpam fruſtra criminentur remedii (k), extra vel infra ſuæ potentiæ ſphæram imprudenter adhibiti. Neque ego me nunquam errare reputo: ſed, ſi erro, meum vitium candide agnosco, non vitium medicaminis, cuius recte adhibiti vitium nullum eſt. Crumenæ ægrorum parcendum eſt ſæpe, & nauſeæ, & remedii famæ, & hominum in illud fiduciæ, & vel iccirco minuenda ſæpe doſis; ſed ita eſt parcendum, ne ſanationi neceſſarium pondus deficiat. Immo vero, qui nobiscum ſemel tempeſtiua ſufficienti & adæquata ratione continuarunt medelam, & iuſtis interuallis repetierunt, longe minori vniuerſim doſi ſæpiſſime opus habuere, vel paucioribus breuioribusque, & longe minus pretioſis, (l) medicationibus, quam qui *in ſimili morbo* minuere præter rationem ſtuduerunt doſes, & abrumpere curationis filum feſtinarunt, & noluere reſumere, niſi vbi morbi reuerſio cogere viſa eſt: vnde ingens ſæpe quantitas ſine fructu deuoratur.

(k) Cl. *Torti* therap. ſpecial. p. 186. "Quod ſi aliquibus cortice *per-*
"*peram*, vel *languidiuscule*, *doſi*
"*que irrigulari*, aut, priusquam
"plusquamue deceat, *imminuta-*
"vtentibus, vel præſcribentibus
"vbi non conueniat, vt in febri-
"bus *eſſentialiter* continuis, &
"in extremo earum periculo,
"ille non videatur proficere;
"non id in medicaminis, vel me-
"thodi meæ vitium vertant, ſed
"in *culpam methodi ſuæ*, ſi quam
"habent, aut habere credunt.
"Si enim huic, quam protuli in
"eum finem, vt, qui eam non
"ſatis callent, callere poſſint,
"fidem velint adhibere, eamque
"*integre* non renuant amplecti,
"feliciores procul dubio poſt-
"hac curatianes abſoluent.

(l) Cl. *Torti* p. 13. "Non modo
"in rebus incertis hallucinantur
"aliquot ſaltim medici, ſed vl-
"tro errant etiam ſcienter, ſi
"modo velint animaduerrere,
"ſe nonnullis vti rebus, quibus
"vel inualidam, vel nullam in-
"eſſe virtutem, pro obtinendo
"fine, in quem vſurpantur, mil-
le,

§. IIII.

Praparationis & expectationis laudatio nimis generalis.

Aliqui artem diuturna prius expectatione curandi, (a) & ſemper & vbique, repetita luſtratione, & præmiſſis varii generis medelis, præparandi corporis,

"le antea experimentis luce "clarius deprehenderunt. An "grauiter peccent, ſiue ob "imperitiam id fiat, ſiue ob ſo- "cordiam, crumenam ægro- "rum, interdum pauperum, ma- "le mulctando, videant theolo- "gi. Non hic præciſe loquor "de tot confectionibus cardia- "cis, de tot pretioſis medica- "mentis inutilibus, quibus abu- "tuntur nonnulli, fortaſſe cor- "ticem improbantes, ac illius- "modi medicamenta inertia "actiuo illi perperam & fruſtra- "nea impenſa anteponentes, "quos proinde incurrere in le- "gem repetundarum autumat "*Badus*; ſed de abuſu loquor "magis vulgari, minus forſan "notato, & maxime vniuer- "ſali.

(a) *Ramazzin.* orat. 4. p. 51. "Ars medica, non ſecus ac militaris, ſuos habet Fabios, ſuos "Marcellos." Fabius Hannibalem, quem vincere non didicerat, cunctando eluſit, dum cunctari tutum fuit; Marcellus fortiter citoque eundem hoſtem impugnando, vinci eum poſſe tunc oſtendit, quum inſecura futura fuiſſet cunctatio: idem ipſe Marcellus, qui, cunctandi peritiſſimus, triennio integro Sxracuſas obſedit, quum citius expugnare non poſſet. Illos, qui intempeſtiue cunctando Farios ſe putant rem reſtituturos, admonet Marcellus noſter *Hippocrates*, qui egregie alias cunctari didicit, de arte §. 20. "dilatio omnis "mala, in arte vero medica eſt "peſſima, vbi dilatio eſt animæ "periculum." Monitum negligentes accuſat *Ramazzinus* opp. p. 70. "perſæpe ſibi mo- "ras nectendo, & prolatando, "occaſionem, quæ præpeti pe- "de fugit, & agendi opportu- "nitatem, ſibi e manibus turpi- "ter elabi patiuntur.

ris, (b) vel corrigendi ſingulariter aut miſcendi remedii, laudant, quo facto tutum tandem reddatur ad ſacram quaſi anchoram confugere. Conſtat tamen nihil horum vbiuis, & maxime in velociori periculo, tutum eſſe, vbi tutus tamen eſt, immo neceſſarius, (c) ſubito vſurpatus & efficaciter continuatus ac repetitus cortex. Conſtat

(b) Cl. *Torti* Therap. ſpecial. p. 60. "Eſtne purgandum? eia purge-"mus! Mittendus etiam eſt ſan-"guis? mittamus! omnifariam "euacuandum adhuc eſt? eua-"cuemus, extenuemus, excar-"nificemus! non ſic forſan ſu-"per proprium corium luderes. "At, poſt tot lanienas, ſaltim "incaſſum, ni cum detrimento, "patratas; quando tandem ru-"tam, ſerpillum, verbenam, "chamædryn, quando mithrida-"tium aut theriacam, aliaque "febrifuga ſpecifica, inualida "tamen comparatiue ad corti-"cem, præſcribimus, quando "carpis burſam paſtoris, vel au-"riculam muris contuſam, quan-"do telas aranearum, vel oui "pelliculas, digitis admouemus, "quando denique animalcula in-"ſontia ægrorum collo ſuſpendi "iubemus, & alias huiusmodi "vel aniles & dolorificas nugas, "ante chinæ chinæ aduentum "iam familiares, quarum tamen "nullæ materiam febrilem eua-"cuant, vſurpamus; tunc ſal-"tim, niſi citius, exhibeamus "corticem, vt ſollemne erat vel "ipſis meticuloſis auctoribus, "qui tantum ſuperficie tenus "chinam chinam nouerunt, or-"bi noſtro primum naſcentem: "exhibemus, inquam, tunc "corticem, ſi non alio titulo, "certe *ob remediorum inopiam*, "quoniam non ſine pudore *fa-"teri cogimur*, ad conterendas, ni "ſponte ſoluantur, diuturnas "intermittentens, ſi corticem "demamus, artem prope defi-"cere.

(c) *Lanciſius* de noxiis palud. effluu. g. 308. "pernicioſæ febres, (ex "intermittentium genere) cu-"iusmodi plerumque ſunt, quæ "in conſtitutionibus epidemicis "graſſantur, ſæpe ſæpius intra "ſeptimum diem perimunt "ægros, ita vt, ſi 14. vel 21. diem "quis expectare voluerit, non "ægrotum, neque cadauer, ſed "reſolutos pæne illius cineres "curandos ſusciperet.

etiam, neque exquiſitiſſimas corporis præparationes, quas, quum ſæpe indicentur, (d) pro indicatione, & nos præſtare laboramus, neque ſpontaneas & infidas naturæ deſpumationes, multo vero minus correctiones, quas vocant, medicamenti, quod correctione opus non habet, (e) id ſemper efficere, vt facilius minorique doſi febris deinde expugnetur: quin ſæpe ſæpius, vbi expectaueris nimis, aut ſine indicatione purgaueris, aut nimium præparando, miscendo, vel doſin reſcindendo, caſtraueris remedium, multo ſæpe maiori deinde cautione, multo maiori vniuerſim pondere, longiorique medela opus eſt, niſi ſpe ſua cadere artifex, & febrim, cuius tandem cum ipſo æger impatiens eſt, conſeruare cupit, aut infeliciter incertoue curare. (f) Illi ipſi, qui, (quod curioſum videtur, & ad hypothe-

opinio de ſiſtendis motibus ſine materie.

(d) Conf. cl. *Torti* therap. ſpecial. L. I. c. 9. vbi quæſtio cum diſtinctione discutitur: "an chi-"næ chinæ oblationem præce-"dere debeat purgatio, aut ve-"næ ſectio.

(e) Huc illud ſpectat, quod ſupra p. 142. de chalybe, eiusque præparationibus & ſuppoſititiis correctionibus, ex commentariis academiæ ſcientiarum adſcripſimus: *c' eſt grand dommage d' emploïer de l' art à gâter la nature.*

(f) *Hoffmannus* de recto corticis vſu in febribus §. 35. "Etiam id "ingenue affirmare poſſum, nos "*frequentiori obſeruatione didiciſſe*, & longe *difficiliori negotio*, & longe *maiori cautione* "corticem noſtrum febri oppo-"ni, *vbi* hæc *aliquamdiu*, per ali-"quot hebdomades, vel menſes, "corpori inhæſit, quam vbi haud "ita pridem illud inuaſit, eo "quod, quo diuturnior febris "eſt, eo maior recrementorum "ex diſſolutione ſanguinis per "motum calidum inteſtinum, "nascitur copia, quæ poſtea æ-"grius & corrigitur & educitur. Veriſſimum hoc multoties deprehendimus, niſi vbi ſenſim magis magisque materia fomesque morbi, ſuperiori naturæ robore, & apte inſtitutis ex arte euacuationibus, deferbuit, inſtar morbi acuti per λυσιν ſuc-

potheſes nondum probatas pertinet, (g) & in morbo pericu-

ſucceſſiuam euanescentis, & melioris anni aerisque fauor acceſſit, qui ſolus ſæpe ſufficit deſtruendæ febriculoſæ impuritati, vel ita infringendæ, vt paruo negotio diuturnis etiam febribus cortex, aut illa medicina, medeatur, aut ipſæ ſponte ceſſent. Id vero vbiuis expectare, quis prudentis viri eſſe putet? Diſtinguere febres ita ſalutares, & ſponte facileque terminandas, ab his, quæ citiorem generoſioremque medelam exposcunt, cuiuis in promtu eſt experto, & attendenti ad augescentem, præter conſuetam in ſalubriori morbo rationem, vel imminutam, vel pertinacem & ſemper æquabilem, paroxysmorum ac ſymptomatum grauitatem: ad periculorum ſigna; ad felices aut infelices febrilium motuum effectus poſt acceſſionem relictos; ad ſtatum epidemium; ad habitum ac vires ſinguli corporis ægroti; & ad ipſam ægri obedientiam, & regimen in victu & aere ceterisque rebus ſperandum. Niſi enim hæc exquiſitiſſima ſperare licet, tutior profecto eſt velox, ſed perfecta, morbi curatio, quam expectandi artificium, & incerta medela quæuis. Nam ſi morbus ipſe etiam nocere non poſſit ſolus, nocebit impatientiæ ægri & diætæ vitiis iunctus: quæ poſt fugatam rite febrem non tam facile nocent.

(g) Ambigue illud, & tamquam coniecturam ſibi veroſimilem, poſt alios propoſuit illuſtr. *Stahlius*: audacter repetunt, & ſine hæſitatione, & tamquam veritatem exploratam, discipuli & imitatores aliqui. Demonſtratum dare id theorema prohibet materiæ febriculoſæ & partium motibus dicatarum abſcondita ſubtilitas. Id tamen interea quibusdam corticis cenſoribus clypeum præbet, quo tecti ad illud remedium confugere poſſint, ſalua, vt opinantur, hypotheſi. Certe ſcire nullo ex ſigno poſſunt materiam omnem conſumtam eſſe:

ni vates ipſis dictarit Apollo:

Subtiliorem, & magis abditam, & ideo forte magis metuendam, ſecure in corpore, ſuppreſſis motibus, ſiſti dicere nolint. Supprimunt tamen motus,

riculum propinquum minante, aut vix tolerabili, aut valde pertinaci, profecto non ſufficit,) motus febriles nudos & ſolos, conſumta meteria, ſuperſtites eſſe, & hos ſolos tandem vi huius pharmaci adſtringentis tuto cohiberi poſſe cenſent, tandem, vbi in febribus difficilioribus curandis diu cum ægris ſudarunt, (h) tempus demum eſſe arbitrantur, nescio quibus ex ſignis diuinantes, (i) vt hunc

**methodus naturalis dicta ad febres curandas.*

tus, & ſiſtunt febrim, eodem cortice, quem impoſtorem vocitant, & ſolum fidum reperiunt, ſi amica febris fidem frangere videtur.

(h) *Ramazzin*, opp. p. 70. "At ſi, "qui decumbit, ſentitque in "dies vires fatiscere, atque vna "illius domeſtici, non vlterius "differendum eſſe proclamant, "habet hoc medicorum genus "paratas ac velut in numerato "rationes & argumenta, quibus "talem operandi modum tuea-"tur. Primo quidem percele-"bre dictum illud Fabii obtru-"dunt: *medicos & imperatores* "*plus interdum quiete, quam a-*"*gendo & mouendo, proficere*: a-"iunt tempus, vt morbos facit, "ita & ſoluere; non eſſe tam fa-"cile coniecturis aſſequi, quid "intus moliatur natura; eam ſo-"lam morborum medicatricem "eſſe, cui repugnare velle, nil "aliud ſit, quam, more gigan-"tum, pugnare cum diis.

* (i) Allegant: (1) primarum viarum cruditates ſufficienter digeſtas; (2) coctione aut orgasmo apparente euacuatas; & (3) ſanguinem per ſudores exeuntibus paroxysmis ſufficienter ventilatum; & (4) ſi natura huic rei ſuis motibus febrilibus ſufficere non videatur, qui optime materiam præparare ſoleant, præparatam ſufficienter; eandem per remedia præparantia: (α) amara, cortici valde ſimilia, (β) ſalina, (γ) abſorbentia, (δ) humectantia. Laudo præceptum de humectantium vſu, quod iſtis quidem viris doctis inde eruere placet, quia anima, medicus internus, ſapienter ſitiens, oſtendat cuiusnam rei ſit indigum corpus ipſius tutelæ commiſſum. Ego vero cum *Pechlino* P. 3. obſeru. 39. (quam inſcripſit: *ſitis vltimum ſupplicium*) ita cenſeo: "medicorum illorum ratio mihi ſem-

hunc finem dent laborum. Valde fallor, niſi in ipſa

"ſemper barbara viſa, qui miſe-
"ros, plus ſatis morbo aliisque
"ſymtomatibus diuexatos, ſem-
"per tamen a potu toties tam-
"que enixe flagitato abſtine-
"rent, & non ſolum animi mœ-
"rorem, qui cum hac paſſione
"inualescit, ſed & morbum,
"ſiccitate ſua humida prouo-
"cantem, in maius augerent,
"vt ne dicam, iniquum eſſe ne-
"gare, quod ne alii, & qui mi-
"ſeriis humanis magis mouen-
"tur, clam aut precario conce-
"dant, metuere iure poſſis. At
"vero, ſi artis regulis hoc nego-
"tium æſtimare fas eſt, annon
"vtique, quod practici ad ra-
"uim clamant, ſymptomati vr-
"genti ante omnia eſt occur-
"rendum, annon calori, annon
"ſiccitati, annon acrimoniæ,
"annon coagulo humorum, an-
"non triſtitiæ, quæ perpetua
"morborum comes, humoris
"diluuio ſubueniendum?" Sit tamen modus in rebus: ſit proportio inter pota & excreta. Iſta vero amara, ſalina, abſorbentia, cortice non magis innocua ſunt, &, ſi quid proſunt, ipſam etiam materiam, ipſos febriles motus & tonum mutant. Hinc indicatio (ς) præcipit, plenitudine ad primas vias prona, & apparente præparantium effectu, ſeu materiæ coctione, tentandam rurſum euacuationem ſufficientem per pharmaca apta euacuantia, quæ itidem & materiæ, & motibus naturæ, & ipſi adeo febri, magnam mutationem inducunt. Iſta omnia ſi ita fiant, & pro re nata iterentur præparationes atque euacuationes, fieri vix poſſe putant aliqui, quin materia febrilis omnis conſumatur, eiusque rei ſigna enarrant, quæ ſæpiſſime medicus & æger fruſtra ſub iſta methodo anhelant. (α) *Senſim*, aiunt, *decrescent paroxysmi*. Aſt, etiamſi dubia illa imminutio eueniat, ſæpe ingrauescunt rurſus, ſine certa lege. (β) *Redibunt*, inquiunt, *in ordinem functiones omnes extra acceſſionem*. Quis vero nescit, frequenter, in principio periculoſarum maxime & vehementiſſimarum febrium intermittentium, & in progreſſu chronicarum pertinaciorumque, vbi nemo motus ſine materie inanes incuſabit, vix aut parum

ipſa praxi præcipuum ſignum deſumitur ex *non ſatis*

rum functiones extra paroxysmum turbatas eſſe; haud raro vero etiam, quicquid præter corticem mediceris, magis magisque indies turbari, morbo vel continui, vel chronici cachectici, adſciscente typum? (γ) *Habitus*, dicunt, *corporis viuidior fiet.* Quod, ſi in ſubito periculoſis febribus expectare velis, mortem videbis prius; ſi in chronicis difficilioribus, aut diu expectabis, aut perpetuo. Interea (6) ad vrgentia ſymptomata ſubleuanda reſpiciendum concedunt, quod ſæpe vix concedit, ni febrim fuges. Iugulabunt ægros, vel intolerabilem in modum affligent varia ſymptomata vrgentia febri iuncta, etiamſi aliunde quam ab ipſa febre nata, ni vnum certe malum extinguas, quod extinguere potes, nempe febrem: quo facto alterum vel ſponte ceſſat, vel facilius medicatione tollitur, vel tolerari certe tantiſper poteſt: quæ omnia ſine febrifuga medela fruſtra ſæpe ſperari, tentari, expectari, experientes teſtor. Hæ indicationes omnes etſi obieruentur; nihilo tamen ſecius fieri poſſe perhibent, vt non deſinant paroxysmi, vel certe moleſtiæ febrim occultam indicantes. Tum vero tandem (7) nullam amplius materiam, nihilque ſupereſſe volunt, nihil partim debilitatem fibrarum, partim inanem ex diuturno cum febrili materia commercio conſuetudinem naturæ humanæ, ſeu animæ rationalis. Hæc eo quidem vsque, mirabili cum ſapientiæ perennitate, omnia prudenter, pro morali æſtimatione materiæ & corporis, mouiſſe exiſtimatur: tandem vero tunc demum, quemadmodum errare humanum eſt, & praua conſortia bonos mores corrumpunt, motus ſine ratione, & ſine fructu, immo cum noxa potius, continuare creditur, neque ſæpe facile ceſſatura videtur, niſi commoneſiat, ſeu compellatur a remediis tonicis, maxime Peruuiano cortice, qui, vti operandi modum doctrinæ compendiariæ cauſſa explicant, ſtringat tonum, vt deſinant motus, quos tunc ſiſti debere concedunt, monentque:

Clau-

ſatis iuuante natura, aliisque *remediis minus certis*,

Claudite iam riuos pueri! ſat prata biberunt.

Si febrem ſolam, eamque extra ſtatum epidemium, aut ſingulorum hominum, periculoſiorem aut difficiliorem, qui tamen haud rarus eſt, conſideres, methodum generalem ita præſcribere licet. Sed, proh, quam varia ſunt quæ ſpem fruſtrari poſſunt, ſi a febris conſideratione ad viſitationem hominum variorum febrientium, a regulis cathedræ ad experientiæ exceptiones descendamus! Mecum ſentire ſcio ipſos eruditos & experientes methodi eius magiſtros, quorum merita veneror, qui ipſi etiam exceptiones a regulis ſuis frequentiſſimas, ex naturæ erroribus hauſtas, prudenter paſſim ſuppeditant. Doleo eſſe doctos minus, aut minus expertos aſſeclas, qui nihil niſi primas regulas ſcholæ ſuæ crepent, & in populum ſpargant, tamquam nihil aut parum vaſtus artis ambitus habeat ab iis excipiendum, & nemini vltra progredi liceat. Sapienter dictum eſt a *Celſo*, quod in titulo libri ſcripſimus: "non ſatis eſt "*ipſas tantum febres* medicum "intueri, ſed etiam totius *cor*-"*poris habitum*, ſeu ſuperſunt "*vires*, ſeu deſunt, ſeu quidam "*mali affectus* interueniunt." Laudo ipſam methodum, quæ mihi, quamuis cum illa theoretica opinione non conuenire fatear, egregie tamen ſæpiſſime haud abſimiliter ſuccedit, vbi ei tuto inniti licet. Verum, ſi qua eſt periculum minitans, vel intoleranda, vel pertinax, paroxysmorum violentia; ſi nihil vtilitatis inde & a reliqua medicatione in corpus redundat; ſi functiones naturales, & habitus corporis vires-que, non obſtante methodica curatione, in deterius degenerant: quæ omnia, pro febris & corporis indole, ("nec ar-"tis, neque artificum culpa, "ſed propter febris ſæuitiem, "monſtri multiformis, quod "ratiocinia noſtra perſæpe "eludit." *Ramazzin.* opp. p. 52.) facile fieri, expertum quemlibet teſtor: tunc profecto - - *præſtat componere fluctus*, ac nolim equidem, & nolint ipſi illi doctores, febrifugæ medelæ vnice certæ vſum iſtis cancellis includi, & ſecurum & vtile medi-

tis, (k) & *euacuationibus*, quæ, etiamſi vtiles ſint, quia febris

medicamentum morbo inſecuro vel inutili, roborans debilitanti, craſin & tonum partium corporis conſeruans diſſoluenti & deſtruenti, medicamentum, quod nihil moleſtiæ, niſi ſapore, creat, morbo moleſtiſſimo, id eſt, dei beneficium ſupplicio poſtponi.

(k) Iſta doctorum quorumdam opinione imbuti indoctiores aliqui nescio quid non prius tentandum ſibi ſumunt, acceſſuri tandem ad ſacram hanc anchoram, velut ad ferrum & ignem, tunc demum, ſi incerta tentamina omnia votis non reſpondeant, quaſi vero huc ſpectet illud:

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum.

Sunt ægri & medentes, qui tutiſſimi huius remedii tergiverſatione ita ſibi illudi patiuntur, vt ignem ipſum potius ſcientes vel ignari intra corpus admittant: pharmaca dico non ſolum emetica, cathartica, & alia, igne fere violentiora; ſed & ipſa venena ignea, & præcipue arſenicum, de quo iam ſupra p. 41. ſq. diximus, quod facile tegi poteſt, quodque ideo commendat *Friccius* de venen. virtute medic. cap. 38. ſqq. quia ignea vi putredini reſiſtat, & quod corticis calumniatores ipſos deuoraſſe, vel deuorari toleraſſe, inſcios noui, quum febris ceteris tentaminibus cedere nollet, & cortex non admitteretur. Euge, quam tuto natant ſine cortice homines, qui neque natare, neque litteras didicerunt! Addi merentur his, quæ ſupra de temeraria arſenici propinatione notauimus, *Riedlin.* lin. med. a. 5. p. 11. 73. *Annal. Vratislau.* tent. 18. p. 360. ſqq. *Eph. N. C. nouiſſ.* vol. 2. p. 25. & *Sleuogtii* propemt. inaugur. de permiſſione prohibitorum, & prohibitione permiſſorum, ad diſſert. *Krauſii* & *Bayeri* de capillis a. 1700. ſcriptum, vbi modeſta pharmaci eius excuſatio legitur, & laudatur experientia innoxia in L perſonis. Non in dubium vocem talia, a viro doctiſſimo candidiſſimoque narrata. Scio etiam, nullum eſſe venenum adeo exitiabile, quod minutiſſima aliqua doſi non poſſit eſſe innocuum.

arſenicum ἀηξιπυρετον.

At-

febris vel reperit ſæpe plenum euacuandis humoribus corpus, vel ipſa ſuo inquinamento, ſuis motibus, eliminandam humorum copiam ingenerat; attamen ſpecificæ plane eſſe, & materiam ipſam, ſeu cauſſam febris continentem, ſemper attingere dici non poſſunt. (1) Vident enim, (& quis vel inuitus non videat?) frequentem morbi pertinaciam & aduerſus medelas ceteras, & aduerſus illam per plurimos paroxyſmos a natura inſtitutam criſin particularem per ſudores, quos, licet ſæpe bonos, quando

Attamen & regula noſtra ſecunda, & illa diſputatio quam ſuperiori paragrapho de doſeos remediorum ληξιπυρετων augmento inſtituimus, proportionem merito requirit, quæ varia eſſe poteſt, inter vim medicamenti & morbi penitus debellandi, niſi noxas pediſſequas ex ipſo morbi ingenio euenire velis. Atque adeo, quum fieri nequeat, vt difficiliores grauioresque febres, in quouis corpore, eadem minuta arſenici doſis plane expugnet, immo vel infringat, & pharmacum illud vnius aut paucorum granorum facto augmento, nescio an & repetitione, occidere poſſit; proportio ſane ad febrim quamcunque non niſi per periculoſiſſima experimenta in praxi ſingulari reperiri poſſe videtur: quæ qui inſtituere ſuſtinebit,

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erit.

(1) *Celſi* monitum eſt L. 3. c. 1. "Oportet, vbi aliquid non re"ſpondit, non tanti putare auc"rem, quanti ægrum, & experiri "aliud atque aliud: ſic tamen, "vt in acutis morbis cito mute"tur, quod nihil prodeſt." Agimus præcipue hac ſcriptione de febribus intermittentibus ex acuta periodo, ſoporem lethæum, aut aliud periculum ſubitaneum minantibus, quas nos frequenter vidimus, & timere morbum male fidum didicimus, vbi medelis omnibus minus certis fidere, & conſumtionem atque euacuationem materiæ diu expectare, aut moliri, periculoſum eſt.

facilis deſcenſus Auerni;
Sed reuocare gradum ſuperas-
que emergere ad auras.
Hoc opus, hic labor eſt.

- - - *per ignem*
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor; (m) tamen ad penitus conſumendam materiam ſæpe maximopere infidos eſſe, ſupra demonſtrauimus, (n) & experientia omnium ſæculorum demonſtrat. (o) Quicquid vero id eſt, quod cedere detrectat, ſeu ipſa materia febriculoſa ſit, quæ obſeruatorum illorum ſenſus, & præmiſſas methodos, ſubtilitate ſua, & abdita profunditate, facile eludere poteſt, (p) ſeu ſit motus ex naturæ errantis conſuetudine inanis; (q) accedunt tandem ad medelam vnice certam, cuius vſum alii candide fatentur, alii ſagaciter diſſimulant. "Adeo redeunt ad corticem, qui eum

(m) *Virgilius.*
(n) v. ſect. 4. §. 2.
(o) *Hippocrates* aphor. l. 4. 56. "Febricitanti ſi ſudor contin-"gat, non deficiente febre, ma-"lum. Prorogatur enim mor-"bus, & humorum multitudo "ſignificatur:" nempe humorum corporis, per febrilem materiam, quæ exigua eſt, perque ipſos motus, corruptorum. Hi vero per eiusmodi ſudores partim excernuntur ſæpe, partim ſe, cum ipſa febrili materie, cui pabulum præbent, magis magisque in corpore abſcondunt, & maiorem etiam atque etiam corruptelam ſuſcipere, & inducere, & alias atque alias corporis partes in ſuæ labis conſortium rapere, apti ſunt.
(p) Celeb. *Alberti*, discipulus *Stahlii* ex eruditiſſimis, de febrifugorum cauto vſu §. 7. "quis, ait, adeo intime pene-"tralia naiuræ rimari poterit, "qui certiſſime ſcire valeat, ni-"hil ei ſupereſſe remouendum, "quod, vt vt leue & exiguum, "data in poſterum occaſio-"ne, denuo vitalitatem lædere "queat.
(q) *Brunner.* de gland. duod. p. 88. ſqq. "Arcanas chemicorum "operationes ne ingenioſiſſi-"mus quidem aſſequetur, niſi "erudiatur ab ipſo artifice, aut "in intimiora laboratorii ad-"miſſus ex inſtrumentis aliis-"que veſtigiis coniectando aſſe-"quatur id, quod machinatur "artifex: quanto magis nos a "ſubtilitatibus naturæ aberra-"turos exiſtimamus, qui in "operibus eius caligamus, in "plerisque plane cœcutimus!

"eum reddunt alias ſuſpectum." (r) Tum vero recte & ſapienter eodem, quo ceteri, incedunt tramite, & ſufficientes repetitasque præbitiones miniſtrant, pro motuum pertinacia & ad reditum niſu: niſi, quod indocti aliqui doctorum ſectatores faciunt, fruſtra mederi, &, multos morbos ſuccedaneos aut recidiuos expectando, inſontem corticem iterum iterumque ex propria experientia, ſed & ex propria culpa, ſuſpectum reddere velint. Quæ cum ita ſint, vti ſunt profecto, quotus iam quisque ex medicis in grauiorum febrium curatione verſatis hodie eſt, qui *re ipſa & in rei cardine* diſſentiat, vel diſſenſum verum, *practicum*, *ſolidum*, & *ſibi conſtantem*, tueri queat? Scilicet, quo frequentior aut rarior medentibus occurrit febrium metuendarum & difficiliorum, morborumque febrilium agnoſcendorum curandorum-

conſequentia dictorum.

(r) Sunt verba expertiſſimi Eliæ *Camerarii* ſyſtem. cautel. medic. p. 494. * Alia adhuc eſſe dicitur, eaque itidem in conſuetudine naturæ fundata, excuſatio quorundam, qui, quod ſuſpectum reddere amant remedium, ipſi non euitare deprehenduntur. Dum cortex hodie familiariſſimus eſt, & ſtatus epidemius homines ſæpe cuiusque ſortis, & eos, qui febre nunquam laborarunt, & qui olim ab ea per corticem, aut ſine hoc, curati ſunt, magis aut minus grauiter, pro rerum circumſtantium ratione, afficere ſolet; facile fit, vt cenſoribus eius remedii curandus obueniat æger, qui quandoque febre aliqua laborauerit, cui, quocunque modo, cortex oppoſitus fuerit, vel fuiſſe coniiciatur. Tunc, ſi, qualibet de cauſſa, voti difficulter, compotes fieri ſe ſentiunt, accuſant chinam olim iam adhibitam, & naturam ei adſuetam cauſſantur, quare cogantur vel inuiti id pharmacum denuo miniſtrare, quod auerſentur, proteſtatione facto contraria. Opinio illa, ſi cui vere hæret, quam erronea ſit, vel ex adductis obſeruationibus, & repetitis cum cortice & ſine eo experimentis, patet, quod vberius demonſtratu expeditiſſimum eſt.

** excuſatio ex adſuetudine corticis.*

dorumque occaſio; quo maior eſt aut minor morbi ac ſymptomatum formido; quo maior minorue eſt miſcela opinionum & dubitationum cum certa experientia; quo maior denique aut minor eſt a cenſoribus male ſciolis metus, vel cenſurarum generoſus contemtus intra rectæ conſcientiæ murum aheneum; eo etiam magis manifeſte aut occulte, copioſe aut parce, frequenter aut raro, mature aut ſero, hoc ipſo medicamine vtuntur medici, qui omnes eius vſum opportunum & adæquatum ſecuriſſimum eſſe & ſaluberrimum agnoſcunt, vel praxi probant, diſſentire forſan ignaris, immo ſibi interdum ipſis, ob theoricam diſſenſionem, viſi, dum reapſe practice conſentiunt. Prouoco ad propriam ſcientis cuiusuis, & ſatis experti, & attenti medici conſcientiam. (s)

§. V.

(s) Hos omnes, qui ita cortice magis aut minus cito, frequenter, copioſe; aut tarde, raro, parce, vti dicuntur, quamuis diſſentire putentur, & hic illic ſingulariter diſcrepent, pro conſentientibus merito habeo. Quando enim cunque rationalis eſſe videtur a febris impetu metus, tunc confugiunt ad remedium, eumque eius vſum, quem adæquatum conſilio reputant. Teſtor cuiusuis conſcientiam, qui expertus ſatis eſt, &

Cui e meliore luto finxit præcordia Titan,

annon mecum penitus ita ſentiat, vti cl. *Tortus* therap. ſpecial. p. 274. dicit: "Mihi ſane "non alia menſura eſt, niſi me- "tus meus," (a morbo, quem iſthoc remedio ſanabilem ſperare licet, eiusque ſymptomatibus) "modo maior, modo "minor, modo nullus, tam "pro determinatione exhibendi "corticem, vel non exhibendi, "quam pro electione modi, me- "thodiue illum modo citius, "modo tardius; modo lentius, "modo celerius; modo cre- "brius, modo rarius; modo par- "cius, modo plenius offerendi:

§. V.

Sunt tamen viri docti & cordati, qui, vbi reperiunt, aut legunt, aut aliunde hauriunt, corticem (haud satis opportune, efficaciter, sufficienter exhibitum, vel haud iusto tempore repetitum, vel nimis officiose inutili copia continuatum, vel aliarum caussarum accessione a consueta vtilitate impeditum,) effectus minus certos, felices, aut constantes insequi, de ipsa remedii virtute iniquius suspicari, & inter fiduciam & metum fluctuare (a) solent: *De aliquorum dissensione vera, & haesitatione, spes melior.*

Dd præ-

"di: quibus omnibus pro re "nata vtor arbitrio meo, sinens, "vt & alii vtantur suo." *Terentianum* illud huc quadrat: "mihi sic est vsus; tibi *vt opus* "*est facto*, face.

*(a) Hos inter fuisse aliquando videtur *Ramazzinus*, quum circa annum 1694. constitutiones epidemicas Mutinenses scriberet: vbi modo noxium, modo saluberrimum, sibi repertum narrat corticem, quem non nisi initio paroxysmi ad drachmam vnam vel duas, semel fere tantum, exhibere tunc didicerat. Mutauit deinde firmauitque, sententiam, & ab eo tempore ad mortem fere vsque, editis libellis plurimis, laudes huius remedii constanter immensum quantum extulit: "qostqum," vti a. 1702. p. 53. scripsit, "non semel tantum, vt "olim, sed plures ad dies exhi- "beri coeptum est, donec febri- "le miasma fuerit penitus exan- "tlatum: & adhuc a. 1711. p. 799. mire dilaudauit. Scripta vero paucis ante mortem mensibus ann. 1714. epistola, de abusu chinæ chinæ, ad fratris filium, quem nepotem suum vocat, Mutinæ medicinam facientem, relabi ad pristinam methodum schedulæ Romanæ, eamque satis castratam, & denuo hæsitare videtur: vti sunt senes aliqui, vetustissima quæque reminiscentes, dum recentiorum visorum factorumque obliuiscuntur. Quisquis cl. *Torti*, medici Mutinensis primarii, responsiones iatrapologeticas legerit, & cum therapeutica speciali contulerit, quas mihi nuper demum, scripto iam hoc opusculo, nancisci contigit, eum

**Ramazzini haesitatio.*

præſertim, quum quorumdam medicorum ſcholæ hæſitationi

eum nihil morabitur iſta epiſtola. Excerptiones ex hac exſtant in diario Halenſi, quondam ſub nouæ bibliothecæ nomine edito, vbi operum magni illius viri, *Ramazzini*, recenſione propoſita, non niſi vnum illud, profecto non digniſſimum, ſchediasma, tamquam ſpecimen aliquod, ſeligitur, & curioſe recenſetur, vt facile in lectoribus non expertis, quique cetera tanti medici ſcripta, plane aliud vberrime præ ſe ferentia, non legerint, nominis tamen merita claritate fuerint occupati, ex vernaculis iſtis excerptis, opinionum ambiguitas augeri potuerit: dum maxime eiusmodi diaria plurium curioſorum, etiam non medicorum, oculis luſtrari ſolent. Multi vix crediderunt, fœtum eſſe tanti viri epiſtolam illam, quam, octogenario maior, optimus ſenex, mira cum opinandi ambiguitate, ſcripſit, ſuis ipſe, per plures annos, immo adhuc vix biennio ante, propalatis, & erudite ſtabilitis, non ſententiis ſolum, ſed & obſeruationibus contradicens; ſeu labante tandem memoria, ſeu nubes offundente neſcio quo animi affectu, dum ægros inuiſendi & nouam experientiam acquirendi ſenilis corporis vitio tunc vix potens fuit. Nempe interceſſerat acris disceptatio de adhibendo, vel non adhibendo cortice, in morbo aliquo fere deſperato, inter cl. *Ramazzinum* iuniorem, qui dare omiſerat, & erraſſe nolebat, ac cl. *Tortum* accitum, & qui cunctationem in hoc & alio quodam caſu infeliciter cedente improbabat, & exprobrabat in diſputationis feruore. Hanc diſputationem, hunc caſum, vbi *Torniana* methodus altero contra nitente ægrum ſeruauit, in therap. ſpecial. p. 214 - 218. vbertim recenſuit, non nominato quidem medico, ſed vt non dubitem, quin multi nomen facile diuinarint. "Quid hoc rei eſt vnquam, inquit *Ramazzinus* de vitæ ſobriæ commodis opp. p. 855. "quod aui vehementius ſuos "nepotes diligant ac foueant, "quam parentes ipſi, eoque ma"gis, quo ætate ſunt prouectiores?" Editus erat cl. *Torti*

liber

tioni faueant. Et ego ita olim interdum dubius hæsi, antequam experientia & obseruationum solidiorum lectione

liber a. 1712. remediique innocentiam ac dosin maiorem & repetitam stabiliuerat. Scripta est haud multo post ambigua illa epistola, qua censuræ abusus immodicæ cum laudibus vsus, nescio an itidem immodicis, per cetera viri opera sparsis, ita commiscentur, methodusque ita incerta præscribitur, vt quid tandem statuendum sit non pateat; pateat vero in viri auctoritate refugium his, qui omittunt corticem vbi omittendus non fuisse aliis videatur, ab aliis vsurpatum criminari pro lubitu amant, dum ipsi pro lubitu adhibent; pateat vero etiam præcipue fauor in nepotem maximus, in eum vero virum inclitum, qui cum illo disceptauerat, iam quidem minimus, quamquam antea magni æstimatum, magnisque mactatum elogiis: vt hic per latus remedii, erudito opere operose defensi, confodiendus fuisse videatur. v. *Torti* responsiones iatropologeticas. Plura, eheu, eiusmodi impedimenta artis medicæ vnanimi consensu stabilindæ, & ab ambiguitate liberandæ, ex dissensionibus doctorum priuatis nasci, & propagari, in propatulo est. Certe multorum iudicio non respondet hic ceteris viri laboribus, teste diario litteratorum Italico T. 20. p. 446. & ipso illo cl. *Ramazzino* iuniore in præfatione ad opp. patrui p. 52. sqq. vbi ad *Torti* argumenta nimium solida nihil regerit, nisi quod infrugifera dicat, non probet, dum ipse, vt arbitror, laudabili transitu in consensum raptus est: suspicionem vero a se amoliri satagit, quasi ipse ad eum libellum scribendum instigauerit, vt remedium illud, & medici genuini lacesserentur. Censuram solum ibi incurrere profitetur, "qui chinam in ea vrbe crepent,

"*pharmacopolas*,
"*Mendicos*, *mimas*, *balatrones*,
"*hoc genus omne*,

"& medicos forenses hisque in "vrbe similes." Incurrant ergo censuram, qui merentur: maneat recto medicinæ vsui, regulisque experientia finitis, sua æstimatio!

vberiori munitus ſum, & hæſerunt me doctiores. (b) lam

Geuderi experientia de cortice.

(b) *Geuderus*, phyſicus quondam Stutgardienſis peritiſſimus, apud *Lentilium* miſcell. medic. pract. T. 2. p. 246. exponit hæſitationem ſuam, & hæſitationis cauſſas: nempe præceptorum nonnullorum mutorum auctoritatem, quorumdam practicorum infelicitatem, & querelas ægrotantium nonnullorum remedium hoc formidantium, ac mala familiaribus ſuis inde, vt opinari a quouis remedio facile eſt, enata narrantium. Viciſſe tandem, ait, curioſitatem, quum nullum ſit magis laudatum ac commendatum medicamentum febrifugum, viciſſe aliorum ægrotantium preces, febrium citiorem curationem expoſcentium, quum & pertinaces & mali moris febres Stutgardiæ dudum fere endemiæ fuerint. Tandem addit: "febri"fugum hoc in vſum ducere "cœpi, & etiamnum frequen"ter præſcribo, non ſine ex"optatiſſimo ſucceſſu." Notat vero (1) longe minorem doſin Stutgardiæ ſufficere, quam alibi *Sydenhamio*, *Jones*, aliisque, multas vncias præbentibus neceſſaria viſa ſit: (2) doſin refractam, ſed per vices repetitam, incipiendo a declinatione, & per intermiſſionem continuando, exhibitam, melius & tutius operari: vbi tamen *Lentilius* monet, in ipſo etiam paroxysmo iugiter & audacter continuandum: (3) effectum feliciorem eſſe a dato remedio in ſubſtantia, quam in præparatione quacunque: (4) ſymptomata febri iuncta, vel eius ſolutionem excipientia, vſum & continuationem medicamenti non ſemper impedire, ſed & febrem & ſymptomata eo ſæpe abigi, exemplis adductis de colica, arthritide vaga, cachexia, reſpiratione difficili, ſcabie retro pulſa: (5) continuatione ad aliquod tempus opus eſſe, ne febris redeat: (6) recidiuam non deberi remedio, ſed vel citæ huius intermiſſioni, vel nouiter obortæ aeris inclementiæ, vel repetitis diætæ erroribus, vel teneræ nimis corporis conſtitutioni: (7) neque poſt huius ſolum, ſed & poſt aliorum remediorum vſum, ex iisdem cauſſis contingere: (8) cor-

Iam vero certiora dudum edocti, & abunde experti, facile nobis ægrisque noſtris ab aberratione, & imperfecta curatione, & reuerſionibus cauemus, dummodo *opportunitatem* rite aucupemur, & a *continuatione* adæquata & *repetitione* iuſta non impediamur, aut deſiſtamus, alias nihilominus hallucinationi obnoxii futuri, ſine culpa remedii. Qui autem ex eruditis adhuc ita bona fide erroneam opinionem fouent, vel ambigui hærent, eos a ſuſpicione omni & dubitatione deſituros perſuaſum habeo, vbi ad veras euentuum cauſſas, & obſeruationum ſincerarum fidem, & fundatas in iis regulas, conſtanter attendere, & rem ad candidæ experientiæ lapidem Lydium explorare placuerit. Immo, ſi qui adhuc aut amore hypotheſeos, qua nihil magis fallax eſt, aut odio metuue (c) remedii, noui- *fundamenta diſſenſus.*

corticem ſæpe nullam euacuationem, ſæpe ſudorem copioſum, aut vrinam elicere: (9) nec puerilem nec ſenilem ætatem vſui obicem ponere: (10) primis doſibus refractis febres tum iam vehementes, tum antea lenes, & interdum ſola laſſitudine, oſcitatione, pandiculatione, artuum tenſione, ſimilibusque, moleſtas, ſæpius euadere valde vehementes, (*quod ignaros, inexpertos, male timidos, abſterret*) & quoad omnia ſymptomata intendi: hoc autem facto vt plurimum breui poſt ſedari, quod ab aliis etiam remediis, ſalinis præſertim & amaris, ſæpe obſeruare licet, quamuis haud ita certo de his, quam de cortice, prædici melior euentus queat.

(c) *Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cœcis*

In tenebris metuunt; ſic nos in luce timemus

Interdum, nihilo quæ ſunt metuenda magis, quam

Quæ pueri in tenebris pauitant fugiuntque futura. Lucretius.

tate rei imputata, (d) cenſorum terriculis, (e) doctorum quorumdam diſſimulatione, vel credita diſſenſione, quæ aut nulla eſt, aut inconſtans, aut certe ſoliditate caret, experientia manca, curatione illegitima, euentibus diuerſa culpa ambiguis, & incertarum medelarum lubrica felicitate, tamquam totidem obſcuris velis impediuntur, quo minus diſtincte iam intueantur, quod ſol videt; & ſi qui ſunt, qui ex faciliorum febrium felici per *alia* remedia curatione, generalem ſibi perſuaſerunt generoſioris, ſed nauſeoſi, & cenſuris obuii præſidii inutilitatem; vel ſi qua denique alia cauſſa (f) alios a veritatis agnitione auerſos

(d) Carpebat cenſor quidam nouitatem exhibiti in principio febrium intermitenttium malignarum eius remedii. Regerebat *Lanciſius* de nox. palud. effluu. p. 308. "Temere obiicit nouitatem, nulla ſcriptorum "auctoritate ſuffultam, propi- "nandæ chinæ ſub initium: nam "ſemper noua erunt remedia, "etſi vetera, apud parum peri- "tos medicos, qui recens autu- "mare ſolent, quod ipſi non "vſurpauerint.

(e) "Leguntur ſat acres in cor- "ticem inuectiuæ nonnullorum: "inter quos quosdam medicos "eruditos referendos eſſe, fere "miratus fuiſſem, niſi, *nimium* "ipſis *ſuſpectum* medicamentum, "*vel propterea* aut *rarius*, aut "*plane non* in *vſum* duxiſſe, mihi "ipſi perſuaſiſſem, vnde & de "eodem, præconcepta opinio- "ne occœcati, *iudicium minus* "*fauens* tulerunt. Ex illo ſane "tempore, ex quo iterum caput "inter medicamenta febrifuga ",extulit, tot eiusdem feliciter "in uſum ducti a pluribus fide "digniſſimis viris enarrantur "hiſtoriæ, vt ego quidem iisdem "omnibus me opponere vix "auderem, propria in primis "experientia me ſemper magis "confirmante." Sunt verba experientiſſimi *Riedlini* lin. medic. a 5. p. 1072. ſq.

(f) Haud immerito forſan interdum, qui cortice Peruuiano vtuntur, querulas chemicorum voces apud *Borrich.* præf. medic. Hermet. imitentur: "etiam ab eruditis (nam

ſos tenet; prouoco ab illis ipſis iudicibus male informatis ad ipſos melius informandos. Tempore enim propediem venturo palpabilis experientiæ manibus velum a peritorum omnium, certe a medicorum oculis, remotum iri non dubito, vt vſum opportunum & adæquatum eius remedii innocuum eſſe, & neceſſarium agnoſcant, & ipſi ſectentur: (g) niſi forte paullo diutius remaneant pauci, qui omnium rite ſatisque expertorum fidei, & ſucceſſuum euidentiæ, quaſi in bilance opponant opiniones, dogmata, & cenſuras vnius forte aut alterius magiſtri, tanquam Catonis alicuius cenſoris, qui falli vix potuiſſe videatur, ſibique ambigui dicant:

Victrix cauſſa diis placuit; ſed victa Catoni. (h)

§. VI.

"vulgi diſſonas voces Spartana "concoquimus nobilitate) vel- "licamur, *ſed ab iis*, qui turbidis "animi motibus indulgentes, "eruditione ſua abutuntur, & "fecunditatem ingenii iam iræ "ſeruire cogunt, iam amicitæ.

Sic hominum genus eſt! quamuis doctrina politos
Conſtituat pariter quosdam; tamen illa relinquit
Naturæ cuiusque animæ veſtigia prima,
Nec radicitus euelli mala poſſe putandum eſt.
Lucretius.

(g) Incidit in mentem elegans poetæ Galli *la Fontaine* effatum in poemate vernaculo de quinquina, opp. T. I. p. 228. ſqq. vbi, ex mente medicorum principum, primo naturam & pericula febrium, & veteris ſcholæ medicæ penuriam, deinde corticis felicem virtutem, graphice depingit, tunc vero, "*quidam*, inquit, adhuc "ſcholæ partibus, ſuisque opi- "nionibus, quaſi alicui religio- "nis articulo, adhærent: ſed "& *hi ipſi* ad eius remedii vſum "deuenient. Pauci, fateor, ſu- "per ſunt, ad quos hæc dicta "attinent; ſed & paucos hos "eſſe nimium eſt. *Ce peu c' eſt encor trop.*"

(h) *Lucanus.*

§. VI.

Dissensus & hæsitatio non medicorum.

Eorum eruditorum & sapientum ignorationi & aberrationi, quorum non interest, ut medicas veritates sollicite inquirant, & agnoscant, facile ignoscimus, modo ne sibi ipsi aut aliis ægrotis noceant. Etenim tum in arte & scientia quauis, tum maxime in medicina, de qua nemo non aliquid scire se putat, fieri solet, vt si quis perfunctorie quicquam de eius principiis aut praxi legit, vel audivit, vel imperfecte expertus est, occupetur ita intellectus probe alioqui sapiens, vt, deficiente penitiori peritia, & præpollente propriæ scientiæ facili persuasione, non possit non perperam sæpe iudicare. At haud immerito prudentes omnes cupimus rogatos: meminerint, (a) artem medicam non παρεργως & ὡς εν παροδω perdiscì posse, neque eius peritiam absolui lectis forte animi caussa, vel auditis hinc inde, quorumdam medicorum placitis, (b) neque perfici experientiam visis vel auditis passim experimentis, quæ valde lubrica sunt, & morborum *euentibus*, quos cum medelarum *effectibus* male confundere perfacile est (c): iudicium itaque suum in

(a) *Hippocr.* I. aphor. 1. "Ars "longa, opportunitas præceps, "experientia lubrica, iudicium "difficile.

**Fallacia non caussa vt caussa.*

(b) *Baglinus* prax. med. L. I. c. 7. §. 1. "Antequam integros fru- "ctus ex libris percipiamus, diu "vigilandum nobis est in dete- "gendis, superandisque errori- "bus, quibus obnoxii solent esse "scribentes, quibusque mentem „nostram inficiunt, & a verita- "tis semita summopere remo- "uent.

*(c) Viderunt aliqui, vel audiuerunt, immo vel in proprio corpore senserunt, euentus febrium *ex quacunque caussa* minus felices, aut, quod frequentissimum est, minus a reuersione immunes, vel quibuscunque molestiis succedaneis expositos. Medicamenti nomen,

in arte non ſua, & vbi iudicium recte ferre perquam diffi-

men, non eius, neque febrium indolem & hiſtoriam medicam, neque veras euentuum cauſſas, norunt; illud vero meminerunt aſſumtum; & audiunt aut legunt obtrectatorum vaniloquia, aut neſcio quæ theoremata; & feliciores, qui medelæ eidem ſoli & certo debentur, effectus manifeſtos, quique medicinam frequenter facientibus obtingunt innumerabiles, maxima ex parte non comperiunt, ipſi medicinam non facientes; partim præputata illa ſcientia & experientia propria non agnoscunt. Hos autem rite cogitare, & huc prudenter in arte aliena iudicanda applicare percuperem, quæ ſcite *Gabelchouerus* obſeru. cent. 6. 78. monet: "non ſa-"tis eſt, vt re aliqua *præſente* "quippiam fiat, ad hoc, vt *ab* "*ea* re factum credi debeat. "Non enim quod præcedit, aut "adeſt, *cauſſa* ſemper eſt eius, "quod *fit*, aut *ſequitur*. Quare "non ſatis eſt ſcire, eamdem "cauſſam aliquam præſentem "fuiſſe; ſed nullam præterea "adfuiſſe oportet, vt veram "cauſſam effectus ille referre "potuerit.„ Feſtiuum exemplum eiusmodi erronei iudicii, quod logici *fallaciam non cauſſæ vt cauſſæ* vocant, narrare liceat. Medicus inſignis iam defunctus, obſeruauerat multos ægros tunc, quando expectatione prudenti maxime curandi eſſe videbantur, putare ſe a medente negligi, aut non rite ſecum agi, niſi medicamenta aſſidue darentur. Itaque, vt innocua ſimulatione querelas inutiles auerteret, pilulas ex mica panis ſola formabat, quas, auri folio obductas, aureas, Gold-Pillen, vocare, & tum, quum nihil dare mens erat, exhibere ſolebat, ne nihil agere videretur. At, proh, quam mira hominum, etiam doctiorum & prudentum, iudicia experiri licuit! Alii, ſi quid ſponte boni euenit, morbo, aut paroxysmo, aus ſymptomate ceſſante, o, prædicarunt, quam egregie iſtæ mihi ceſſerunt pilulæ! Febrem fugarunt, leniuerunt æſtum, dolorem, tuſſim, vomitum, diarrhœam, placidum induxerunt ſomnum, appetitum excitarunt, obſtru-

obſeru. partic. 33.

difficile eſt, adeoque in re ſibi profecto non ſatis perſpecta,

ctionem ſoluerunt, promouerunt blandum ſudorem, & me totum alium ab eius medicinæ vſu factum ſentio. Hanc, hanc omnibus ſimiliter ægrotantibus commendabo. Alii ex aduerſo, immo interdum iidem poſtea ipſi, ſi quos vel morbi indoles, vel diætæ error, vel nescio quæ alia cauſſa, hac vel illa deinceps moleſtia afflixit: ah, proclamarunt, me miſerum, qui maledictum illud pharmacum, aut nimiam forte eius doſin, aſſumſi! quam iſtæ me pilulæ, aureæ dictæ, exercuerunt! Wie haben mich die Gold-Pillen angegriffen! Frigus, æſtus, dolores, vigiliæ, anxietates, tuſſes, diarrhœæ, obſtructiones, & nescio quid non mali, aliquando poſtea eueniens, in iſtas vnicas conjecta ſunt; moniti etiam propinqui & amici, ne periculoſam illam & infidam medicinam intra corpus admitterent, vtque a nimio certe vſu ſibi cauerent. Quod circa rem nullius efficaciæ contigit, id quotidie comperit, quisquis medicinam facit, circa artis præſidia, quæ efficaciora ſunt, aut reputantur: quibus vſurpatis omnes & boni & mali euentus imputari ſolent, a longe diuerſis cauſſis pendentes.

O quantum mortalia pectora cœcæ
Noctis habent! felix rerum cognoſcere cauſſas
Qui potuit.

Sæpe e contrario verarum cauſſarum efficacia non pro merito accuſatur, dum ignorant medicinæ imperiti, quid ſumſerint remedii, quæ morbi ſit indoles, vel quæ quantæque vtriusque vires. cl. *Tortus* therap. ſpecial. p. 175. egregie profatur: "cortici Peruuiano fe-"re vni in tota medicina datum "eſt priuilegium hocce, vt me-"dicus ante oblationem poſſit "ſpondere ſubitam certamque, "ſaltim moraliter, ſalutem, &, "reſtituto ægro, poſſit intra ſe "modeſte gloriari, exſultare, & "ſibimet ipſi dicere: *hunc ho-"minem certo pereuntem hoc vno "remedio vere ſeruaui.* Sed hoc „quod probe dignoscitur a me-"dicis, minime dignoscitur ab "ægrotis, adeoque illis minus "conſpicua redditur ſingularis "excellentia remedii, medicique „illud apte & opportune præſcri-

ĉta, æquiter & prudenter ſuſpendant, (d) vel ſibi ſeruent, ſi placet. Caueant vero, ne ægris vanum & nociuum incutiant terrorem, vel peruerſam ſuſpicionem iniiciant, eoque alios ſententiæ ſuæ præmaturæ auctoritate permoueant, vt, ſepoſito clanculum, quod medicus forte in præcipiti opportunitate neceſſarium reputauit, remedio, vel ab eodem infeliciter abhorrentes, male aut imperfecte curentur, & non reuerſionibus ſolum, verum etiam periculis, immo interdum morti ipſi maneant expoſiti, (e) non remedii culpa, quod forte deinde accuſatur, ſed morbi & ipſarum cenſurarum, & formidinum, ob quas curatio non perficitur: quod viri probi & prudentes cauebunt moniti (f). Indoctiorum & inſipientum pſeudodoxias epidemicas ſecure ſpernimus,

"ſcribentis induſtria. Et quo-
"niam in aliis caſibus laudatur
"a ſanato ægrotante medicus,
"cum illius ſaluti nil fere præ-
"ſtitit, haud ægre ferat, ſi ali-
"quando non laudatur, cum
"præſtitit plurimum.

(d) "Tantumne eſt a re tua
"otii, aliena vt cures? *Terentius.*

(e) *Tachenius* præf. Hippocr. chem.
"Ægroto nihil calamitoſius
"accidere poteſt, quam medi-
"cinæ fundamentis ſubſtruere
"credulitatem, cogitationem,
"opinionem, incertitudinem,
"arenam, paludem, ſyrtem.

*(f) Monitus ita eſt, iamque caue-re dicitur vir, quem neque improbum, neque imprudentem reputandum puto, ſed ſuo vxorisque, medicinæ peritiam affectantis, ſenſu fuiſſe abundantem. Vocabatur medicus ad illum febre tertiana duplici vehementiori, cum hæmorrhoidum motibus anomalis, laborantem, corpore dudum exanthematibus ſcabioſis inquinato. Vocabatur vero, poſtquam vxor iam remediis laxantibus aluum methodo muliebri mouerat, & tunc, quum per ſtatum epidemium febres ſoporoſæ pernicioſæque aliæ inde in iſtiusmodi corporibus haud paucæ excitari ſolebant. Corticem non ſua-

* *obſerv. partic.* 34.

Rumoresque loquaculi popelli
Omnes vnius æſtimanus aſſis : (g)

modo ne ægrorum ſaluti inſipiens πολυπραγμοσυνη iudicandi & conſulendi officiat. (h) Si qui ſunt homines κακοπολυπραγμονες, illam αλλοτριεπισκοπιαν data opera exercentes, næ

ſuadere, ex indicationibus ſupra deductis, medico ſcienti & cordato non licebat. Obſtabat præiudicata contra remedium opinio. Perſuaſit tamen facta ſpes reſtituendæ fere intra triduum melioris valetudinis. Sumitur ſenſim neſcio quantum remedii, ob opiniones doſi ſatis refracta præſcripti, magis refracta dati. Redit, vt fieri ſolet, acceſſio, eaque ſatis grauis, forte etiam grauior. Tunc vero accuſatur & omittitur medicamentum, forſan iam proficiens, certe profuturum : ſubſtituuntur neſcio quæ potiones ab vxore miniſtratæ, & recuperata ſenſim per longos languores ſanitas his imputatur, cum varia criminatione medelæ prioris. Quotquot deinde per aliquod tempus febricitantes amicos habuerunt bonus vir, bona femella, eos hortati ſunt, ne corticem ad mitterent, aut nimium ſumerent : ſed irriſione meliora expertorum mulctati ſunt. Immo, quum aliquando virgo quædam ex cognatis, febre maligna, cum lienis inflammatione, tuſſi, & diarrhœa colliquante extingueretur, & per morbi decurſum frequenter in potu ſumſiſſet decoctum ex radicibus & herbis blande alexipharmacis & thoracicis, chinam in potione ſumtam ex falſa opinione dictarunt paſſim, eaque enectam eſſe ægram, quæ nunquam guſtauerat. Moniti tamen, vti dixi, probos ſe & prudentes gerere, ſuasque res agere, & medelas medicis relinquere perhibentur.

(g) Egregie *Reineſius* epiſt. 8. "quemadmodum nihil agen-
"dum eſt medico prudenti &
"cordato, quo famam aucupe-
"tur, & applauſum imperiti vul-
"gi; ita nihil, quod ad ſalutem
"ægri facturum eſſe agnoscit,
"de quo tamen ſiniſtre iudica-
"turum eſſe vulgum opinatur,
"omittendum eſt.

(h) *Seidel* de morbis incurabil. p. 112. "Ineptiæ quotidie excogi-

næ illi, quicquid etiam prætexant (i), ſummum vereri debent iudicem, (k) quando artem alienam ſalutarem iudiciis & conſiliis turbant ſuis, & inſalubrem faciunt, neque doctrina vera, (l) neque vera experientia ſuffulti, quamuis vtraque forte iactetur, (m) vt fieri a medicaſtris ſolet. (n)

"cogitantur plures. Interim "cauſſa morbi, nullo aduerſan-"te, libere dominatur, ſobolique "ſuæ, id eſt, morbo incremen-"ta dat, donec ægrum iugulet. "Quo tunc ſe proripit illa ſa-"pientia, quæ cenſorio conſilio "medicos procul faceſſere an-"tea iuſſerat?

(i) Eleganter *Carolus* apud *Lentilium* miscell. med. pract. T. 2. p. 609. de huiusmodi homine, "procaci, ait, inſtituto ne ſpe-"cioſa aliqua deficeret larua, "prolixum caritatis chriſtianæ "pallium eligis, quo munitus "velo tecta omnia tutaque cen-"ſes: cuius crebris micationi-"bus incitatus, breui quoque "reſarciendis tibialibus, cal-"ceisque reſuendis, operam "opemque tuam accommoda-"bis, ſpero.

(k) "Homicidii crimen eſt, in "hominis ſalute peccare." *Caſſiotor.* form. comit. archiatr.

(l) *Tulpius* obſeru. L. 4. 54. de noxa ex libris medicis, "impe-"ritia, ait, malus theſaurus, qua "imbutus videris capere, quæ "te capiunt, concipisque ex "male intellectis præiudicatam "opinionem, quæ vbi peperit "peruicaciam, actum eſt de ho-"mine imperito, quem deinceps "ne ingenioſiſſimus quidem "mortalium ab ſententia ſua fa-"cile dimoueat.

(m) "Nihil audacia doctius eſt, "nihil ignorantia audacius. *Hippocrates.*

(n) *Non enim ſunt arte homines hi*
diuini aut ſcientia;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentes-
que harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus
egeſtas imperat,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri
monſtrant viam.
Ennius.

§. VII.

Experientia experientiæ oppoſita.

Allegent vero experientiam medici, allegent non medici, licebit experientiſſimi *Bœcleri*, profeſſoris Argentinenſis, (a) reſponſionem noſtram facere: "allegata a "præiudicio occœcatis in contrarium experientia *ſuſpecta* "plane, immo *falſa* & *nulla*, apparet. Experientiam ex"perinentiæ oppono:" nempe, vti auctoris doctiſſimi mentem capio, aientem neganti; repetitam vix tentatæ; ſinceram præiudicatæ; veram apparenti; medicam non medicæ; diſtinctam tumultuariæ; integram mancæ (b); certam

(a) ad cynoſur. mat. med. P. I. p. 205. ſqq.

Experientia manca.

(b) Manca diuerſo modo eſt experientia. Duo heic potiſſimum notamus momenta. Primo ſunt aliqui, quibus pauciores forſan, vel tales ſolum febres videre, per loci, & temporum, & ſingulorum ægrorum felicitatem, contigit, quæ ſua natura minus difficiles fuerunt, aut periculis non facile obuiæ, & aliis remediis vel cito ſatis, vel tandem certe ſatis tuto medicabiles. Hi, ſi hiſtoriam, indolem, pericula, febrium copioſe epidemiarum, degenerantium, difficilium, pernicioſarum, & morborum acutorum & chronicorum ex febrili fomite innumerorum, aliasque ægritudines eodem remedio domabiles, vel ignorant, vel ſub alieni morbi nomine, & neſcio cuius cauſſæ ſpecie negligunt, facile fit, vt incomparabilem, eamque multiplicem, medelæ febrifugæ vtilitatem non experti deſpicatui habeant, artis oſores ignorantes, quamuis cetera ſatis docti. Meliora hos docebunt forſan aliquando auctores, ſi hos legere & recte ponderare haud grauabuntur, quos paſſim hic adduximus. Symbolam ſuam conferre pollicitus eſt experientiſſ. C. B. *Behrens*, ſcriptum iam elaboratum habens de corticis Peruuiani vſu multiplici. v. annal. acad. Iul. T. 3. p. 152. Deinde & eorum maxime manca eſt experientia, qui praxin ex præcepta theoria imperfecta, vti theoria omnis eſt, & ex curationis imperfectæ euentibus ipſam

tam ex medela ſimplici, incertæ ex ambigua farragine; euidentem, vbi effectuum cauſſa patet, dubiæ, vbi nescio quid non accuſari poteſt; propriam, quæ alienæ dudum prudenter repetitæ innixa eſt, propriam, inquam, ex iuſta, tempeſtiua, efficaci, adæquata methodo, alienæ ex alienis erroribus, defectibus. (c) Pergit cl. *Bœclerus*: "ſancte nam-

ipſam etiam perfectiorem præiudicant, quique ob vitia medentis, ægroti, adſtantium, materiæ, cauſſæ, motuum morbidorum, & labantis naturæ, innocuum remedium reformidant, reformidatum vix experiri audent, caſtrant, interturbant, aliisque hominibus ſimilem formidinem incutiunt, vt hinc, quibusdam in locis, fieri non poſſit, quin experimenta aut nulla fiant, aut vehementer imperfecta, & ob id ipſum minus felicia, quæ nouis cenſuris anſam præbeant. Ita eunt in circulum errores, &, vti opinio experientiam mancam gignit, ita hæc opinionem infeliciter alit. Haud iniuria dixerint, qui penitius febrium & remedii effectus experti ſunt, ſi quem bonum cordatumque virum ita errantem perperam iudicare audiant: tu ſi hic ſis, ſi, quod nos, noueris, videas, & exploratum habeas, aliter ſentias!

(c) Eleganter & modeſte, vt ſolet, celeb. *Torti* reſponſion. iatrapolog, p. m. 456. de hac ipſa materie, ait: "nil minus "me terret, *ratione ſatis, & ex-* "*perientia munitum*, ſed & ſimul "nil magis angit, quam auc- "ritate impugnari. In id nam- "que discriminis adducor, vt "ſcriptoribus omni honore ac "exiſtimatione ceteroqui di- "gniſſimis, vllo pacto hac in re "nequeam ſubſcribere, immo "*cogar*, impellente *me nota ni-* "*mium veritate rei*, non modo "contrariis aliorum illuſtrium "virorum adductis teſtimoniis "eos *refellere*, verum & iis *me-* "*met ipſum fidenter* opponere "omnium infimum, ſed fortaſſe "*præ multis expertum.* Puderet "me ſane cum quoquam *tanta* "decertare *fiducia*, ſi de ſubtili "quapiam doctrina lis ageretur, "ſed, vbi *disquiritur factum*, quæ

de

"namque teſtari, & ad teſtimonium publicum prouocare "poſſum, me non vnum aut alterum, non centum, ſed *aliquot*

"de illo ſum *millies expertus* in- "genue referre, & adverſus "quemlibet opponentem *con- "ſtanter ſuſtinere*, haud eru- "beſco. Ob id penes me *nulla* "*auctoritas*, in hac *materia ex- "perimentali*, magni penditur, "*niſi* ab auctore illa proficisca- "tur, qui, per quatuor ſaltem, vel "quinque luſtra, *hoc remedio li- "beraliter ſit vſus*." Equidem, qui cum inclito viro de vſu remedii innocuo, vnice certo, ſed cauto, diſtincto, tempeſtiuo, efficaci, adæquato penitus conſentio, praxeos propriæ circa id remedium vix vltra duo cum dimidio luſtra numero. Præeuntes tamen habui magiſtros longo rerum vſu exercitos, & adhuc quotidie habeo virum illuſtrem, eumdemque medicum longe doctiſſimum, experientiſſimum, ſapientiſſimum, cuius lateri, dum medicinam ſollertiſſime & feliciſſime factitat, indiuulſus fere comes inde a ſeptennio hæreo, & veſtigia practica lego, & conſilia vbiuis requiro ac amplector, iisque me & erudiri, & firmari, &, inter ſollicitudines, laboresque practicos concatenatos, mire leuari & recreari ſentio.

O querulos inter requies mihi blanda labores!
Qua ſoleo curas ſæpe leuare graues,
Dum mihi languidulæ creat ardua cura cateruæ
Sollicitas noctes, ſollicitosque dies.
Qnale ſopor feſſis, quale eſt ſitientibus vnda,
Quale per æſtiuam mollior aura viam;
Tale fatigatæ curarum pondere menti
Cura iuuans ſocii dulce leuamen adeſt.

Si huius viri merita & dotes, vti mihi, noſtratibusque, & exteris plurimis, & regibus principibusque ſummis, perſpecta ſunt, auctor ille candidiſſimus cognita haberet; profecto fieri non poſſe ſcio, quin eius, idem quod ego dudum ante ſentientis, & frequenti vſu experti, auctoritatem maximi penderet, & ſuas ea corroborari obſeruationes in ſinu gauderet.

"*quot mille* (d), diuerſis febrium intermittentium generibus

(d) De *vno* praxeos *anno* loquitur cl. *Bœclerus*, deque ſolis militibus. Sincere iſta a viro præſtantiſſimo ſcripta, & veram rem eſſe, nulli dubitamus, quæ hominibus indoctis hyperbolica videatur. Quin ipſis viris doctis, haud multa praxi vſis, neque in febrium cura, aut ſtatu epidemio, valde verſatis, ita forte videbitur, velut auctori impoſturæ corticis narratio *Kergeriana*, de curatis ſimplici remedio febrifugo *mille* febricitantibus *quatuordecim annorum* ſpatio, qua de re ſupra p. 43. dictum eſt. Ignoſcant viri graues, quod illius ſcripti, dum ſeria aguntur, aliquoties mentionem faciam. Fando accepi, eſſe ex his, qui de hoc remedio male informati perperam iudicant, qui ſolo titulo audito, & non lecta, aut certe non ponderata, opella ipſa, aut re non ſatis intellecta, nescio quid eximii aut ſolidi inibi eſſe debere præſtituerint, & arrepto paſſimque pronuntiato odioſo illo & indigno impoſturæ nomine, nullis rationum momentis ſuffulto, ſuos aliorumque auxerint errores, cum detrimento ægrotantium. Prodiit poſtmodum, eodem præſide, altera diſputatio plane ſimilis farinæ, de vſu corticis noxio, quamuis recto, vbi prior illa mire beata prædicatur, quaſi illius pondere preſſus iam gemat cortex, & illa primum oculos aperuerit mortalium, vt vſum rectum a noxio diſtinguere cœperint. Ita, quod *Perſius* dicit: *pagina turgescit dare pondus idonea fumo.* Fabula quædam "inter Aeſopicas ſironem nar-"rat, inſectum minimum, tau-"ri viatoris cornu inſidentem, "quum hic forte ingemisce-"ret, acuta vocula proclamaſ-"ſe: o miſerum, quem ego "meo pondere opprimo! cui "viator, amicule, inquit, "quis te in orbe eſſe norat? "quis pondus tuum ſentiat, "quod nullum eſt?" v. *fables de la Mothe.* Nemo crederet, niſi clara verba adeſſent, quemquam id publice profari non erubescere, quod auctor §. 2. dicit: "*ab eo tempore*," (quo nempe ludicrum illud de impoſtura opusculum editum eſt,) "*agnosci cœpiſſe*, chinchi-

"bus afflictos, diuino hoc auxilio curaſſe, vix occurrente "vno aut altero male, & quidem ex culpa ægri, cedentis "remedii exemplo. Neſcio itaque, qua fronte, qua auda- "cia, tantum naturæ donum proſcribatur.

§. VIII.

Abſoluta cura reliquiæ neque a febre neque a remedio metuendæ ſunt.

Certe integram ſanitatem, vel priori etiam ſæpe firmiorem, ab hoc remedio recte vſurpato conſequi, neque reliquias deinde febris, multo minus medicinæ, timendas eſſe, dudum attenti, quos paſſim nominauimus, obſeruatores memoriæ prodiderunt, & recta ratio experientiæ comparata ſuadet. Nemo ſane probauerit, febrilem materiam, quæ per ſe tam exiguæ molis eſt, (a) &, tametſi

"nam noxium & inſecurum eſſe "medicamentum, ſi empirice, "h. e. imprudenter, nulla cor- "poris ægrotantis, cauſſæ fe- "brilis, temporis, aliarumque "circumſtantiarum ratione ha- "bita, vſurpetur; eſſe vero ac "manere optimum, efficaciſſi- "mum, ac tutiſſimum remedi- "um, ſi quis eodem recte vti "ſciat." Atqui hoc de quauis medela quantumcunque efficaci, vel ante Aesculapium, agnouerunt medici, & de cortice docuerunt omnes, quotquot a prima eius in Europam introductione de eodem ſcripſerunt, & id ſana ratio & experientia dictat, quicquid vnus hisce obſtrepat diſputator, haud credo ſerius, de vſu ſimul recto & noxio, id eſt, chimæra medica. "*Sine noxa* mederi id eſt, "ſi *recte* faciamus. (επιτυγχα- "νειν τυτεϛι το καλως ποιεειν.) "*Cum noxa* vero medicari, "(ατυχειν) eſt, cum quis, quod "non ſciat, id *non recte* faciat. *Hippocr.* de loc. in homine §. 125.

** materia febrilis μιασμα exiguum.*

*(a) Fermentum hanc, an putredinem, an aliter vocemus, nihil refert. *Stahlius* de febris ratione c. 1. p. 24. "conſti- "tuimus, inquit, omnino nos "quoque pro *cauſſa febris* in ge- "nere *materiam*, quæ, ſerius aut

ſi violentiſſime afficiat, facile de cauſſa, in homine plane ſano (b) naſci, facile denaſci, & exigua vel nulla excretionis, & corporis, anni, aerisque mutatione inſenſibili, immo leuiſſimi ſæpe ponderis remedio, extingui & exclu- *materia febrilis arte domabilis.*

"aut ocyus, valde remote aut "valde prope, *putredinoſo-fer-* "*mentatiuam* corruptionem at- "que labem parti alicui vitali "incutere poſſit. p. 29. Noſtra "acceptio *putredinis*, *vt cauſſæ* "*febrium*, de *imminente*, aut non "niſi leuiter & *minutatim* adhuc "*incipiente*, & antequam copio- "ſe, adeoque inſuperabiliter "præualescat, mature præfo- "canda, omnimode intelligi de- "bet." *Sennertus* de febribus lib. II. c. 17. "Si ea, quæ in febribus "accidunt, obſeruemus, vide- "tur illud μιασμα & περιττω- "μα σηπονωδες ſæpe quidem "eſſe mole exiguum, ſed vi ma- "ximum, vtpote, quod prima- "ria paroxysmi cauſſa eſt, & "quo diſcuſſo paroxysmus ces- "ſat, id quod interdum a natu- "ra fieri ſolet, quæ id ex venis "expellit, dum circa labia, na- "res, & alias faciei partes pu- "ſtulæ excitantur." *Meibomius* de febribus intermittentibus epidemicis §. 25. 29. "Infini- "ta eorum exempla videre li- "cet, qui tempore epidemicæ "conſtitutionis toti ſani, deque "nullo ſymptomate conqueſti, "derepente febri corripiuntur. "Annon colligitur inde, extrin- "ſecus aliquid communicari, "quod varios illos motus cieat, "& tantos effectus tam ſubito "edat, ad inſtar venenorum, "quæ, intra corpus ſaniſſimum "recepta, mox omnem eius "œconomiam miris modis per- "turbant, quibusdam ſympto- "matibus plane ſimilibus. So- "lutiones febrium *per naturam* "& *artem* ſatis demonſtrant, ab "*exiguo aliquo miasmate* depen- "dere febrem, quo *excluſo*, quo- "cunque etiam modo, aut *mor-* "*tificato*, mox *ceſſet febris*.

(b) *Pechlin.* obſeruat. p. 255. "Mi- "ratus ſæpe ſum ſubitos illos & "inopinos quartanæ inſultus, "quippe qui, velut fulmine im- "miſſi, validiſſima quæque cor- "pora inuadant & peſſumdent. "Vtrum *aura quædam* auſtero "vitriolata bilem ſic ſatis flui- "dam corripiat, inque lentum "& viscoſum humorem fi- "xando permutet?

di poteſt, venenum eſſe adeo inſuperabile, vt nulla antidoto adæquata, nullo naturæ in functionum integritatem reſtitutæ robore edomari, digeri, & excerni queat; ſed ſolis violentis illis, & ſæpe formidandis, febrium motibus conſumi, atque expelli debeat, noxam alias in corpore relicturum. Contrarium euincit vſus adæquatus, adæquatus, inquam, & præmiſſis præmittendis (c), ſi quibus ob plenitudinem aut obſtructionem inſignem opus eſt, inſtitutus, medicaminum febrifugorum (d), quæ deus naturæ facile erranti labantique largitus eſt, præſertim ſalinorum, amarorum, aromaticorum, & ſubadſtringentium. Iſte vero rectus vſus nihil noxii, nihil metuendi, in corpore relinquit: cuius rei fidem faciunt tot tantique, ad quos prouocauimus, obſeruatores, ac experientia antiqua & noua. Enimuero per omnium ſæculorum decurſum poſt febres innumerabiles remediis eiusmodi febrifugis, quæ ſpecifica dici merentur, magis minusue certis, vel ab ipſo vulgo, (quid ni a peritis medicis (e)?) in medio curſu interceptas, & penitus profligatas (f), conſtantem ſanitatem

effectus medelarum febrifugarum.

(c) Recte *Pechlin.* obſeru. p. 254. "vbi non tantum qualitate, ſed "& copia, humores excedunt, "ſine purgante aut vomitorio "curam tranſigi poſſe, non "credo. Vbi ſanguis nimium quantum exæſtuat, quod "ſubinde fieri ſolet, neque "magnum ſit in prima regione "vitium, præſens ſane eſt in "venæ ſectione remedium, "qua ſæpe vna morbus confi-"citur.

(d) add. *Pechlini* locus adductus p. 40.

(e) *Idem* obſeru. p. 254. "De "febrifugis dico, in doſi & temporum conditione omne ſanandi momentum ſitum eſſe, "& præpoſtero metu contigiſe, vt empiricorum ſæpe in "hoc curandi genere maiores "ſint partes, quam dogmatico-"rum.

(f) Penitus profligatas dico. Nam, ſecundum regulam noſtram

nitatem insecutam esse, cui non constat? Vnde prudentioribus facile iudicatu est, sicubi res iisdem remediis non succedat, vel artificis vitium subesse, cuius correctio arte addisci debeat, vel morbi vim paullo euasisse potentiorem, quam pro eius medicinæ viribus; dubitandum vero non esse, quin victas daturus sit manus, si maioris

stram secundam, cardo curationis febrium in eo versatur, vt, si quodcunque medicamentum febrifugum adhibeas, proportio inter vim morbi & remedii recte ponderetur, neque medicam manum adhibere, ac febri a tergo insistere, prius desinas, quam omnino hanc cum symptomatibus fugatam esse appareat. Ita auertuntur noxæ dispositionis febriculosæ imperfecte curatæ, quas vulgus remediis perperam imputat, forte vero etiam imputant aliqui vltra vulgum sapientes, sed iustam continuandi normam vel nescientes, vel negligentes, vel ab ea deterriti, & nescio qua opinione occupati. Atque ita innumeræ febris & olim & nuper, sine multa naturæ ope, sine expectatione multa, plane curatæ sunt sine noxa, chamæmelo, verbena, saluia, absinthio, gentiana, pentaphyllo, aristolochia, cortice fraxini, aromatibus, salibus, & similibus, immo epicarpiis, aliisque medelis, si modo ista præsidia, adiuuante natura, adæquata morbidæ materiæ motibusque fuerunt, & proportio rite obseruata est. Prouoco ad obseruationum per omnia sæcula scriptores, quos aut non legere, aut negligere, aut intelligere nolle, & sibi solis sapere oportet, si qui serio, cum scriptore de corticis vsu recto noxio, febrem vltimum naturæ præsidium, ad materiem febrilem perdomandam, reputant, & solam plenitudinem humorum, eiusque manifestam euacuationem, a natura sibi relicta, vel medico diuinante præstandam, inculcant: quo solo facto aliqui, sine alio indicio, totam materiam febrilem euacuatam esse debere, iactant, quasi prope nouerint, quid illa sit, & vbi hæreat vltima eius radix, aut quasi hanc per aliquot μικροσκοπιον inauditum inter excreta dignoscere possint.

certiorisque virtutis medela ſimilis opponatur. Superiori ſæculo adeo felici eſſe contingit, (g) vt remedium iis morbis debellandis, præ ceterarum medelarum omnium virtute, certum in artem noſtram introduxerit, quod eodem forte modo, ac eadem certe cum ſecuritate, operatur, qua cetera, omnibus ſcholis accepta & laudata, medicamina amara leuiterque adſtringentia: quæ, qui ſub præparantium, vel quocunque alio titulo, ſectantur & commendant, hoc vero contemnunt vel vituperant, quod aliqui facere amant, næ illi, quid ſibi tandem velint, ignorare videntur: adeo propria ſibi ſententia non conſtant, quum differentiam nullam oſtendere poſſint, niſi quod cortex ceteris certius & potentius febrim reprimat. (h) Euidentiſſimum experienti cuilibet eſt, virtute huius medicinæ, ſi opportune & ſufficienter, vti ſupra deſcripſimus, exhibeatur, humores & fibras corporis ita roborari, & diſponi, quomodo id cunque iam fieri putemus, vt, ceſſante penitus violenta illa motione ſpaſtica & feruida, quæ per paroxysmos afflixerat, reſtituantur in integrum functiones omnes, & homo ſanus appareat, qui antea febricoſis ſymptomatibus grauiter affligebatur, & maneat deinceps ſanus, ſi ad ſcopum obtentum vsque medela continuetur. Fit illud robore euidenter fibris addito, correctione manifeſta materiæ morbidæ, & eiusdem excretione per vias aptiſſimas, quam natura, hoc remedio roborata, & in corrigendi onere ſubleuata, &, ab ambiguis & errori obnoxiis motibus febrilibus, in certiorem functionum integritatem

functionum reſtitutio in integrum, ſymtomatibus paroxyſticis fugatis.

robur coctio, & euacuatio.

(g) "Suos quoque *Columbos* habuit ars noſtra. *Ramazzin.* opp. p. 65.

(h) Cl. *Tortus* therap. ſpecial. p. 15. "Forſitan, ſi parem *in talibus* "virtuti noſtri corticis reperirent virtutem, illam pariter "haberent ſuſpectam: adeoque "fallant eos remedia neceſſe eſt, "vt illis adhibeant fidem.

tatem reſtituta, melius niſu proprio, huc illuc promouere poteſt, quam medicus, qui viarum humorumque diſpoſitionem non penitus notam habet, venarum apertione, vel euacuantibus pharmacis, monſtrare & propellere poteſt. (i) Etenim roborata natura, & ipſum remedium

*(i) *Holterhoff* de erroribus medicorum p 4. ſq. "Ferdinandus, "Hiſpaniarum regis frater, car- "dinalis Toletanus, octoginta "& nouem diebus tertiana agi- "tatus, obiit ætatis triginta & "duorum annorum, & toties "tamen in eo venæ ſectio iterata "fuit, vt aperto cadauere, & "ſublatis corde, hepate, & pul- "mone, diſſectis venis & arte- "riis, vix cochlear ſanguinis in "cauum thoracis confluxerit." Eandem hiſtoriam referunt *Helmont.* de febribus, & *Thonerus*, L. I. obſ. 7. qui totum eius principis corpus venæ ſectionibus, purgationibus, hirudinibus, & ſtricta diæta, ita exhauſtum fuiſſe memorant, tertiana non minus typum ſuum ſeruante, ad extremum fati diem. *Peyerus* de glandul. inteſtin. c. 7. "in promtu, ait, "nobis foret, noxas, immo cru- "das, vt leuiter dicam, mortes, "a præpoſtero ac *pertinaci pur-* "*gantium vſu in febribus*, iis in "primis, quæ inde ex anni 75. "autumno, vsque ad hyemen "76. επιδημικως graſſabantur, "accerſitas, exemplis ob ocu- "los ponere." Abundant in hiſtoriis medicis ante inuentionem corticis, & vbi is negligitur, exempla hallucinationum eiusmodi in eligendis mouendisque euacuationibus. Imminuta enim ſatis plenitudine, ſæpe vix deſinunt humores per paroxysmos rurſum turgere, niſi medela ſpecifica ſtatim ſubiuncta fomitem præcidas, vt, ſi hac careat medicus, vel carere velit, iterum iterumque ſanguine miſſo, vel pharmaco dato, euacuari debere ægrum facile perperam opinetur. Humor vero febriculoſus, poſt plenitudinem forſan inſigniorem ſemel aut iterum imminutam, medicamento ſpecifico ſufficienter correctus, ſponte naturæ roboratæ, per congruas vias eiici ſolet, quantum opus eſt, ſine aberrationis metu.

* *obſeruat.* 35. *partic.*

dium amarum, tonicum, partim ſponte eliminare obſeruatur humores turgentes, partim coctione, ſeu digeſtione ſingulariter accommoda, quocunque illa fiat modo, coquit indubie materiam peccantem, quia coctionis ſigna dilucida poſt paucos certe dies apparent, materiamque eam deinde ſenſim ſua ſponte per vias commodiſſimas excludit. Vt taceam *excretionem circa os & nares*, quæ in vulgus nota, & ſola ſæpe ſufficiens, tertianarum febrium criſis (k) poſt corticis vſum ſæpiſſime efflorescit; vt præteream rariorem *ſaliuationem* (l), &, qui priores doſes circa paroxysmi incipientis vel exeuntis tempus, frequentiſſime cum ευφοϱια ſequuntur, *vomitus*, & ſalutares *ſanguinis fluxus*; manifeſta etiam experientia oſtendit quotidie, quod inclitus medicus & obſeruator exquiſitiſſimus dicit (m): "chinachina, cum minus illud expecta-
"veris, *aluum* ſubducit (n), *diuretica* fit (o), *diaphoreſi* agit

per vias varias naturæ & materiæ amicas.

(k) Hæc manifeſtam exceptionem facit a regula, qua nihil parcum criticum reputatur. Recte tamen *Pechlin.* obſeru. p. 235. "illud in tertianis ex-
"anthema, quod iis fere ſolis
"proprium eſt, nariumque &
"oris viciniam depascitur, vt
"ſæpe magna valetudinis com-
"pendiaria erumpat, medicum-
"que & ægrum ſoletur, in hoc
"tamen etiam vtrorumque ſpes
"ſæpe fruſtrari vidimus, quod
"lente ſe iterum ſubduceret
"exanthema, nouumque ſubi-
"ret. Repelli quidem illud & in
"ſanguinem redire malum eſt,
"ſed nec, cum exarescit, in ato-
"mos diſſipatum, omnia in va-
"do. Et, vt aliquis in extru-
"dendo eo appareat naturæ co-
"natus, ſæpe tamen etiam ar-
"gumento eſt, plus ſupereſſe
"materiæ, quam vt abſumi tam
"exigua parte poſſit.

(l) conf. *Helluig.* de quinquina Europ. §. 24.

(m) *Albinus* de febre quartana th. 22.

(n) v. ſupra p. 34.

(o) Vrinas, a corticis ſufficienti vſu *fere ſemper* coctas & copioſiores

"agit (p), aliquando nihil horum accidit, niſi quod *vigor*, "*color*, *appetitus*, *& integra redeat ſanitas.*" Atque hæc ipſa, quæ, rite continuato corticis vſu, fugata penitus febre, ſenſim certiſſime eueniunt, *ſigna certiſſima* ſunt auctæ ſeu inſtauratæ *perſpirationis inſenſibilis*, (q) quam febris imminuerat (r), quæque ceteris euacuationibus longiſſime præpollet,(s) vulgo licet ignota, & qua ſuppreſſa febres præcipue generantur, & reſtituta optime ſponte exhalat febriculoſus va-

ſiores promanare, quemlibet expertum teſtor, & auctores hactenus allatos fere omnes. Cl. *Torti* reſponſ. iatrapol. p. 430. "Ab epota chinachina "vrinam copioſiorem reddi "perpetuum eſt." v. ſupra p. 60. ex *Brunnero* adducta. Et eſt iſta criſis, & materiæ morbidæ excretio, ex præſtantiſſimis, & maxime fidis. *Freind.* ad epid. Hippocr. comment. 8. "Plu-"res apud *Hippocratem* ex *fe-*"*bre* poſt *vrinæ profluuia* eua-"ſiſſe legimus: qui quidem vti "in vrinis notandis multus eſt, "ita ex his præcipue curandi in-"dicia traxiſſe videtur.

(p) Cortice ſub declinantem præcipue paroxysmum exhibito, ſudores criticos largius ſolito certiusque plerumque prorumpere, itidem experientiam peritorum teſtem voco. v. ſupra p. 88. p. 106.

(q) *Sanctorius* medic. ſtat. aph. 40. "natura, dum in perſpirandi "officio impedita eſt, incipit ſta-"tim in multis deficere.

(r) *Sanctorius* aph. 49. "quilibet "corporis dolor, ſiue labor, co-"acti perſpirabilis tranſitum im-"pedit." aph. 52. "tres ſunt in-"ternæ cauſſæ prohibitæ per-"ſpirationis: occupatio natu-"ræ, diuerſio, & vires imbe-"cilles." add. aph. 95.

(s) *Sanctorius* aphor. 4. "perſpi-"ratio inſenſibilis ſola ſolet eſſe "longe plenior, quam omnes "ſenſibiles ſimul vnitæ." add. aphorismi ſqq. & 21. 58. 59. 60. & 61. vbi tandem: "quid, in-"quit, noſtratum plurimi in "omni ægritudine ſolum per "aluum, vel per vrinam, eua-"cuandum ſibi proponunt, & "de inſenſibili perſpiratione vix "cogitant?

reſtitutio æquilibrii & motus tonici, & excretionum naturalium.

vapor. (t) Signa ſunt certiſſima, vt non opus ſit ſtatera Sanctoriana, reſtituti in ſtatum ſanum *æquilibrii corporis*, febre antea turbati, & reſtituti *motus tonici* naturalis, quo facto *omnes excretiones* rite procedunt. Itaque, ſi vel maxime criſin ſubitam, & in ſenſus incidentem, a cortice fieri, inficias eatur, λυσιν certe, ſeu excretionem ſucceſſiuam, quaſi κατ' επικρασιν, a recto eius medicinæ vſu euenire, negari haud poſſe videtur. Sufficiunt enim facile tenui illi μιασματι, quod febris cauſſa continens eſt, & humoribus non nimium ſpiſſis & abundantibus, euacuationes iſtæ, ab ipſo medicamento ſpecifico ipſaque natura ita peractæ: modo, quod methodus generalis docet, euacuata ſit, ſi qua forte euidenter aut venas replet, aut primas vias, aut eo nititur materies abundans & excretionem vrgens, ſintque reſolutæ, quæ remedii efficaciam impedire poſſunt, obſtructiones. His omnibus ad obſeruationum fidem perpenſis, mirum eſt eſſe, qui putent, ſiſti ſolum hoc remedio materiam febrilem, non corrigi, non euacuari, & qui quærant, quo ergo abeat materia febris per chinam curatæ. (u) Verum tamen

indicationi reuerſionem præcauendi ſufficit cortex.

(t) *Sanctorius* aphor. 10. 11. "Si "*impedita* eſt *perſpiratio*, diebus "ſequentibus vel ſuccedet ple"nior perſpiratio, vel aliqua eua"cuatio ſenſibilis plenior, vel "cachexiæ veſtigium, vel *febris*" aph. 63. "tunc quam maxime "*recedimus a morbo*, quando per"uenimus ad medium latitudi"nis ponderis ſalubris, *non ob* "*euacuationem ſenſibilem ſponta*"*neam*, vel *a medico* factam, vel "ob ieiunium; ſed ob perſpira"tionem inſenſibilem, quæ fit a "ſomno, poſt optimam coctio"nem." add. *Pitcarn.* opuſc. medic. diſſ. 8. de curatione febrium, vbi oſtenditur eas optime per transſperationem depelli.

(u) v. *Sydenham.* epiſt. 1. p. m. 377. cl. *Torti* therap. ſpecial. L. I. c. 3. vbi cauſſæ eleganter enarrantur & confutantur, ob quas apud quosdam perperam male audit cortex. Inter has præcipua eſt vaniſſima hæc dubitatio, ex opinionum commentis oriunda, ex quibus, & ſcholarum

tamen, cum ſæpe quidem ex ingenio morbi, quod ex obſeruationibus itidem innotuit, verendum ſit, quod tamen verendum non ſemper eſt, & ſæpe fruſtra timetur (x), ne in corpore maneat materiæ febriculoſæ particula quædam ὑποσφοφωδης, ſed ſubtiliſſima, ſine ſenſibili mole, ſine æquilibrii turbatione, ſine motu morboſo, ſine noxa tantiſper vlla, particula nempe ita immota, vel immatura, vt percipi, attingi, aut amoueri non potuerit: quum verendum ſit, inquam, ne hæc materia, ſuo tempore maturata & mota, denuo ſponte augescat, iterumque tonum & excretiones turbet; indicatio ſupereſt prophylactica, quam ſecuti, iuſto certoque tempore, quo iſte motus incipere nititur, quod hiſtoria medica docuit, medicinam adæquatam repetimus. Ita tum excretiones naturales, præſertim perſpira-

rum opinantium auctoritate, & facili aſſenſu hominum artis ignorantium, quos per aliquam fucatam & penitiori experientiæ oppoſitam veri ſpeciem terrere facile eſt, enatæ ſunt omnes illæ noxiæ & præiudicatæ de noxa innocentis remedii nescio qua perſuaſiones. Atque his, dum a tempeſtiuo, efficaci, adæquato remedii vſu abſterrentur homines non ſatis experti, præpeditur paſſim, immo vere noxiis experimentis turbatur experientia. Hoc habeant tantisper reſponſum, qui ambigui quærunt: vnde ergo fiat, quod tot cenſuras incurrat remedium, ſi per ſe innocens ſit, & adeo vtile, modo recte adhibeatur.

(x) *Torti* therap. ſpecial. p. 173. "Aliquando recidunt ægri, ſi in "ipſo morbi vigore cortice cu- "rantur, ſæpiſſime non reci- "dunt: præterquam, quod re- "cidiua vel inhibetur continua- "to remedio, vel, ſi prorſus in- "hiberi non poſſit, ſaltem debi- "lior ſolet eſſe radice ſua." id. p. 15. "Tam leuis ſæpe ſæpius "eſt acceſſionum recurſus, vt "nonnunquam expediat febrilis "fermenti reliquias ipſi effer- "vescentiæ febrili, duobus vel "tribus acceſſibus diſſipandas, "relinquere.

tionem inſenſibilem, (y) quæ tenui illi particulæ reſiduæ maxime apta eſt, tum motum tonicum, (z) & æquilibrium œconomiamque corporis, manifeſte ſarta tecta ſeruamus: quo præſtito vltimus febris fomes extinguitur. Etenim, ſi omnia recte fiunt, vel nihil plane febriculoſi amplius apparet, vt pateat leuem illum vaporem, ſi quis ſuperfuit, extinctum eſſe & exhalaſſe; vel, ſi quid a materia reſidua leuiter mouetur, id eodem, quo iam diximus, modo, factis pro niſu naturæ euacuationibus ſenſibilibus aut inſenſibilibus, & tono in robur naturale reſtituto, ita e corpore eliminatur, vt facile iterum integra redeat ſanitas, & maneat integra, ſi repetatur remedium, quoad opus eſt, atque ita funditus deleatur diſpoſitio febrilis: (a) quod

(y) *Hoffmann.* fundam. medic. c. 3 § 37. "*recidiuæ* febrium "creberrime fiunt a *transſpira-* "*tione* prohibita.

(z) Recte *Helmontius* opp. p. m. 404. "niſi nerui *firmentur*, fa- "cile morbi *recidiui* fiunt.

(a) Ponamus etiam, eſſe quasdam febres ſua natura alio modo ὑποτροφωδεις, vt poſt longius, aut incertum tempus, aut poſt annum fere, redire ita moliantur, vt vltimum morbi ſeminium, ſi quod ſupereſt, temporaria noſtra curatione exhauriri non poſſit. Neſcio, vti iam ſupra dixi, & nemo ſcire poteſt, annon iſtiusmodi febres ſero redeuntes noui potius ſint morbi, pro corporis, & diætæ, ſtatusque epidemici ratione, æque ac primus, geniti, quam vt a radice quadam veteris ὑποτροφωδει repullulare reputari debeant. v. *Trauerſarius* ap. *Lanciſium* p. 303. ſq. *Monginot* apud *Blegny*. "Si quis ſibi fin- "gat febrem poſt menſes ali- "quot ingruentem reliquias eſ- "ſe præcedentis, fraudem ſibi "facit: eiusmodi reditus recen- "tibus ex occaſionibus ſuſcitan- "tur." Obſeruatæ tamen ſunt eiusmodi reuerſiones ſeræ, & maximæ annuæ, immo quotannis redeuntes, per omnia ſæcula, & notantur hodie ſæpe ſæpius

ſine

quod experientes quiuis comperire poſſunt (b). Si qui ſunt, qui

ſine corticis vſu. *Ante triennium curaui ſutorem, qui, inde a ſedecim annis, quotannis febre tertiana, per quinque vel ſeptem paroxysmos, grauiter afflictus, ſemper ſine corticis vſu conualuerat. Quum autem ita duplicaretur morbus, vt continuus appareret, cum cardialgia in quinto paroxysmo, quæ ægre tolerabatur, fugaui & deleui penitus febrim remedio ſpecifico: neque illa adhuc rediit. Nec a longinquo febris ſeminio, ſi quod eſt, quod affirmare nemo poteſt, nocumentum vllum notatur, præter ipſam forte illam, eamque facile ſanabilem, febrem recidiuam, vel motum febrilem. Et vti eleganter *Tortus* therap. ſpecial. p. 17. dicit: "quid tum? "anne ſemina peponum aſſer- "uata gignent cucurbitas? ſic "& ſemina tertianæ, aut quar- "tanæ, ſi ſibi ſinantur, ad ſum- "mum tertianam iterum, vel "quartanam, reproducent. Ne- "que enim, ſi res examinetur, "quicquam deterius ſuccedere "conſueuiſſe, demonſtrant ipſæ, "quæ nonnunquam ſubſequi ſo- "lent, recidiuæ conſimiles, vt "vt mille alia infortunia, poſt *obſeruat.* "ſæculum aduentura, inde *partic.* 36. "præſagiant, reclamante licet "quotidiana experientia, non- "nulli vaniloqui." Sed & his reuerſionibus, ſi eueniunt, radicitus exſtirpandis, vel non opus eſt adhibere corticem, dum alia facile ſufficiunt, vel ſufficit ipſe, ſi eo opus eſſe videtur, & eodem modo, quo diximus probauimusque, integram ſanitatem, eamque denique conſtantem, ſine noxa reſtituit. Quod qui omittunt, quando alia non ſufficiunt, aut qui neſcio quos morbos ſibi curandos ponunt, ſi materiæ febriculoſæ facile medicabilis motus ſentiunt, næ illi ſuæ culpæ, non remedii innocui, noxam accuſare debent.

(b) Si quis nihilominus dubitare velit, an non ſupereſſe debeat obſtricta in corpore materia febrilis, dubitet per me licet. Et quid non in dubium vocare aptus eſt præceptis opinionibus turbatus animus? Ego tamen cum doctiſſimo *Torto* reſponſ. latrapolog. p. 452. "me "ſponte recipio inter medicos

qui id ſibi non compertum dicunt, ſed neſcio quid non noxii poſt eius remedii præbitionem inſecutum narrant, iis lubens fidem adhibeo. Hiſtoricas veritates, quæ, vti dicitur, facti ſunt, non nego. Attamen ab iſtis obſeruatoribus æquiter peto, vt mihi, totque me longe potioribus teſtibus, itidem fidem adhibeant. Quumque euidens ſit, ea, quæ in febrium fuga præſtantur, ipſi cortici deberi, & innumeris ægris effectus penitus fauſtos & conſtantes inde conſequi; cogitent velim, ſi quid ſequius inde effectum alicubi dari obſeruent, vnius rei plures eſſe poſſe cauſſas, inquirant in cauſſas veras, accommodent iis methodum, & tunc, ſi ſine præcepta opinione iterare, ad regularum normam, perfectiora experimenta haud grauentur, ipſos hosce, qui contra ſenſerant, mihi conſentientes omnino ſpondeo. Præſtitis iis, quæ modo deduximus, conſequitur ſponte naturæ, cuius iam functiones ſuo ſibi ordine conſtant, neque amplius per turbulentos febris motus, ſpasmosque vaſorum, viſcerum, neruorum, locorumque ſecretionibus & excretionibus dicatorum, irritantur aut cohibentur, conſequitur ſponte naturæ, inquam, vel idoneis, vbi opus eſt, remediis impetratur facile, vt, ſi quid abundantis, aut per febrile μιασμα, & motuum incendium, corrupti humoris in corpore ſupereſt, blande tutoque ad exitum diſponatur. Id vero omne non niſi cum ingenti moleſtia, neque ſæpe ſine periculo, per ipſos motus febrium paro-

conſequentia effectuum poſterior.

naturæ febricitantis vis violenta & minus certo ſalutaris.

"credulos, quibus facile impo-
"nunt *abditæ huiusmodi* febres,
"*quæ* ſinunt ægrum facile ci-
"bum *appetere*, *bene ferre*, me-
"lius *nutriri*, optime *quieſcere*,
"*vires* reſumere, equitare, iter
"facere, ludere, ſine *laſſitudine*,
"ſine *moleſtia*, ſine *ſiti*, vno ver-
"bo, ſine vllo *febris indicio*.
"Neceſſe eſt ægro *latentem hu-*
"*iuscemodi* febrem toto vitæ
"ſuæ tempore circumferre." O mirabilem neceſſitatem! o ſuauem & vere ſalubrem febrim!

paroxysticos præstitisset vel ipsa natura, (c) vel ars cum expectatione curandi, (d) immo nescio an in morbo periculoso aut pertinaci omnino præstare sæpe potuisset. (e) *pera-*

(c) *Lockius* ad *Sydenham.* p. m. 37.
Hactenus ipsa suum timuit natura calorem,
Dum sæpe incerto, quo calet, igne perit.
Dum reparat tacitos male prouida sanguinis ignes,
Præluit busto: fit calor iste rogus.
Iam secura suas foueant præcordia flammas!
Quem natura negat, dat medicina modum.

(d) Legi merentur elegantes ill. *Stahlii* notæ, quibus decorare lubuit *Haruei* de arte curandi per expectationem libellum, vti *Schelhammer.* de natura p. 262. sqq. notat, insulsum, iniuriosum, putidum, & bono viro indignum: cui consentit *Lentilius* iatromnem. p. 170. sq. 465. sq. 631. vbi stultitiam *Haruei* ridet, & libellum famosum ac sordidum vocat. Neque docet ille liber artem expectatione curandi, aut remedia expectationis commendat, vt putasse videtur magnus *Brunnerus* de glandul. duoden. p. 147. & cl. *Clauderus* in diss. de morbis acutis febre stipatis §. 16. Sed auctor libellum in totam medicorum suæ regionis cohortem iniurium, & plane alia tractantem, eaque maximam partem ineptissima, incongruenti titulo ornauit, forte vt suspensa hedera vinum putidum vendibile fieret. Solo quippe cap. 1. ars erpectationis non cum laude, sed cum irrisione, describitur, qua, vt ait, medentes "in grauioribus "morbis *omissione trucidant*, & "leuiores morbos *curare viden-* "*tur*, aliquid agendo nullius "momenti." Annotationes viri illustris sapienter docent artem, vel per expectationem, vel *cum expectatione* saltim, curandi, vtilissimam sane, immo necessariam, quoties salutem certam & securitatem spondet morbus tolerabilis, aut nullum remedium specificum & adæquatum medicina nouit.

(e) Haud ineleganter *Helmontius* in libello: ignotus hospes morbus l. c. "Natura stans "suis ipsamet medetur morbis, "spontanea bonitate, & mox quo-

peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit. (f)

ſanitas integra & firma conſequens.

Deo ſit gloria, medicinæ omnis, & huius remedii opportuni, efficacis, adæquati largitori! (g) Reſtituta ita per medicamen, quo tonus euidenter roboratur, & humores indigeſti

"quoque ambulare poteſt, quod "ſolius eſt ſanitatis. Sedens ta- "men natura, etſi ſua ſponte "ſtare, atque tandem ambulare "poſſit, ſurgere tamen cogitur, "antequam ſtet, adque ideo am- "bulat difficilius. Aſt natura "iacens, nunquam ex ſe ſurgere "poteſt. Immo nec ſat eſt ſur- "gere. Nam niſi nerui firmen- "tur, facile morbi recidiui "fiunt.

(f) *Claudianus.*

(g) *Sydenham.* de variolis confluent. & paſſione hyſterica p. m. 519. "quamuis in febrium "curatione egregia præſtet, ne "dicam miracula, cortex, atque "eodem tum ipſi libenter vta- "mur, tum vxoribus liberisque "vſurpandum imperemus, quo- "ties res poſtulet; ſunt tamen, "quibus haud minus iam diſpli- "cet, quod tam certo ſubitoque "morbos expugnet, quam olim "diſplicebat, quod non niſi nu- "per his terrarum oris innotue- "rat. Quo quidem fato tum "optimi quique viri, tum etiam "præſtantiſſima quæque reme- "dia ſemper fere vrgentur. Ve- "rumtamen ad hanc notam in- "dolem noſtram licet experiri, "hominesne boni ſimus, an ve- "ro probroſi, pro gradu quo vel "exſultamus, vel dolemus ac "ringimur, quoties publica res "hominum communi aliquo be- "neficio, ac numinis fauore au- "getur." cl. *Torti* therap. ſpec. "p. 12. Reperitur ex voto reme- "dium omnis omnino *praui-* "*tatis expers*, febres *momento* "*temporis* fugans, *nullos* in cor- "pore *tumultus* excitans, *nullam* "penitus *moleſtiam* pariens, ac ſi "nihil ſumſiſſet æger. Num- "quid forte illud audax quidam "chymiater, ex antimonio vel "ex mercurio ſublimatis, ele- "ganti periculo fabrefecit? mi- "nime gentium. Non alium "opificem habuit china china, "quam deum, & a ſolo deo "omnem, quam nacta eſt, febri- "fugam virtutem recepit. An- "ne ergo deus illa vtitur in hu- "manum genus *ſpecie iuuaminis*

in

digesti coquuntur, naturæ œconomia melius sæpe, quam ante febrim, & ante curationem, se conseruat. (h) Ipsæ vero remedii huius vegetabilis particulæ in corpore sano nihil immutare obseruantur. Quamdiu febriculosi aliquid ægro in corpore supereſt, mutationes ab adsumto medicamine specifico sentiuntur. Restituta functionum integritate, drachmas plures quotidie deuorabis sine sensu commodi aut incommodi, quasi crustæ panis totidem drachmas comedisses, quod mille & mille homines testari queunt. Sexcenties ego, vt vel remedii bonitatem degustando explorarem, vel animi caussa, vt ægrorum nauseæ amice illuderem, drachmam vel amplius deglutiui, & idem sibi vsu venire, neque quicquam se inde persentire, alii medici affirmant. Particulæ profecto huius medicamenti facillime digeruntur, (i) vti ceterorum ex vegetabili

remedii particulæ facile digerendæ & innocuæ.

Hh

"in vltionem peccatorum, cum "illi tantam vim indidit, vt ea "demum deluderemur, vt ea "nos perderet? Absit hæc a nobis ingrati animi blasphemia!

(h) Memoranda hanc in rem exempla plurima inexpugnabilia habent auctores, quos passim hic nominauimus, & quotidiana ostendit experientia, & partim ipsi adducimus, & alia occasione plura ostendemus.

(i) *Bœclerus* ad *Hermanni* cynosur. P. I. p. 206. "nescio, inquit, quo iure huic medicamini, e regno vegetabili de prompto, aliud, æque adstringens, e regno minerali desumtum, minusque domabile, præferatur." Crocum martis antimoniatum *Stahlii* intelligit, quem, quorumdam solum Germaniæ medicorum & breuioris temporis experimentis exploratum, sunt, qui cortici penitus substituere, & præferre tentent, quemque nos quidem haud reiicimus, sed ad febres fugandas longissime imbecilliorem nouimus, tum propria, tum aliorum, qui auctoris auctoritate, ex eius principiis & methodo tentarunt, experientia, quam vberius suo loco decla-

bili naturæ regno pro alimentis & medicationibus deſumtorum, immo facilius forſan, quam pleraque alia, ob vires amaras & tonicas, in quibus qualitatum exceſſus nullus eſt. Si quid fæcum ineſt, id naturaliter, quantum opus eſſe poteſt, excernitur, atque nihil omnino a ceteris quotidie aſſumtis eam in rem ſingulare & diuerſum, nihil corroſiui aut inflammantis, aut quod vllo modo opinionem de noxa exinde prouentura fouere poſſit, indagatione phyſica, medica, chimica, reperire, aut qualitercunque prudenti coniectura augurari licet. Neque vero quemquam hodie medicinæ peritorum medicamenti particulas per ſe corpori noxias ſerio reputare crediderim. Si quis ex medicinæ imperitis ita adhuc ſomniet (k), huic experientia vera & doctrina medica reſpondere debet:

Crede mihi! vanos res habet illa metus.

Veros vero habet metus ipſa materia febrilis, ipſe morbus, qui & hoc & alio remedio quouis, & naturæ vacillantis robore, imperfecte extinctus, & diuerſimode mutatus, dum prauis conſecutionibus imperitorum hominum oculos ferit, vana illa ipſis phantasmata effingit, de noxa, quam morbus intulit, in medicamenti particulis hærente, quæ, ni nociuis opinionibus rectus vſus præpediatur, noxam illam auertere poſſunt, ipſæ plane innocuæ.

§. IX.

---

clarabimus. Neque ipſe inclitus remedii eius inuentor parem cortici poteſtatem prædicat in febribus indolis pertinacis aut perniciosæ, & vbi efficacem & certam medicationem vrgent indicationes.

(k) Mirum eſt, quam ridicula hanc in rem ſomnia, ſed quam ſimul noxia, imprudentes & indocti apud ſui ſimiles effutiant. *Laborabat ante quadriennium iuuenis, cauponis filius, febre quartana. Per ſemeſtre tolerato

* *obſerv. partic. 36. morbus acutus ex quartana.*

§. IX.

Pauca ſeligere & ſuperioribus ſuperaddere placet ſpecimina, quam fruſtra ſint, qui reliquias febris aut me- *Medicamenti ſecuritas exemplis declarata.*

rato morbo, medicum conſulit. Præſcribitur poſt alia electarium ex cortice. Superuenit a diſceſſu medici ſenex compotator garrulus, audit laudari chinam, & "tune, inquit, "adeo vitæ tuæ pertæſus es, vt "chinam ſumere velis? a iuuen-"tute inde mea ſemper audiui, "periculoſa eſſe medicamenta "*chinica*, chiniſche Sachen." Nempe confundebat nugaculus homuncio *chimica* medicamina, olim adeo exoſa, cum recentiori hoc *chinæ* nomine, de quo in iuuentute nihil ſane inaudiuerat. Abſterretur interim æger, omittit medicinam, &, dum extra paroxysmos ſat bene habet, & febris ſalubritatem laudari audit, naturæ per tres menſes alios rem relinquit: donec, aduentante hieme, in pleuritidem ſiniſtri lateris violentam incidit, die paroxyſmum febrilem præcedente. Augebatur morbus interuentu cuiusque acceſſionis, quæ typum exquiſitum ſeruare non deſinebat. Sexto pleuritidis die, mane, poſt exanclatam ea nocte febrem quartanam, aduocatus tandem ego, reperio ægrum miſere pleuriticum ſimul, & phreniticum, ægre ſpirantem, nihil exſpuentem, tremulum, & delirum, cum furore, pulſu duriſſimo, tendinumque ſubſultu. Subito ſanguinem e vena ſiniſtri brachii mitti, veſicatoria brachiis, cruribus, nuchæ, admoueri iubeo, & remedia emulſa, diaphoretica fixa, decoctum pectorale, aliaque iſti morbo apta, faucibus inuito infundi, & extus applicari curo. Altero mane, quum tremor & ſpasmus ceſſaſſet, ac inde a veſpera ad mentem aliquanto ſaniorem æger rediiſſet, ceteris tamen ſymptomatis, & dolore pleuritico, vrgentibus, & ſputo parco ſanguinolento vix procedente, dum pectus acute ſtrepebat, venam iterum in eiusdem lateris pede aperiri facio. Veſperi ſudor bonus tota nocte durans ſuccedit, mane diei octaui mens ſibi conſtat, ſpiratus ſine ſtrepitu facilior eſt, dolor valde imminutus, ſputum

medicinæ; abſoluta cura, metuunt. Nihil eſt, quod aliqui

tum paucum, coctum & facile, pulſus mollior, ſed ſemper frequens. Pomeridie redit quartana, & cum ea ſpiratus grauis, delirium ingens, tremor, tendinum ſpasmus. Hæc mane diei nonæ remittebant, quamuis mente nondum bene conſtante, febre ſine intermiſſione perſiſtente, & magnopere debilitato homine, dum vrina, quæ per inflammationem flammea limpida fuerat, iam, poſt ſolutam pleuritidem, craſſa, cum ſedimento obſcure viridescente, apparebat. Tum vero alium pernicioſæ illius quartanæ paroxysmum non expectandum eſſe ratus, exhibui ſtatim corticis drachmam, & per trihoria repetii, vt, ſescuncia abſumta, acceſſionem die vndecima expectandam tantum non inhiberem, ſymptomata ferocia omnino reprimerem, atque die duodecimo απυρεξια reperiretur. Deinde continuatum eſt ex arte præſcripta, & repetitum tertia quaque hebdomade, idem remedium, cuius, vt tutus præſtaretur conualescens, octo vncias ſenſim ſumſit. Atque ita plane in integram ſanitatem reſtitutus, hodieque vegetus valet, ægre ereptus periculo, in quod ineptiſſima cenſura, & iniecto metu medelæ febrifugæ, præcipitatus fuerat. Exemplum hoc narrare lubuit eius aphorismi, quem p. 21. ſq. ex *Hippocrate* adduximus, de quartanis in morbos acutos periculoſos degenerare ſolitis: dum * viciſſim laudatiſſimæ illæ febres, in corpus acuto morbo eneruatum irruentes, lento gradu trucidare ſueuerunt, vbi medela ſpecifica procraſtinatur. *Pechlin.* obſeru. p. 276. "In morbo epidemio, qui "ante viginti annos Lugdunum "in Batauis diriter excruciabat, "plurimi, qui morbi acuti mali"gnitatem ſuperaſſe videbantur, "ſibi redditi, tandem in quarta"nam, ex hac in icterum, atque in "hydropem incidere, *funeſtos* "*plerumque* morbos." Iſte vero morbus acutus, qui annis ſuperioris ſaculi 69 & 70. Lugduni graſſatus eſt, * febris fuit tertiana intermittens, ſæpe in continuam verſa, ſæpe in morbum chronicum degenerans, vtroque modo valde grauis, & *duabus ciuium tertiis exitialis*, & *reuerſionibus*, ſine fere diætæ errore,

* *quartana ex morbo acuto funeſta plurimis.*

* *tertiana epidemice exitioſa & recidiua.*

qui ad eiusmodi experientiam mussitant: latere noxam sub sanitatis specie, post tempus nescio quod ex insidiis prodituram. (b) Quando ergo iam remedium vllum, immo vel alimentum, salubre fuisse iudicabitur, si ita nodum in scirpo quærere lubet? Credo, si quis eorum, qui cortice vsi sunt, post aliquod tempus ense confossus periret, pars culpæ in chinæ reliquias coniiceretur, & a vulnere absolute mortifero absolueretur homicida, si illis vitilitigatoribus iudicium deferretur. Duodecim, & quod excedit, anni sunt, quod hæc mihi medicina vsu explorata est, & vndecimus labitur annus, ex quo, numerosa in praxi vsus eius frequens fuit, & quos eius ope curaui complures, a primo inde tempore, adhuc sani degunt. Post in-

non latet noxa sub sanitatis specie.

errore, *sola status epidemii culpa*, grauissimis & frequentissimis obnoxia, dum cortex Peruuianus, qui, si fuisset bene notus, vnice forte suppetias tulisset, nondum ibi a medicis vsurpabatur. Eant, qui securitatem febrium intermittentium prædicant, medelam febrifugam criminantur, & legant hæc vberrime declarata in historia eius epidemiæ apud *Syluium*, prax. med. append. tract. 10.

(b) *Bontekoe* de febribus p. 77. "cum ignorantes, animaduer-"tunt felices remediorum suc-"cessus, opprobria euomunt, "metum iniiciendo bene valen-"tibus, dicentes: quamuis ægros "curauerimus, malum nihilo "minus post vnum alterumue "annum denuo euigilaturum, "mortemque infallibiliter secu-"turam. Verum calumnia hæc "tam insulsa & absurda est, vt "nullam mereatur responsio-"nem. Nam præterquam, quod "*euentus contrarium ostendit*, ab-"solute impossibile est, *remedium* "*aliquod excellens, quo omnes cu-*"*rantur febres, ægrique perfe-*"*ctæ restituuntur sanitati*, post "duos annos lethale euadere ve-"nenum. Vide quousque serpat "calumnia & stupiditas, bonum "pro malo, & malum pro bo-"no, accipientium!"

numera ſummorum & fide digniſſimorum obſeruatorum teſtimonia, ipſe ego, minimus omnium, tot felices & conſtantes, immo ſtupendos, ex iſto remedio ſucceſſus vidi his oculis ſenſibusque vſurpaui, tot ex aduerſo febrium infelices ſponte euentus, quos ſcio me iſthac curatione ſola certo impedire poſſe, vt ſenſum omnem eiuraſſe me oporteret, ſi præiudicantium cenſorum vage opinationi fidem potius abhiberem, vt improbus forem, & medici cordati nomine indignus, ſi medelam adeo certam & inſontem ob aliena iudicia omitterem, ſi morbus ea domabilis haud fidus innocuusque eſſe videatur. Nihil iam de longe plurimis aliis ægris dicam, quos, aliorum medicorum egregiorum ope, continuato huius ſolius remedii vſu, ſolide curatos vidi & noui: prætereo, quod, ſæpe ſæpius expertum, vel ſolum ſecuritatem proſare poteſt, felix fatum quam plurimorum hominum, cuiuscunque ætatis & habitus, quos, empirica arte qualicunque, vel ſtatim plane ſanari hoc remedio, vel per varios caſus & reuerſiones, ingenti copia corticis ſenſim deuorata, tandem integræ ſanitati ſponte, vel ea ipſa curatione, reſtitui contigit: id quod, ſi quid noxii, ſeu naturæ inimici, in ipſis remedii particulis hæreret, aut ſi ferbis eo curatæ materia adeo inſuperabilis eſſet, fieri nullo modo potuiſſe, facile patet. Tunc enim ſtatim ſanitas rediit, cum febrilis, aliaque forſan coniuncta, diſpoſitio morboſa vel deflagrauit, vel correcta & extincta eſt, quantumcunque eius remedii in corpus adſumtum fuerit. (b)

obſerv. partic. 37. Anno huius ſæculi viceſimo ſeptimo, quum ferox per

(b) Notandum hic eſt, quod cl. *Torti* therap. ſpecial. p. 277. notat. "Celticarum legionum "chirurgi non pauci (ceteris ſua "ſit laus) in principio quarum- "uis febrium, quoquo modo pe- "riodum habentium, dilutam "infuſionem aliquot vnciarum chi-

per æſtatem appareret febris tertianæ epidemiæ ingenium, vocabar ad virum robuſtum fere ſexagenarium, qui, poſtquam iræ violentæ vini potum ſuperindiderat, in tertianam febrem erat prolapſus. Alter decurrebat, quum vocarer, paroxysmus, isque vehementer anxius, cum cardialgia, dolore ventris, laterisque in primis dextri, delirio, ſomnolentia. Nihil agebam, niſi quod diætam iuſtam, & mixturam diapnoicam cum ſolutione lapidum cancrorum & nitro, præſcriberem. Soluebatur acceſſio, &, quum ſudor ſufficiens promanaſſet, aluusque enemate nitroſo laxata eſſet, belle habebat ἀπυρεκτυς. Vix ergo aliquid mali ſuſpicatus, continuari mixturam iubeo, donec tertius accederet paroxysmus. Accedit, eheu, ſub veſperam, ingrauescit nocte, ruit in carum, carus in apoplexiam, apoplexia, quam ſummo mane accitus vidi & obſtupui, in ipſam mortem ſubitaneam. *febris ſoporoſa terror.*

Altero die nuntiatur ſimile fatum viri ætare florentis, quem alius medicus egregius curauerat: narratur adhuc aliud atque aliud exemplum æque infelicis ſucceſſus intra pauco- *obſerv. partic. 38.*

"chinæ chinæ ſuis ægrotantibus "*ſine vlla ferme methodo* pro- "pinabant: quo fiebat, vt per- "ſæpe aduocarer tractu tempo- "ris ad eos inuiſendos, quo- "niam & inde plures contuma- "cesque recidiuas, & malum "corporis habitum, & nonnun- "quam acutas ægritudines, con- "trahebant. Quæ mala cum "pluribus accidiſſe obſeruarim "(licet *plurimis* etiam res *ex* "*voto* ſucceſſerit, aliisque eadem "infortunia contigerint cortice "nequaquam curatis) aliena "impenſa alienoque periculo "didici, aut mihi didiciſſe ſum "viſus, corticem Peruuianum "indiscriminatim in omnium "febrium, etiam periodicarum, "principiis non ſemper tuo ex- "hiberi." Noxas eiusmodi ex abuſu empirico ſæpe itidem obſeruauimus, legitima tamen methodo ita ſanabiles, vt proprie non remedium nocuiſſe, ſed morbum male curatum, pateret.

paucorum dierum ſpatium obſeruatum. Perterrefactus ſum merito, & neque me neque alium quemqam ſponſorem reperi pro ſecuritate febrium vere intermittentium, aut valde remittentium, ſed æque ac illa, quam funeſtam vi-
obſerv. partic. 39. deram, vel magis ferocium. Quarum magnus & indies augescens numerus quum anxium me haberet, ea ipſa hebdomade, vltra triginta ægris, quos adhuc notos numero, in quibus, dum ipſe ad lectulos probe omnia perpendebam, ob ſymptomatum notabilem vehementiam, aut ob vires debiles, periculum aliquod verebar, corticem efficaciter exhibui, eosque ad vnum omnes ſaluos & incolumes intra paucos dies præſtiti. Maxima pars manſerunt ſtatim ſani, repetita, vti tunc mihi moris erat, ad *Sydenhamii* normam, curatione pro reuerſione præſeruanda; pars in febrem poſtea relapſi ſunt ſemel, pauci amplius, partim propria, vel morbi & aeris culpa, partim quia methodus reditum præcauendi nondum tunc exquſite mihi vſurpabatur. Relapſi tamen ſunt ſine periculo, (c) & curati feliciter, & ſoſpites ſuperſunt omnes.

integra poſt febris fugam ſanitas.

Numerum hic inire nequeo tot aliorum, qui ſimiliter ſeruati ſuperant. Multos nouimus, & quotidie videmus, qui vegeti ſenescunt, poſteaquam ante plusquam triginta

(c) "Sed re vera" (ſunt verba cl. *Torti* therap. ſpecial. p. 174.) "nonnunquam tranſactæ procellæ obliti ægrotantes, & ab "hominibus male feriatis, cum "recidunt, ſeducti facile exclamant: ſatius fuiſſe febrem ſinere, a qua fortaſſis euaſiſſent, abs"que tædio recidiuarum. Profecto receptum beneficium non "exprobrarent, ſi febri illos iu"gulanti relicti fuiſſent. Sed pro"bi viri eſt, cunctos ſeruare, "quos poteſt, & ſerere benefici"um, etiamſi ſit meſſurus calum"niam. Non ſic aiunt poſtea, "cum alios cernunt, in ſimilibus "circumſtantiis, hoc remedio "hacque methodo deſtitutos, "perire.

ginta annos (d) copioſe ex arte miniſtratus cortex ſanitatem ex febribus reſtituit. Medicus quidam ex his, quorum methodo, vltra quinquaginta annorum ſpatium, hæc talia præſtita ſunt, ante aliquot annos ſenio meritisque grauis deceſſit, qui, per multorum annorum ſeriem, verno quotannis tempore, ſanus, robori visceribus conciliando, & promouendis excretionibus, per aliquot hebdomades hoc remedio vſus eſt. Sæpiuscule præterea, ſi quando deiectum aliquo modo tonum ventriculi, aut aliquam cruditatem ſenſit, vnciam vnam atque alteram ſenſim deglutiuit, & effectum laudauit. Simili quotannis medela προφυλακτικη vſus eſt (e) Ludouicus XIIII. Rex Galliæ, cuius vegetam ſenectutem Europa nouit. Idem anno ſuperioris ſæculi LXXXVIII. corticem ex methodo *Talboriana*, hoc eſt, perquam copioſe & diu, pro febre fuganda, in puluere etiam maxime, ſumſit, poſtmodum vero, quoties ſanus, præcautionis cauſſa, corpus pharmaco purgauit, eodem medicamento per aliquot deinde dies vſus eſt, vt naturæ robur ſeruaret, motusque forſan metuendos compesceret. (f) Summus quondam in his prouinciis ſacrorum antiſtes, anno huius ſæculi XXII. nouem & octoginta annos natus, &, ad extremum vsque ſenium, mirabili cum vigore mentis & corporis magnis negotiis

obſeruat. partic. 39.

obſeruat. partic. 40.

obſeruat. partic. 41.

(d) In cl. *Torti* therap. p. 165. ſcriptum inuenio: "experientia mea, reſpectiue ad vſum "innocuum chinæ chinæ generaliter, eſt *annorum* circiter "*quinquaginta*, præter experientiam præceptoris mei, ab "ipſo corticis in Italiam aduentu initia ſua ſortitam; reſpectiue vero ad *vſum largiorem* in "*perniciosis febribus*, eſt annorum *quadraginta*: quod poteſt "ſufficere ad firmandam *ancipitem* puſillorum *fidem*.

(e) cl. *Torti* therap. ſpecial. p. 354.

(f) *Les admirabiles effets du kinkina* p. 27. ſq. 44. ſqq.

operam nauans, marasmo senili placide extinctus est. Laborauit circa superioris sæculi annum LXXXV. febre quartana, quæ per nouem menses, a medico tunc hic loci primario doctissimo experientissimoque, multa arte frustra tractata fuit. Duplicabatur & incrementa capiebat febris, cum virium & functionum corporis dispendio, glischentibus, quæ plerumque antea litteratissimum virum afflixerant, pathematis hypochondriacis. Innotescebat eo tempore vsus corticis efficax & continuatus *Talborianus*. Itaque idem medicus illustris, copia insigni medicaminis tum fere hic ignoti comparata, & sufficienter diuque satis repetita, plenam viro sanitatem ita restituit, vt a febre ceterisque, quos antea valetudinarius fere semper tolerarat, affectibus constanter liberatus, ad mortem vsque prædicarit viuacem viridemque senectutem illi febri, illo remedio
obseruat. partic. 42. persanatæ, deberi. Vir nobilis ad hæmorrhoides cœcas & podagram pronus, ante quinquennium & vltra, a cephalæa enormi, deliriis, horrendisque conuulsionibus epilepticis, ex fomite febricoso ortis, paucos intra dies per corticem liberatus, & quasi ex cymba Charontis reductus, deinde legitime repetito, immo vltra necessitatem trimestri, remedii vsu, postmodum etiam lactea diæta, egregie refocillatus est. Altero deinceps anno, hoc primum medicamine, per mensem aliquoties quotidie vsurpato, tonum neruis visceribusque integrum præstare, & horridi morbi metum omnem præscindere, deinde lactea diæta alimentum corpori dulce ministrare, saluus repetiit, iamque hanc quouis vere feliciter instituit, nullo recidiuæ febris, aut alius prauæ consecutionis metu. Podagra item & hæmorrhoidibus aliquoties deinde, pro corporis habitu, laborauit, neque vllum apparuit febris redeuntis indicium, quod ab illo orgasmo, nisi plene curata sit, euenire alias
obseruat. partic. 43. solet. Puer iam sexennis, chirurgi periti filius vnicus,

ante

ante biennium, & quod excedit, laborabat variolis impense confluentibus, cum maculis purpureis pluribus interspersis. Vita vix conseruata, declinantibus post diem XXI. variolis, misere tamen, in corpusculo vehementer debilitato, excruciabatur abscessibus hinc inde erumpentibus, & febre continua, alternis diebus exasperata. Quarta ab ineunte morbo hebdomade, cum & febris & constitutio αποσηματωδης aliis remediis nihil concederet, vires que labascere magis magisque viderentur, proposuimus hoc remedium, similibus in casibus sæpe nobis, post *Mortonum* aliosque medicos inclitos, feliciter exploratum. Sumsit æger lubenter electarium ex cortice simplici & syrupo aliquo, eiusque intra quinque hebdomades vncias plus quinque, ad plenam vsque sanitatem, absumsit, eo sensim cum effectu, vt febris, primum imminuta, cessaret, vires cum appetitu incrementa caperent, abscessus, accedente sollicita patris ope chirurgica, sanescerent, nouique emergere desinerent, & habitus corporis validus euaderet floridusque. Integra exinde valetudo inconcussa ad hunc vsque diem perstat. Puella iam triennis, filia mea, matre debili, per grauiditatem valde febricitante, nata, lacte minus salubri nutrita, breui post ablactationem annicula corripitur languore insigni, anorexia, macilentia indies augescente, tussicula, febre primum anomala, dein manifestum duplicis quartanæ typum adsciscente, sed lentæ & haud plane intermittentis. Præbetur, præmissa purgatione κατ' επικρασιν, cortex in electario, (g) vt drachma

obseruat. partic. 44.

(g) Plerumque alias sufficit infantibus extractum cum aqua paratum, ad modum *Apini*, quod in liquore grati saporis pauco vel multo solutum, guttularum vel potionis forma, ita per trihoria fere, in paroxysmorum interuallis, exhibere soleo vt,

& vltra indies abſumeretur. Melius ſtatim habuit, ceſſauit breui febris, &, repetito iuſtis interuallis medicamine, integre curata eſt. Sed cum indies maius corpori, a natiuitate inde languidulo, robur ex continuato vſu naſci videretur, & auide infantula medicinam deuoraret, placuit eidem etiam deinceps inſiſtere. Itaque infans tunc annicula, ante biennium, per trium fere menſium tempus, vltra octo corticis vncias conſumſit, iamque corpore & animo belle valet, ac incrementa capit, feliciter nuper exanclatis variolis cum febre ſcarlatina periculoſe complicatis, poſt quem morbum denuo per dies quatuordecim ſumſit corticem, non niſi vt appetitum, vires, ac vigorem reciperet, & eximie recepit.

obſeruat. partic. 45. Vir nobilis, aliquot vltra triginta annos natus, patre genitus, qui florida ætate, &, ni fallor, phthiſicus obiit, a multis inde annis ad quoduis frigus perceptum tuſſi ac catarrhis obnoxius, ante aliquot annos afficitur diuturna tuſſi ſicca ſenſim ingrauescente, hinc aliquoties hæmoptyſi, ſputo poſtmodum phlegmatico, neque non purulento, tabescit, cum languore appetitus & virium, febriculæque tabidæ indiciis, &, per annum integrum, ſub iſtis ſymptomatibus, modo magis, modo minus affligentibus, vix per medelam noſtram reuellentem, vulnerariam, temperantem, abſtergentem, roborantem ορθοσαδιος ſeruatur. Sub hiemem anni XXVIIII. febris corripit tertianæ indolis intermittens. Miniſtratur ſtatim, periculi iuſto metu, poſt duas acceſſiones cortex, & ea cum felicitate continuatur, cum ſyrupo diacodii in electarium mixtus, vt, ceſſante febre,

vt, verbi cauſſa, bimulis decem plus minus grana pro ſingulis doſibus exhibeam, continuemque & repetam, pro iuuamine eueniente, & pro niſu recidiuo, ſecundum regulas.

bre, robur corpori acceſſiſſe, morbo veteri deceſſiſſe, obſeruaretur. Repetito aliquoties ex methodo, per alternas hebdomades, curationis filo, non febris ſolum conſtanter abfuit, ſed æger adeo per omnia melius habuit, vt lubentiſſime, per tres adhuc menſes continuos, ter quotidie doſin electarii ſumere perſeuerarit, addito balſamo antiphthiſico *Meibomii* ad guttas bis quotidie viginti. Menſe dein Maio aquas Selteranas cum lacte potauit, atque exinde ſanus vegetusque, ſine tuſſi, catarrhis, febre, aliisque ſymptomatis, munere ſuo militari, ſub aeris ſæpe iniuriis, fungitur, mortis faucibus eripi viſus. Lepidum eſt, quod circa copioſum corticis vſum, præter conſilium, ante duos mihi, & quod ſuperat, annos obuenit. Vir nobilis, macilentus, hæmorrhoidum fluxu ac motibus anomalis, tuſſi ſicca, hæmoptyſi, catarrhis, flatibus, ſæpe afflictus, qui ante biennium, & iterum antegreſſa hieme, ex pleuritide ſatis periculoſa emerſerat, corripitur menſe Iulio anni CIↃ IↃ CC XXVII. febri tertiana epidemia. Quæ poſtquam cum tertia acceſſione in duplicem haud plane intermittentem degenerauit, & hæmoptyſin cum tuſſi violenta comitem adſciuit, non tuto permitti poſſe iudicata, ſed cortice, cum papaueris albi ſyrupo in bolos redacto, ex methodo profligata eſt. Nondum penitus conualuerat æger, quum abire hinc, operisque ad aquarum exundantium aggeres præeſſe, iuſſus fuit, neque potuit non obedire. Dimiſi illum ea lege, vt, præſertim ſub paludoſorum effluuiorum hauriendorum neceſſitate, inſiſteret medelæ, donec me de valetudinis ſtatu per litteras certiorem feciſſet, quod poſt paucos dies facturum ſe eſſe recepit. Verum nihil de ipſo comperi, donec ſequentis anni menſe Ianuario epiſtolam accepi, qua egregie ſe valere perſcripſit, & conſilium petiit, num corticis vſui amplius inſiſtere deberet, cuius quotidie quinquies drachmam

obſeruat. partic. 46.

dimidiam assumere nondum intermiserit, quia, licet semper detentus operis aquariis, alias sanitati suæ molestissimis, firmitatem indies maiorem valetudinis a multis annis debilioris persentiscat, hæmorrhoidibus sine molestia idemtidem sub medicatione promanantibus. Annum & diem datarum litterarum male me intellexisse, & forsan vetustiores alicubi neglectas iacuisse, putabam. Vbi autem veram rem esse, & magnam viri in remedium fiduciam reperi, quiesceret quidem alternis hebdomatibus ab eius vsu, sed alternis idem ter adhuc repeteret, suasi, appropinquante præsertim æquinoctio, quo hæmoptysin pati alias consueuit. Exinde vero, quod sæpius postmodum per litteras, & nuperrime adhuc coram testatus est, optime quidem, & longe melius, quam diu antea habuit, corporis etiam habitu viuido magis & pinguiori facto.

Plurima, quæ nobis constant, parum absimilia, de cortice copiose satis, & diu, vtilitatis, vel necessitatis, vel securitatis caussa, & feliciter, & innoxie certe vsurpato (d), in diuersissimi gene-

(d) Post tot obseruationes proprias & alienas, equidem non adeo miror, quod haud pridem cl. *Iunckerus*, vir egregie merens, *Stahlianæ* scholæ doctor, in dissertatione de legitima febrium corruptarum tractatione p. 27. sq. scripsit: "Sane "nuper ex ore præclari cuius- "dam regii medici cum admi- "ratione audiuimus, se, licet "hunc corticem prodige, & ad "vncias quotidie dedisset, nun- "quam tamen siniſtrum effe- "ctum obseruasse; a parco au- "tem vsu mala illa consectaria, "quæ per vulgus circumferren- "tur, esse deriuanda." Si, quod omnia suadent, recte capio mentem præclari illius medici, id dicere animus fuit: si opportune, hoc est, morbi indole, & tempore, & corporis habitu permittente & poscente, cortex datus sit, dosin etiam maiorem solito, immo, vrgente velocis periculi necessitate, ad vncias indies extensam,

generis conſtitutionibus, ob febres ex genere intermittentium, morbos febriles, epilepſiam, choream S. Viti, hæmorrhagias, aliaque παθηματα (e), repetere, temporis ratio

ſam, eiusdemque medicaminis prudenter liberalem continuationem repetitionemque, ad plenam vsque morbi extinctionem, nunquam ſiniſtrum euentum produxiſſe. Illa autem, quæ per vulgus veræ αιτιολογιας ignarum circumferantur, praua conſectaria non ipſi remedio deberi, ſed diſpoſitioni febriculoſæ imperfectius extinctæ: &, quamuis vſus corticis, vti omnium medelarum, non opportunus nocere itidem poſſit; frequentiſſime tamen peccari in vſu ad morbi proportionem non adæquato, dum in doſi, continuatione, repetitione, deficiant vel ægri, vel artifices. Atque hoc veriſſimum eſſe ſatis hactenus probatum videtur, vberius alia occaſione demonſtrandum.

(e) Nuperrime cl. *Hampius*, medicus Londinenſis, natione Germanus, doctiſſimus feliciſſimusque, nouum experimentum ad medicum apud nos inclitum perſcripſit, quod ex eius epiſtola mecum communicata hac excerpere liceat, ipſis ſcriptoris verbis latine ſolum verſis. "Non "poſſum, ait, quin de cortice "Peruuiano memorem, quid "primum cl. *Amyandus*, chirur- "gus regius, aliique poſt eum, "diuini huius remedii ope, "in ſphacelo præſtiterint. "Nempe ſex iam proſtant ca- *obſeruat.* "ſus, vbi ſphacelus, quamuis *partic. 47.* "ad oſſa iam vsque penetraſſet, "inhibitus plane eſt, vſu lau- "dati medicamenti. Dabatur "quarta quauis hora ad ſcrupu- "los duos, vel drachmam vnam, "donec ſeſcuncia abſumeretur, "quo facto ſiſtebatur proceſſus "ſiderationis. Imitatione di- "gna res eſt, & pariter eam me- "dicinam ad cancrum coercen- "dum tentari poſſe exiſtimo." Sane apud nos quoque exſtant exempla, vbi & vlcera putrida, ſed coorta ex μεταστασει materiæ febriculoſæ, omnino perſanata ſunt, & diſſipati tumores glanduloſi, ad carcinomatis fere naturam accedentes, ſed eiusdem febrilis fomitis ſoboles, & ipſe ſuperueniens ſub

* *cortex ad ſphacelum.*

tio & operæ consilium prohibent, multa etiam consulto alii occasioni reseruamus.

SECTIO SEXTA

PROPONIT OBSERVATIONES ET CONIECTVRAS AETIOLOGICAS DE MODO QVO OPERATVR MEDICAMEN, TYPISQVE ET PERIODIS.

§. I.

Problema & coniecturæ, de modo, quo cortex operatur.

Soluat huiusmodi syllogismos, experimenta dico tot millies, a tot inclitis viris, per tot annorum seriem, in tot regionibus repetita, quorum veram consequentiam quili-

---

sub statum erysipelatis, sed ex febrili fomite oriundi, sphacelus cohibitus est, dato, tamquam ad febrem fugandam, cortice. Femina etiam quædam fere sexagenaria, tota sana, pedem dextrum lapsu infausto dextrorsum luxauerat, cum ingenti laceratione ligamentorum tendinumque, & accedente inflammatione graui. Declinante hac, supererant partes plures cutis, musculorum, tendinum sideratæ, remanebat febris lenta continua, cum anorexia plenaria, & augescente indies debilitate. Obseruato manifeste duplicis quartanæ typo, mirum est, quam belle omnia in melius mutata sint, & secundata egregii chirurgi curatio sollicite extrinsecus adhibita, postquam præscripta methodo febrem quartanam sustuli, appetitum viresque restitui. Pedis tamen ista læsio, sublato licet sphacelo, lente demum sanescit, & feminam aliquo quidem modo, vt non fieri nequiuit, claudicantem, sanam tamen præterea relinquit, quam equidem deploratam habuissem, nisi eo nos deus donasset remedio. Supervenit adhuc aliquoties deinde febricula erysipelatosa, sed sine periculo deflagrauit.

obseruat. partic. 48.

quilibet αναλογως experiundo comperire poteſt, aut taceat opinio, quæ ſolam adſtrictionem, eamque ne quidem per varias corporis partes, motuumque directiones naturaliter diuerſas, diſtinctam, generali edicto, pro vnica corticis virtute, ne dicam pro crimine habet, qua nihil corrigat, nihil mali expellat, nullas ſecretiones vel excretiones in iuſtum ordinem redigat, ſed omnia obſtipet, & materiam febrilem in corpore, veluti ſtrictis cohibeat compedibus. (a) Magnorum viro- *vis adſtringens.*

Kk

(a) *Sydenham.* epiſt. I. p. m. 377. ſq. "Quo autem pacto deprehendemus, corticem vi ſua adſtrictoria febres fugare? Qui id probare velit, neceſſe erit, vt prius alia adſtringentia pari virtute prædita in medium afferat. Mihi certe, vel eorum fortiſſima adhibenti in experimentum, nondum e voto ceſſit. Quid quod illos etiam ſanat, qui ab eius vſu, tamquam a cathartico aſſumto, frequenter aluum deponunt. Id vero demum eſt recte ſapere, ſuo ſe quemque pede ac modulo metiri. Non vereor dicere, quod medici cura omnis atque induſtria in expiſcanda morborum hiſtoria, iisque remediis abhibendis, quæ, experientia indice ac magiſtra, eosdem valent depellere, debeat collocari: obſeruata tamen iſta medendi methodo, quam recta ratio, non ſpeculationum commentis, ſed trito & naturali cogitandi modo innixa, ei dictauerit." Quod de fortiſſimorum adſtringentium vſu ſæpe fruſtraneo, & impari effectibus corticis docet, confirmatur recentiori obſeruatione in *hiſtoire de l' academie des ſciences* a. 1714. p. 37. ſqq. Magnus experimentorum numerus oſtendiſſe traditur experientiſſimis viris *Renealmo* (*Reneaume*) *Hombergio*, nuce gallarum ſat ſæpe febres intermittentes fugari. Additur vero, notantibus viris experientiſſimis itidem, *Boulducio*, *Lemerio*, *Godofredo* (*Geofroi*,) id medicamentum vel ſexies repetitum in febribus tertianis & quartanis effectu caruiſſe ſæpe, ſæpe inde profligatam febrim rediiſſe, ceterisque præter corticem Peruuianum re-

virorum, quos ſequi videntur ſibi, vel aliis videri volunt, qui ita ſentiunt, aut loquuntur, non ea eſt arrogantia, quin potius, vbi de modo agendi perfecte noscendo quæritur, cum *Ramazzino* (b) exclament, quod poeta (c) de Nili origine cecinit:

vincit adhuc natura latendi. (d)

Quid

remediis omnibus ſuperiorem fuiſſe. Immo vero aliorum adſtringentium minus expertorum doſes eo vsque intendere, vt febrim certo profligent, ſi omnino profligare difficiliorem poſſunt, quis ſecurum reputet? Exemplum in nuce moschata eſt, quæ tantopere multis laudatur, & a paucis pro inſecuro medicamento habetur. Ea vero, cortice longe potentius adſtringens, non ſolum longiſſime minus potenter febres, ſed incertiſſime deuincit, verum etiam aucta doſi aluum euidenter ſtringit, & ſanguinem visceraque inflammare, &, quod hoc libello maxime notandum videtur, ſoporem arceſſere apta eſt. *Bontius* de medic. Indor. dial. 5. viſum ſibi in India memorat, ex nimio eius nucis vſu aliquos per diem vnum & alterum, non ſecus ac caro correptos, immobiles ac mutos iacuiſſe. A nimia eiusdem doſi, coma vigil, cum delirio, vertigine, ſtupore, viſus ac loquelæ priuatione, per biduum durans notauit *Schmidius* eph. nat. cur. dec. 2. a. 2. obſ. 120. add. cel. *Behrens* ſelect. diæt. p. 286. Talia a corticis doſi vel modum excedente nemo obſeruauit, vt diuerſiſſima diuerſorum adſtringentium natura etiam hinc ſatis pateat, quum contrariam efficaciam experientia monſtret. Febris per imperfectam corticis doſin imperfecte tentata coma acciuit apud *Ramazzinum* conſtit. epid. p. 149. quod ipſo forſan cortice medicabile fuiſſet.

(b) Oper. p. 219.

(c) *Lucanus*.

(d) *Schelhammer*. de genuina febres curandi methodo. p. 131. ſqq. laudat remedia, quorum virtutem experientia probat, quamuis ratiocinatio agendi modum non penetret, eaque empirica vocat. "Eiusmodi inquit,

Quid nos hanc in rem hariolemur, & quo vsque artem in ea perueſtigatione certo vel probabiliter experimentis & ratiociniis perueniſſe exiſtimemus, alibi aliquando explicatius dicendi locus erit. Præmitti debet illi perquiſitioni hiſtoria accurata effectuum huius remedii, qui, pro varia ratione methodi & miſce æ, varii ſunt, in corpus humanum ſanum & ægrotum, inque diuerſos eius humores, fibras, motus, ſanos morboſosque, tum intra corpus, tum extrinſecus, ſi cui humori admiſceatur, vel loco applicetur. Præcedere debet diſtincta; & ab omnibus opinionibus liberata hiſtoria, &, quantum ſine incerta opinatione fieri poteſt, iuſta ætiologia morborum, ſymptomatum, conſtitutionum, vbi iuuat cortex, aut nocet: notandum accurate, quid proficiendo vell officiendo præſtet, & qua forte rerum illarum mutatione, quaue methodo, aut mixtione, aut quibus præmiſſis vel ſubiunctis, noxa vel vtilitas impediatur, aut mutetur. Interea etiam chemicis phyſicisque artificiis, ignis torturis, ſpectaculis microſcopicis, chirurgia infuſoria, & variarum rerum miſcela, explorare partem naturæ medicamenti licebit. (e) Ex re etiam

inquirenda priusquam decidatur.

"inquit, remedium, ab omni-
"bus hominibus, poſt varia licet
"fata, ac contentiones non exi-
"guas, agnitum atque admiſſum,
"eſt cortex ille Peruuianus,
"quem chinchinam appellant,
"cuius agendi modum multi
"quidem explicare aggreſſi, ſed,
"meo iudicio, nemo adhuc ex-
"pediuit. Sunt enim alia ſim-
"plicia non pauca, quæ & terrea
"ſtyptica vi, & inſigni amaritie
"inſtructa ſunt: tamen id non
"præſtant æque feliciter, quod
"hic nunquam non, ſi rite cum
"eo agas, præſtare certo ſolet.

(e) conf. *Leeuwenhoek's microſcopical obſeruations on the cortex Peruuianus* c. fig. phil. tranſact. n. 312. p. 2446. ſqq. item eiusdem *brieuen de 60. miſſiue van cochenille en de ſchors china china.*

Hoff-

fuerit aliorum remediorum febrifugorum efficaciam & naturam ſimiliter expiſcari, vt comparata iuxta ſe poſita magis elucescant. Tunc forſan ſolidius iudicium efformari poterit, quid de modo agendi ſtatuendum ſit, quidque inquirendum ſuperſit, qua in re poſteritas vltima habebit adhuc, vbi humani ingenii & artis vires experiatur. Coniiciamus tantisper, remedium hoc, pro ſuo modulo, velut alia vegetabila amara, leuiter aromatica, & parum auſtera, agere. Dicamus illud particulis leuiter adſtringentibus tonicum eſſe, vnde fibrarum & neruorum tonum intendat, præſertim aliquanto laxiorum, & ad quos ſatis efficaciter penetret, quosque ſuarum partium attactu & ſtringendi facultate neque maiores, neque minores, neque magis inſenſibiles, aut turgidos, reperiat. Notemus augeri tonum præcipue ventriculi, inteſtinorum, ductuumque & glandularum, vnde liquores eo confluunt, & quo inde effluunt, & euidentiſſime quidem vaſorum biliarium: eadem virtute chylo impreſſa, & ad circulantem ſanguinem per vaſa lactea delata, tum vero etiam ipſo neruorum conſenſu, roborari tonum ceterorum vaſorum, ſanguineorum, lymphaticorum, neruorumque, fibrarum, & ductuum, præcipue in hepate, pancreate, meſenterio, liene, renibus, vtero, partibusque ſeminalibus, & ceteris,

coniecturæ noſtræ.

Hoffmanni diſſert. de chinæ chinæ modo operandi. *Pitcarnius* in opusculis medicis diſſ. 8. 9. *Sponii* experimenta de febribus & febrifugis. *Lemery cours de chimie* P. II. c. 6. *Apinus* hiſt. febr. epid. §. 48. *Ramazzinus* de vſu & abuſu chinæ chinæ. *Torti* therapeut. ſpecial. L. I. c. 5. *Cogroſſi conſiderationi fiſico-mechaniche e mediche intorno alla natura, effetti, ed uſo della corteccia del Perú.* *Helluigius* de quinquina Europæorum §. 15. ſq. *Horbii* diſſ. de chinæ chinæ virtute febrifuga. *Turnefort* de materia medica. *Tauvry traité des medicamens* T. I. p. 97. T. II. p. 213. *Freind.* emmenolog. c. 14.

ceteris, quæ per arteriam magnam deſcendentem, & venam portæ, & cauæ propagines, variis canalium ramis & directionibus, alluuntur, & neruorum retibus complicantur, in abdomine præſertim. Attamen ceteræ itidem corporis partes, cor ipſum, pulmones, cerebrum, artus, & quæ ſunt reliqua, partim debilius & minus notabiliter, partim ſubtilius & remotius, partim per neruorum conſenſum varium, partim vero maxime ὑσερεργια naturæ affici, reputandæ videntur, poſteaquam effectus, qui a ſubſtantia remedii expectari potuerunt, eadem dudum digeſta & excreta, iam præſtiti ſunt. Cenſeamus eadem vi tonica, & velut balſamica, (f) craſin chyli, ſanguinis, & humorum inde deriuatorum, bilioſi maxime, pancreatici, & ſimilium, coerceri, vbi præcipue præter naturam, ſed non vltra potentiæ remedii proportionem, exſoluta eſt.

(f) Doctiſſimus *Iunckerus* in diſſ. de febribus corruptis ait: "corticis patroni plus virium "balſamicarum, quam adſtrin-"gentium, ei tribuunt, licet hoc "adſertum examini tam exter-"norum ſenſuum, quam che-"miæ, minime reſpondeat. Aduerſari hæc aliquantum videntur examini ſenſuum & chemiæ a cl. *Hoffmanno* in diſſ. de chinæ chinæ modo operandi §. 8. 9. luculenter expoſito, & his, quæ idem vir illuſtris nuper repetiit in de recto corticis vſu § 23. de principio balſamico. Tacemus iam experimenta propria. Conſentiunt plerique, quos ſupra nota (e) nominauimus, auctores, examinando conuicti, ineſſe in cortice eiusmodi principium ſalino-ſulfureum, gummi-reſinoſum, ſuaueolens, diureticum, quod balſamicum dici mereatur. Num autem plus huius, an vero adſtringentis, memorandum inſit, & vtrum potius efficaciæ mirandæ cauſſa ſit, poſteritati forſam iudicandum remanebit. Ineſt vtrumque, vtrumque ad effectum confert, quia tota ſubſtantia potiſſimum iuuat, & fortaſſis alterutrum ab altero plane ſeparatum haud multum fructuoſi præſtaret.

Addamus, particulas temperate amaras, ſaponaceas, & aromaticas digerere, abſtergere, & quaſi bilis vices gerere, & hanc, ſi iners vel acore corrupta eſt, ac alios humores ſimiliter vitiatos, chylumque in primis, corrigere: earundem vero particularum ſulfure leniter anodyno, quod amara, & aromata, & balſamica habere ſolent, & odor ſigillatim prodit, & conſequentiæ variæ teſtantur, fibras & neruos demulceri, minores præſertim, & a contactu terreæ & ſalinæ fixioris ſubſtantiæ remotiores, & qui neque præſente ſpaſmo inſigni ſtricti ſunt, neque niſu vim remedii ſuperante ad eum proxime inclinant. Exiſtimemus tonum ſenſumque neruoſiorum partium alicubi, in ventriculo præſertim, & vbi ſalium excretiones ſunt, blande exſtimulari ſale earundem particularum medio fixiori, &, quod in ſinu gerunt, volatili oleoſo, quamuis id haud omnino in corpore eliciatur. Neque negemus etiam, iisdem ſalibus, & ipſa laxiorum partium, vaſorumque maiusculorum & exquiſitiori ſenſu pollentium, tonica adſtrictione, leniter deinde aperiri obſtructas vias, relaxari vaſa minora, remotiora, & minus ſenſu prædita, & ſuccos aliquanto viſcidiores incidi, atteri, promoueri, fluidioresque reddi. Ex his forte aliquo modo explicari poſſet potentia remedii maniſta in curandis febribus aliisque morbis, & in promouendis ſæpe excretionibus, pro niſu naturæ & materiæ coctæ, vel turgentis, præſertim vero in reſtituenda transſpiratione inſenſibili, &, quod magna ex parte ab hac dependet, corporis æquilibrio, & vigore motuque tonico naturali, qui per morbos morborumque paroxysmos elanguerat.

§. II.

Vis ſpecifica. Hæc omnia vbi non ſufficiunt, liceat ſummorum virorum veſtigia ſine opprobrio ſequi, quæ omnia ad illud, non medicæ practicæ, ſed phyſicæ theoreticæ, ignorantiæ aſylum

lum ducunt, *ſpecificæ* (a) virtutis, maxime *febrifugæ*, titulum

(a) Fingunt ſibi pro lubitu quidam ideas generales, quomodo ſpecifica medicamenta, quod vocabulum medicis vſitatiſſimum eſt, comparata eſſe debeant, a communi notione plane diuerſas. In his eſt *Sydenhamius*, euacuantia quæuis ex ſpecificorum cenſu proſcribens, &, qui cum eo fere ſolo diſputat, auctor diſſertationis Halenſis de vſu corticis cauto & ſuſpecto. Totum opusculi caput primum nihil eſt niſi hypothetica diſputatio, corticem non operari vi ſpecifica, ſed ſola adſtrictione, neſcio vtrum valida an imbecilli, vniuerſali an particulari. Hinc pathologia febrium *Stahliana* ſupponitur, quarum nullas auctor, præter peſtem, ſpecifico, vt putat, terrore infeſtam, ſpecifico remedio opus habere dicit, quia, vti ait, omnium febrium cauſſæ methodo medendi vitali obſecundent. Ita beatam methodum & cauſſas obſequioſas imaginari, & morbos in cathedra curare, licet: ſed vereor, ne ſpe ad ægrorum lectulos cadamus. Secundo capite *ex illis hypotheſibus* regulæ pro cauto vſu ſuppeditantur, & quæ *Sidenhamianam* methodum noxæ inſequi *debeant*, præmonetur. Tandem poſtremis duobus paragraphis martyrologium chinæ breuiter aliquot augetur exemplis infelicis ſucceſſus ex aliena curatione, qui vtrum naturæ, an arti, an male medentibus debeantur, non patet. Mihi aliisque fere omnibus medicis id remedium intelligitur *ſpecificum*, ſeu *ſingulare*, ad morbum aliquem, vel ſymptoma, vel partem corporis, quod per ſpecificam ſuam qualitatem, ſiue per formam, & mixtionem ſuam internam eſſentialem, ἰδιοσυγκρασιαν, ſeu ἰδιοτητα, ita aduerſatur cauſſæ ſpecifiæ ſeu continenti morbi, vel ſymptomatis alicuius, aut ita reſpondet texturæ, craſi, connexioni, & reliquo habitui alicuius partis corporis, vt, præter generaliores & manifeſtius explicabiles operationes, præcipua quadam contra morbum illum, aut contra illud ſymptoma, aut in eam partem, quibus remedium ſpecificum eſſe dicitur, polleat efficacia, quæ negari non poſſit, quamuis plerumque ratio illius effectus, & ἰδιοσυγκρασια, ſeu pecu-

tulum. Supponamus, id quod experientia euincit, medicamentum hoc tota ſua & haud ſatis perſpecta ſubſtantia ſpecifice agere in eas corporis partes, in quibus paroxysmorum febrilium fomes colligitur, & in quas hic præcipue operatur: tum vero febrium intermittentium materiæ, & ipſi diſpoſitioni, quæcunque & vbi fere cunque illa ſint, in ſolidis fluidiſque corporis partibus, ſingulariter aduerſari: niſi materia nimis remota, aut obſtructis alicubi viis profundius impacta, aut immatura ſit, quam vt ſolito remedii robore attingi poſſit. Hanc vero virtutem ſpecificam tantæ agnoscamus eſſe efficaciæ, vt, ſi æger, & adſtantes, & medentes omnia recte faciant, neque inſolitum plane conſtitutionis ſingularis vitium ſubſit, materies illa & diſpoſitio certiſſime penitus corrigatur & ſubiugetur, & iſta plerumque, qua naturæ niſus eſt, euacuetur; pro varia vero & imperfectori medicatione afficiatur plerumque, ſed diuerſo & imperfectiori effectu. Admiremur naturæ conſuetam, in ſimplici medicamento ex diuerſis partibus inimitabili mixtione componendo, ſagacitatem, qua varias particulas & virtutes, quæ contrariæ eſſe videantur, ita inuicem temperare nouit, vt veri æque, ac inexplicabiles, in corpus humanum inde reſultent ſucceſſus. Vtamur tantisper experientia inuentis, experientia firmatis, ratione moderatis & applicatis, pro genuino vſu regulis, neque theoriæ diuerſitate (b) in diuerſa nos rapi patiamur,

Aut

peculiaris temperatura & proprietas, vtrimque non plane ſit perſpecta. Plura eiusmodi, & diuerſi quidem generis & gradus, remedia ſpecifica exſiſtere, nemo negabit, qui ad experientiam magiſtram animum aduertere voluerit. conf. celeb. *Hoffmann.* medic. ſyſtem. tom. 3. ſect. 2. toto cap. 8.

(b) Diſputari velim de theoria, donec theorica eruatur veritas, quæ forſan ante mundi finem ex ſuo puteo integra haud prodibit;

Aut doctas rixas vano oſtentemus hiatu,
Queis ipſis maior febribus ardor ineſt. (c)

Imitemur potius philoſophos morales, qui ex dogmatibus ſectarum diuerſis eadem virtutis præcepta eruunt: ſequamur aſtronomorum prudentiam, qui *Copernicanæ*, *Tychonicæ*, aliiue ſectæ, aut hypotheſi ſingulari, addicti, vbi ad praxin venitur, quaſi συγκρητιζοντες, in computandis, ad ſolam fidam obſeruationum αναλογιαν, ſiderum motibus, amice conſpirant.

§. III.

Dubitatio generalis de cauſſis febrium, typorum, & periodorum.

Idem eſto iudicium de controuerſiis & opinionum varietatibus circa naturam & cauſſas proximas febrium. *Talborius*, empiricus Anglus, antequam conſuetum ſibi corticis vſum diuulgaret, quum ad ægrotum quendam, febri chronica laborantem, acciretur, ægre admiſſus in conſilium a medicis, qui curam diu fruſtra geſſerant, in primo conſultationis limine grauiter a doctorum decano interrogatur: quid eſt febris? Reſpondet ille voce verecunda: febris, vti exiſtimo, eſt morbus, quem definire nescio, curare ſcio; vos, qui definire forte noſtis, curare neſcitis. *Meibomius* (d) eleganter, vt ſolet, ad reconditam cauſſæ febrium naturam applicat illud poetæ:

dibit; ſed in facienda medicina vnanimes, vti decet, optauerim omnes. Priuata res eſt opinio theoretica; praxis publicæ vtilitati litat. Factitent medici, quod Ariſtides ac Themiſtocles, proceres Attici, perpetuo priuatim inter ſe diſceptantes, ſed, "quoties "publica negotia gererent, "deponentes finis obtinendi "cauſſa ſimultatem, quam, "reuerſi ad priuata ſtudia, "reſumebant." *Plutarchus.*

(c) *Lockius* ad *Sydenhamium.*

(d) de febribus intermitt. epid. §. 33.

Nescire velle, quæ magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

"In artibus, ait, ita comparatum eſt, vt, quamuis το διοτι "non aſſequamur, feliciter tamen progredi poſſimus, id "quod in medicina quotidie vſu venit." Neque vanus eſt *Bagilui* (e) aphorismus: "febris, ſi phænomena ſpectes, "reliquis morbis eſt notior, ſi conſtitutionem & cauſſam, "omnium ignotiſſimus." (f) Quæ febrium natura, quæ ordinis in motibus febrilibus cauſſa ſit, qui horarum, dierum, hebdomadum, menſium, annique temporum, tam curioſam ſuis periodis & typis rationem habent, vt in horologium aliquod (g) & aſtronomorum calculos iuraſſe videantur, nepotibus forſan aliquando noſtris dilucidius intueri dabitur. (h) Ea ſane cauſſa humano generi vniverſo

(e) prax. med. libr. I. c. 13.

(f) Iungantur ſcitiſſime dicta in *Bergeri* chinchina ab iniquis iudiciis vindicata §. 3. add. *Ramazzinus* orat. 4. opp. p. 45. "veram febrium theoriam & "praxin inter ea eſſe probans, "quæ adhuc deſiderantur. Praxin intelligit febrium maxime continentium, quibus nihil magis optat, quam remedium, "quod eadem eas "ſecuritate ſanet, quam cortex "Peruuianus ſanat periodicas, quem magnificis laudibus effert. p. 54.

(g) cl. *Camerarius* cautel. medic. p. "142. Tam ſtatarum præciſarum-"que periodorum, ad horæ etiam "minutum adſtrictarum ac ho-"rologiorum non raro exacti-"tidunem ſuperantium, redde-"re cauſſam manifeſtam, omnes "omnium hactenus ſcriptorum "vires ſuperauit.

(h) *Kerkring.* ſpicil. annat. obſ. 71. "Fatigauit maiores noſtros "omnes, & etiamnum fatigat nos "illa febrium proprietas, quod "ita certis interuallis redeant, "tamquam ſi, ad condictum ci-"tatæ tempus, mulctandam ſuam "vel abſentiam, vel tarditatem, "vererentur. Huius rei ratio-"nem nemo, quod ſciam, ha-"ctenus eam reddidit, cui-"mens humana acquiesceret.

uerſo communis eſſe, & ſtatam aliquam naturæ lege periodum pro fundamento habere, vel concurrentem reſpicere, videtur, & quidem eandem, quæ horas & tempora in atmosphæra & terrarum orbe metitur, vel eius omnino ſimilem. (i)

§. IV.

Reſpectum ad cauſſam aliquam ita communem & naturaliter ordinatam videre nobis videmur, tum in ipſa febrium per totum genus humanum frequentia, (a) tum in

Obſeruationes communes de febrium ratione typica & periodica.

(i) Aphorismus *Newtoni* eſt princip. phil. nat. mathem. p. 402. "effectuum naturalium, eiusdem generis, eædem ſunt "cauſſæ.

(a) Sunt loca alia atque alia harum vel illarum febrium minus feracia: habent tamen illa ipſa alias, ceteris morbis vel frequentiores, vel etiam accedentes. Ita *Bontius* de meth. med. in India c. 34. "Febres, "quæ in Indiis nascuntur, pleræque aut ſunt ſymtomaticæ, "aut continuæ per ſe, ac, vt fere "ſemper, ſynochi putridæ. Quæ "vero certam periodum ſeruarent cum intermiſſione, vix "memini me vidiſſe, niſi vnam "ac alteram quartanam, eamque cum ægro e patria delatam, "quæ hic miſerrime in hydropem, & inde in certiſſimam "mortem, deſiere. Tertianæ "tam raræ ſunt, vt liceat hic "dicere, quod hirundo vna non "faciat ver." Si quis eiusmodi ſub aere verſetur, mirum non fuerit, ſi remedia periodicas maxime febres fugantia paruo habeat in pretio. Sunt vero in quauis Europæ regione loca, ſunt etiam tempora, quæ vel paucas eiusmodi ferunt, vel faciliores plerumque, alius generis febribus magis obnoxia. Qui non niſi ibi loci, aut tum temporis medicinam fecerit, is ſi ex ſua praxi, & naturæ apud ſuos ægros αυταρχεια, ſuarumque medelarum facili felicitate, alios medentes, qui alibi difficilius curant, generoſiorique medela opus habent, iudicare præſumat, næ ille perperam iudicauerit.

in earum ſpecialium ſpecialibus, & communibus tamen toti ſpeciei, typis, temporibus, criſibusque, maxime vero harum, quas periodicas vocamus. Paroxysmi in toto tertianarum genere, in quauis natione, ætate, ſexu, conſtitutione, alternis diebus æque certo ordine contingunt.

febres multiplices. Duplices, quæ frequentiſſimæ ſunt, triplices, immo multiplices (b) acceſſiones experientia quotidiana oſtendit, horis ſuis & ſymptomatibus per alternos dies ita exquiſite ſibi inuicem reſpondentes, vt paroxyſmum primum a ſecundo, & ſingulos a ſingulis, vel ipſe æger diſcriminare poſſit: etſi anticipant ſæpe, vel poſtponunt aliquot horis, antequam, per alienorum humorum motus, firmum typum, efformari licuit, vel vbi alia mutationis cauſſa extrinſecus accidit. Neque vna acceſſio alterius materiam ita conſumere videtur, vt morbus inde breuior, facilior-que euadat, &, licet altera ceſſante, ſupereſt conſtanter ſæpe altera, vt nihil eas, præter typi ſimilitudinem, & naturæ ſuæ ingenium tertianum, commune habere, euidenter appareat. Idem plane de quotidianis (c) & quartanis valet.

mixtæ. (d) Sunt etiam febres ex diuerſo genere mixtæ, vbi tertianæ, quartanæ, quotidianæ intermittentes, vel continuæ, vario modo, & ſuo quæque ordine accedunt,

---

(b) v. *Rhod.* obſeruat. 7. cent. 1. de tertiana ſextuplici. Haud raro ſimilia nobis obuenerunt. Octuplicem notat *Caprilius* apud *Tortum* therap. ſpecial. p. 317.

(c) *Celſus* L. 3. c. 3. "acceſſiones "inquit, modo ſingulæ ſingulis "diebus fiunt, modo binæ plu-"resue concurrunt. Ex quo "ſæpe euenit, vt quotidie plures "acceſſiones remiſſioneſue fiant: "ſic tamen, vt vnaquæque alicui "priori reſpondeat."

(d) Quartana ſextuplex notata eſt a *Rhodio* cent. 1. obſ. 15. & a *Capiuaccio* apud *Bartholinum* act. Hafn. vol. 5. obſ. 20. Nobis ſimilia viſa teſtamur, alibi vberius enarranda.

dunt, & eo temporis momento grauiſſime affligunt, quo, per ordinis rationem, paroxyſmus duplex ex diuerſis febribus coniungitur : qua fere in re omnem criticorum dierum rationem collocat ingenioſiſſimus *Fracaſtorius.* (e) Vidimus aliquoties quintanas, (f) quas tertianas nothas, & ſæpe putridas, eſſe credimus, quarum vnus paroxysmus intercidit : vidimus ſemel ſeptimanam, (g) ex quartanarum forte cenſu, vbi itidem vna acceſſio prætermittitur, quorſum forſan etiam, duobus paroxyſmis intercidentibus, decimanæ (h) ſpectant, nobis haud obſeruatæ. Octanas (i) frequentius comperimus, quæ, per eosdem ſingulæ hebdomadis dies, quater ſingulis menſibus, veluti lunæ fere phaſes, acciderunt. Nuperrime primum ſex paroxyſmos exquiſitos nonanæ ſeu no-

typus quintanus, ſeptimanus, aliique.

nonanus obſeru. partic. 49.

(e) ſingulari tractatu de dierum criticorum cauſſis.

(f) *Hippocr.* de carnibus ſect. 3. & 1. epid. 3. Hæ duplicatæ leguntur in miſcell. natur. cur. dec. II. a. 9. & 10. obſ. 77. Quintanam peſſimam eſſe omnium dicit *Hippocrates*, quæ & ante tabem accidens, & tabi ſuperueniens, perimat: qualia & nos exempla notauimus, * & bis tamen cortice feliciter medicati ſumus. Obſeruauit vltra XVIII. menſes durantem, ſanauit remediis ſumme amaris, & putredini potenter reſiſtentibus, & aqua mulſa, *Tulpius* obſeru. l. 3. c. 52.

(g) *Hippocr.* epid. 3. longam pronuntiat, ſed haud θανασιμον, quod fere de quartana etiam cenſetur.

(h) Obſeruauit *Gilbertus Anglus* l. 1. compend. de febribus: qui & ſextanas notat, quas etiam agnoscit *Fernelius*, l. 4. c. 14. *Sauonarola*, aliique, nobis nondum viſas, quæque ſeptimanæ forſan, aut octanæ, anticipantes ſunt.

* *obſerv. partic. 50.*

(i) *Cole* hypotyp. febr. interm. c. 7. *Amat. Luſit.* cent. 2. curat. 75. eph. natur. cur. dec. II. a. 5. app. obſ. 64. *Rhodius* cent. 1. obſ. 18. 19. Septimanarum nomine confundi ſolent.

nouenariæ febris (k), in puella duodecim annorum ſcrophulis laborante, obſeruauimus: ſeptimi loco nonniſi cephalalgia & laſſitudo obtigit, octauus plane non reuerſus eſt. Remedia nulla adhibuimus, præterquam bis quotidie guttas quadraginta tincturæ vitrioli martis *Ludouici*, quod medicamentum alias in diſpoſitione ſcrophuloſa, & huic perquam familiari obſtructione meſenterii, variisque inde oriundis creſcentium morbis, vtiliſſimum ſæpe reperimus. Ad octanas, per diem vnum poſtponentes, forte ſpectat hæc febris: quemadmodum fluxus muliebris, poſt quinque hebdomades multis contingens, ad menſtruum refertur. Notauimus, quæ ſemel quouis menſe (l) ephemerarum inſtar euenerunt, & alias, bis per menſem redeuntes, quas quatuordecimanas, vel quindecimanas vocant. Sunt etiam, quod præcipue notabile eſt, & obſeruatu vtile eſſe videtur, frequentiſſimæ recidiuæ per lunæ vel anni mutationes, vel certe lunari aut annuæ periodo parem interualli durationem, licet ſponte ceſſent, vel remediis profligentur. Plerumque etiam non promiſcuum aliquod horarum interuallum, ſed ordinatum obſeruatur, ad vnius vel plurium integrorum fere dierum, ſeu νυχθημερων, tempus, cuius ſpatio ſemel vel bis, veluti æſtus maris microcosmici, per certas horas increscere, & rurſum declinare, videtur acceſſio. Taceo horas diei certas,

hora ordinata.

(k) *Hippocr.* I. epid. 3.

(l) Ephem. I. c. conf. exempla *Schenk.* obſeru. lib. 6. & de quatuordecimanis, quindecimanis, annuis exquiſitis, aliisque rarioribus typis, ap. *Reies* camp. elyſ. iucundar. quæſtion. L. 21. p. 947. ſqq. & *Foreſt.* L. 3. obſ. 43. qui de quintana præcipue agit, ſed & ceteras ſpecies docte pertractat.

tas, quamuis res illa perpetua non sit, assignatas ab obseruatoribus tempori inuasionis & durationis, in singulis febrium legitimarum generibus, quas dudum medicorum schola nouit (m): dum recentioribus exprobrat illustr. *Stahlius*, (n) horum vix centesimum hac de re inaudiuisse: supina in illis hominibus, quibus hoc merito imputatur, ignorantia. Curiosum est, (quod adeo sæpe, licet non semper, notaui, vt quandam etiam naturæ legem (o), & certam proportionem caussæ typorum generalis ad corporis humores & structuram, subesse suspicer,) consueuisse tertianas, antequam ad certum diei tempus se adstrinxerunt, per tres accurate horas, (p) siue octauam diei partem, anticipare; quotidianas autem veras postponere (q) per horas duas, seu partem νυχθημερὸν duodecimam. Febres etiam ex tertianarum genere, præsertim illegitimas pleras-

(m) v. qui in omnium manibus est *Sennertus* de febrius L. 2. c. 19. p. 289. *Gabelchouer.* obseruat. cent. 6. p. 171. *Sauonarola* de febribus p. 48. 55. *Trincauellus* & plerique vetustiores.

(n) præfat. problematum de febribus.

(o) celeb. *Camerarius* medic. eclect. p. 142. "ii, inquit, febrium accessus, qui anticipare "solent, periodis id agunt eadem vt plurimum præcisione "circumscriptis.

(p) In hac obseruatione fundatur, quod supra p. 147. diximus de salibus in principio tertianarum, sex horis ante prioris accessionis tempus, exhibendis. Mens enim est, ea dare trihorio circiter antequam altera accedat. Quod si deinceps per breuius tempus, vti sæpe fit, vel plane non amplius anticipare febris notetur, propius etiam deinde ab hora prioris paroxysmi ante sequentem datur sal febrifugum.

(q) De solis tertianis, neque de his etiam perpetuo, verum esse solet vulgatum illud: anticipante accessione longiorem, postponente breuiorem febrim significari. Quotidianæ veræ, licet ita postponentes, per se longissimæ esse solent.

rasque, aut manifeſte duplicari ſolere, aut ſex duodecimue horis ante paroxysmum, veluti ſecundariis motibus, inuadere veriſſimum eſt, (r) Memorabile itidem eſt febres tertianas & τριταιοφυεις plerasque tertia exacerbatione, adeoque die quinto a morbi initio, grauiſſime affligere, eamque, ſi quid timendum eſt, maxime debere timeri, dum ſecundus paroxysmus longe mitior ſæpe eſt. Immo optimum item eſt indicium febris breuis & facilis, ſi tertia acceſſio non nimis grauiter acerbatur. Exaſperantur ita in plurimis ægris alternæ acceſſiones, vt quinta quartam, ſeptima ſextam rurſus violentia exſuperet; quamuis id certum omnino & ſtabile non ſit; vti neque illud, quod tamen ſæpenumero, præſertim in febribus magis chronicis obſeruauimus, alternis hebdomadibus grauius laborare ægros typo tertiano febrientes, Supereſſent notabilia hanc in rem plura. Sufficiat nobis heic, febrim eſſe morbum, vbi natura humana ſe typis & periodis diurnis, ſeptimanis, ſeu octonis, menſtruis, annuis, mirabilem in modum, quaſi ad legem naturæ vniuerſi, ita adſtringat, vt, quod dixi, in horographicos aſtronomicosque circulos iuraſſe videri poſſit.

§. V.

Problemata & coniecturæ de febrium, typorum, periodorum cauſſis.

Mihi ſane, in ſtatuendis harum rerum omnium cauſſis, nullam adhuc omnino ſatisfacere hypotheſin, vt omnes ſcrupulos eximat, ingenue fateor, & ætiologiam febrium inter arcana naturæ miracula adhuc reponendam eſſe, pace ſummorum virorum, qui ſuis forte explicationibus ſuæ mul-

(r) *Hippocr.* epidem Libr. VI. ſect. II. aphor. 15. "in his, ait, quæ "ad tertianæ naturam accedunt "nox| ante acceſſionem mo- "leſta eſt." v. *Galenus* ad hunc locum. Hac etiam in re videre eſt αναλογιαν ad duplicem illum oceani æſtum quotidianum: vti febrium cum maris fluxu & refluxu ſimilitudo multis ex phænomenis elucescit.

multorumque curioſitati ſufficiunt, non poſſum non exiſtimare. (a) Ecquid ſibi vult verum illud prouerbium, quo παραδοξον & rarum ſtatuitur, quemquam ſine febre, hoc eſt, ſine inſolita commotione cordis & vaſorum ſanguineorum, & feruiditate maſſæ ſanguineæ typica, ex morbo mori? Cur quælibet fere inſignior reſolutio, turbatio, colliquatio, euacuatio, immo lente etiam & ſine impetu facta, in quouis corpore humano, febriles motus excitare ſolet? Quid id eſt, quod febres, præſertim epidemiæ, tot homines diuerſiſſimi habitus, ſexus, ætatis, diætæ, tam variis de cauſſis, tam ſimiliter corripiant? Cur ſimilis febrium, & typorum, periodorum, tempo-

febrium frequentia & ſimilitudo per ſua genera vniuerſalis. (b)

(a) *Ramazzin.* orat. 4. p. 48. "Quoties cum veterum, tum "recentiorum, medicinæ proce- "rum præſtantiora monumenta, "& quæ creduntur cedro magis "digna volumina, euoluere mihi "volupe eſt; idem profus mihi "euenire ſentio, ac Terentiano "ſeni, qui, cum in filii ſui cauſſa "plures aduocatos arceſſiſſet, "eosque inter ſe pugnantes de- "prehendiſſet, *incertior*, inquit, "*multo ſum, quam dudum.*

(b) *Idem* orat. 4. p. m. 47. "Sola febris non epidemii, non "endemii, ſed cosmici, id eſt, "mundani affectus, cognomen- "tum ſibi adſciuit, & adaptauit. "Quis locus enim, quæ regio "tam inperuia, extra anni ſolis- "que vias, gelidoque ſub axe, "quo non peruadat febrile in- "cendium? Habent ætates ſuos "peculiares morbos, ſuos ſe- "xuum diuerſitas, ſuos varia ac "diuerſa anni tempora, ſuos "quoque varia vitæ conditio, & "exercitii genus. Febri non "vacat talia minuta diſtinguere. "Nulla non ætas ei victima iu- "gulatur: non infantilis, quæ "humidiſſima eſt, non ſenilis, "quæ frigidiſſima, ſatis habent "præſidii, ne febrilis flammæ ſint "pabulum; tam fortiori, quam "ſequiori ſexui infeſta eſt febris; "tam pauperes in ſuis tabernis, "quam reges in ſuis turribus "proterit, idque nullo non anni "tempore." Num quid elegantius poteſt dici? num quid verius?

rum, ratio & ordo eſt, in quauis terrarum orbis natione & regione, vti in quauis ætate, ſtatura, & conſtitutione? Eſt ne in ipſa, quæ humano generi communis eſt, craſi ſanguinis, aut etiam in fibris motricibus, aliquod connatum, & perpetua cum externo aere communicatione ſuſtentatum elementum, vbi fere ſimile, aereum, elaſticum, quod arcte intextum ſit texturæ naturali fluidarum ſolidarumque corporis partium, earumque compage coerceatur, ne, oscillatione ſua & niſu elaſtico, alios, niſi ſalubres & naturales, motus aut feruores facile cieat? (c) Eſt ne illud aptum, ſi qua de cauſſa expandatur nimium, & ſui iuris plus iuſto fiat, vltra craſeos humorum æquilibrium, ſi præſertim inquinetur a particulis peregrinis, vel male moueatur, eum orgasmum inducere, qui feruorem hunc typicum repræſentet, hanc naturæ luctam cum eo, quod alienum eſt, quam febrim vocamus? (d) Numquid illa

elementum aereum in corpore humano num febrium typorum cauſſa?

(c) Conſtat equidem aerem, ſi aquæ, aliisque liquoribus, etiam ipſis humoribus corporis humani, immixtus ſit, non eam plane exhibere efficaciratem, ea phænomna, quæ eidem ſibi relicto, aut a liquidioris ſubſtantiæ vinculis expedito, competunt: adeo vt eiusmodi aer aeris nomine vix vocari merere doctiſſimis viris videatur. Vbi vbi tamen impedita hæreat aeri elementi portio, co fluit ſemper & conſpirat cum ipſa maſſa atmoſphærica, ac maturæ ſuæ virtutisque motricis elaſticæ particeps eſt, participesque iuſto modo facit humores ſibi iunctos: quam virtutem, pro maiori aut minori impedimenti robore, calorisque aut aliarum exſolutionis cauſſarum ratione, magis aut minus efficaciter, craſſius aut ſubtilius, euidentius aut obſcurius, ſerius aut ocyus, violenter aut ſenſim ſenſimque exſerit. Oſcillatio aeris interni, a *Borello* aſſerta, explodi non meretur.

(d) De aliis morbis periodicis, præſertim conuulſiuis, ſeu ſpasmodicis, iam non agimus, qui ſuo forte modo febribus accenſeri, atque ad eiusdem generis cauſſam referri merentur.

illa ipſa materia elaſtica, quamuis humani corporis (e) ob

*(e) Bruta etiam animantia, communi nobiscum aere vtentia, ſuas pati febres, & contagiones, & affectus conuulſiuos & typicos, & febriles variarum ſpecierum, pro materiæ morbidæ & corporum diuerſitate, experientia quotidie docet, quamuis in humano genere frequentius notentur, & cum pluribus typorum & periodorum curioſitatibus. Demiror ergo ill. *Stahlium* in hiſtor. febris in genere p. 5. confidenter aphorismum pronuntiare: "febribus nullum "animal obnoxium eſſe appa-"ret, præter hominem:" forte vt hypotheſi ſuæ de anima rationali febrilium motuum cauſſa probabilitatem addat. Loquitur, vt ait, de febribus variarum ſpecierum, & tali indole, motu, typo, conſpicuis, quales partem eſſentiæ febrium in homine conſtituere notum eſt. Vt vnum exemplum dilucidum in contrarium adducam: quis ſpeciem, indolem, motum, typum, eſſentiam febris, qualis in homine eſt, non agnoscat? vbi *Ramazzinus* p. 13. de contagioſa epidemia boum Patauina ſcribit: "affe- "ctionis genus, quod bubulo "generi bellum ad interneciо- "nem vsque videtur indixiſſe, "ex *frigore*, *rigore*, *horripilatio*- "*ne*, mox ex *calore* acri & vehe- "menti per vniuerſum corpus "diffuſo, cum *pulſus frequentia*, "febrem eſſe ſatis liquet: *ma*- "*lignam* vero aperte teſtantur "ſymptomata: magna *anxietas*, "grauis anhelitus, etiam cum "ſtertore, ſtupor & ſpecies quæ- "dam *veterni*, continuus ex ore "& naribus graueolentis ma- "teriæ deſcenſus, fœtidiſſima "alui proluuies, interdum etiam "cruenta, *anorexia*, & abolita "ruminatio, *puſtulæ quinta* vel "*ſexta die* per totum corpus "erumpentes, ac tubercula va- "riolorum ſpeciem referentia, "communis tandem omnium "eodem modo circa *quintam* & "*ſeptimam* interitus." add. *Michelotti* conghietture ſopra l'infirmitá degli animali bovini, item *Lanciſius* de bouilla peſte P. 3. c. 2. 3. vbi p. 116. ſq. "ne- "que vero, ait, quin febris af- "fectos boues vreret dubitan- "dum erat: nempe non modo "veterinarii medici, ſed ipſe

* *Brutorum animalium febres.*

ego

intimam immixtionem pars ſit, pars tamen etiam eſt purioris & ſubtilioris atmoſphæræ aereæ, (f) & huius motus

"ego, in illorum arteriis caro-
"tidibus, & axillaribus, ſum-
"mam *ſemper*, ac ſtatim ab ini-
"tio, *celeritatem* ac *frequentiam*
"*pulſus* deprehendi. Plerique
"peribant intra *diem ſeptimum*,
"pauci per *abſceſſum* ac *decubi-*
"*tum* euadebant." Idem in append. de equorum epidemia, p. 127. ſq. duplicem equorum febrem, acutam magis alteram & periculoſiorem, ex inflammatione visceris alicuius, alteram minus perniciosam, magisque lentam, malidis nomine inſignitam, graphice deſcribit, & ex antiqua nouaque experientia confirmat, & a febri nihil omnino differre obſeruat. Immo vero Caroli *Ruini*, medici Bononienſis, anatomia & medicina equorum, ab Petro *Vffenbachio*, medico Francofurtenſi, Germanice verſa, 1603. prodiit, vbi P. 2. l. 1. c. 8-21. luculenter & diſtincte omnigenæ equorum febres oſtenduntur, continentes, continuæ, intermittentes, catarrhales, vlceroſæ, peſtilentiales. Periodicas quidem febres non ita memorat *Solleyſel* in *parfait marechal*; varias tamen recenſet ſpecies ſibi obſeruatas, ſimplices, putridas, peſtilentes. Aſſentiunt, quos interrogaui, veterinarii multo vſu exerciti, aliique equis ſtudentes, neque quemquam ea de re dubitare poſſe putant. Paria de aliis animantibus demonſtrare facile eſt.

(f) De partis atmoſphæræ aereæ præſentia in ſanguine egregie agit *Bellinus* de oui aere, & reſpiratione, opp. T. 2. p. 135. ſqq. & duabus epiſtolis, quæ exſtant in *giornalo de' letterati* T. 2. p. 41. ſqq. T. 4. p. 147. ſqq. item ill. *Bergerus* de natura humana c. 5. vbi partem aeris cum nutrimento ſanguinem ingredi, partem etiam, quod hodie aliqui negant, in vaſis pulmonum reſpiratione permisceri probat, non vt refrigeretur ſanguis, aut condenſetur, quod antiquitus quibusdam viſum eſt; ſed potius "vt vi aerearum par-
"ticularum elaſtica, & ipſo or-
"ganorum motu, diuidatur, at-
"tenuetur, & *incalescat*." Idem antea de reſpirationis efficacia, non refrigerio & condenſationi, ſed

tus naturales & aduentitios ſequi amat, per mechanicam ὁμογενεων & connexorum rationem? Num forte eoſdem re vera magis minuſue accurate ſub ſtatu febrili ſequitur, &, oſcillante ſuo motu, periodos & typos regulares, qua tales, inducit, ſed qui diuerſi euadant neceſſe eſt, pro admixtæ materiæ alienæ, pro aucti, imminuti, preſſi, relaxati elateris diuerſa ratione, & proportione ad humores fibrasque corporis, quæ itidem ſingula mechanico motu, & niſu natiuo gaudent? Hi typi, hæ periodi, ſeruantne ea propter plerumque ſuo modo reſpectum ad naturalem illum, & ſecundum ſolis lunæ periodos, ad horas, dies, hebdomades, menſes, annique tempora, ordinatum atmoſphæræ totius, præſertim qua purioris, motum perpetuum, fluxumque & refluxum, quem tot ac tanta effluuia terraquea, inferiori aeri immixta, turbare penitus non poſſunt, licet diuerſimode afficiant & mutent: vti etiam aer noſtro corpori intus immixtus varias mutationes a partibus ipſius corporis, & a peregrinis ſæpe inquinamentis, patitur. Atque hæc licet ita ſe habeant, quid eſt, quod

reſpectus ad motum periodi cum atmoſphæra.

ſed attenuationi & incalescentiæ magis ſeruiente, docuerunt plurium antiquorum & recentium medicorum ſcholæ. v. in primis *Thruſtoni* diatribe de reſpirationis vſu primario, ſcripta anno 1664. & exſtans in *Hangeti* & *Clerici* biblioth. anat. P. II. Ibi p. 175. ſqq. operoſe deducitur, "quo pacto "*fluiditatis* & *caloris motus* re"ſpirationis beneficio in ſangui"ne conſeruentur." Neſcio ergo, quum ſententia illa, quæ vera & ſolida nobis quoque videtur, dudum trita fuerit, quo tendat, quod haud ita pridem doctiſſimum virum in notis ad *Harueum* ſcripſiſſe reperio p. 158. "Ego certe, inquit, auſu vltra "ætatem virili, anno 1684. 85. "*contra omnem ſcholæ medicæ* "auctoritatem, collegiis, & ſcri"ptis dictatis edicere non dubi"taui: quod ſanguis per *reſpi*"*rationem* non modo *non refri*"*geretur*, ſed plane in contrari"um *incaleſcat*.

differentia & materia ſpecifica ſingularum febrium.

ſingulorum febris generum differentiam ſingularem conſtituit? Quid quotidianam febrem non poſt horas incertas, ſed ſtato fere quotidie momento, quid tertianam, quid quartanam, aliasque, non poſt dimidium, ſed integrum diem ſerius reuocat plerumque? cur non plures & incertæ ſunt diuerſitates, ſi ſola maior minorue materiæ mobilitas in culpa eſt? Cur febres multiplices ſibi inuicem ſine confuſione reſpondent? Quid dies & horas critici temporis, quid tempora reuerſionum ſingulis morbis ſingulariter adſignat, & horographicos quaſi aſtronomicosque calculos ſubducit? Si res a ſapienti principio interno dependet, vti dici audio, quod prudenter, pro æſtimatione materiæ & virium morali, moueat & quiescat, cur multiplicantur acceſſiones vltra virium tolerantiam, & tamen alternis vicibus ſibi accurate reſpondent? cur mixtarum febrium paroxysmi ſinguli ſuo quisque tempore eueniunt, &, vti fortuna ordoque fert, non vti moralis æſtimatio, in vnum momentum cadunt ſæpe, quo grauiſſime æger affligitur? Atque talia in eiusmodi febribus vbique terrarum ſemper eueniunt, & a primo inde morbi initio, vt vis conſuetudinis, certo tempore motus iterantis, accuſari non poſſit. Mechanica puto, non voluntaria ratio eſt. Materia eſt, & cauſſa corporea, non moralis, quæ motum febris cuiuslibet naturali quadam conſecutione ciet, eaque materia craſin & elaſticam vim habere debet ſingularis generis, quamdiu typum ſibi peculiarem excitat. (g) Naſcitur illa forſan

(g) Vti typorum compoſitio, duplicatio, multiplicatio variam, conſtantia conſtantem, ita mutatio mutatam, & ceſſatio exhauſtam aut occultatam *materiam*, vel ſemper, vti nos ſtatuimus, vel plerumque indicat; vt ad *motus ſine materia*, ſi vnquam omnino, quod probari nequit, certe rariſſime, confugiendum in

forſan a peregrina quadam impuritate aquoſa & aerea, ex aquis in diuerſimode variam, lixiuam, ſulfuream, & vaporoſam, fortaſſis etiam verminoſam putredinem, ſtagnatione, & elateris expanſione, & motu partium inteſtino, reſolutis, hauſta infeliciter, vel in cibis ſumta, vel ex pariter corruptis alicubi ipſius corporis ſuccis, aut ipſis partibus ſolidis, oriunda. Talis materies, pro diuerſa ſui, & corporis, & ambientis aeris conſtitutione, ad orgasmum diuerſimode febrilem excitandum prona fieri potuerit, ſi certis tum visceribus & fibris, tum ſanguinis ceterorumque humorum partibus, ſe profundius inſinuet, atque partes quidem

materiæ febrilis generatio & motus.

---

in febrium doctrina eſſe videatur. Notabilia hanc in rem habet de quartana *Bartholin.* hiſt. anat. cent. 3. 55. quamuis variationem ſæpe etiam noxiam, neque typum quotidianum ex quartana genitum tutum ſemper eſſe, vel *Celſo* monitore, in vulgus notum ſit, neque *Bartholino* his obſeruationibus negatum. "Quartana, ait, ſcandalum "illud medicorum, vbi ſatis de- "ſæuiit, & ægrum læto omine "eſt relictura, *varium typum* in- "duit, variasque formas, Protei "inſtar. *Conſtans* eſt, & ſemper "eodem tenore affligit ſi vel "ad interitum vergit, vel gra- "uioribus ſymptomatis, vt hy- "drope, phthiſi, &c. ſui abſen- "tiam eſt compenſatura. *Va-* "*riat* vero vices, ſi ſalutis ſpes "eſt. * Quartana laborabat con- "ſanguineus meus, *ſtatasque* diu "ſeruabat periodos. At tan- "dem, quum paroxysmus po- "ſtero die expectaretur, præter "ſpem *die priori* inuaſit, ſicque "*poſtero die liber & ſequentibus* "euaſit. In aliis non paucis "meæ curæ ſubiectis obſerua- "ui, quartanam, *vbi deſitura eſt*, "quotidie per octiduum perſe- "uerare, tandemque poſt lar- "gam *diarrhœam*, vel *hæmorrho- "ides*, vel *ſudores*, *terminari*, cum "ſalute ægrorum. Ratio eſt, "quod *mota* in corpore *materia*, "& ſedibus ſuis diſcuſſa, quo- "tidie moueatur, & quacunque "*criſi naturæ* facile tum expella- "tur, quod inſtante ſolſtitio "felicius ſuccedere expertus "ſum.

* *obſerv. partic.* 51.

quidem ſolidas in obeundo munere turbet, humores vero varia ratione corrumpat, & aerem internum æquilibrio emoueat. Ex hac deinde motus, & mixtionis, & æquilibrii turbatione, atque ita ex *coniunctione & proportione ſpecifica præternaturalis illius humoris cum aliquo naturali*, qui ex ſua indole iam ad motus quotidianos, tertianos, quartanos magis aptus ſit, & ex *motu præter naturam hinc neceſſario mechaniæ conſequente*, continentem cuiusque febris, paroxyſmi, ſymptomatum, periodi cauſſam oriri, probabile eſſe videatur. Neque enim vana omnino eſt, ſi ſobrie accipiatur, veterum ſapientum ſententia: febres quidem totam ſanguinis maſſam mouere, & eas omnes, magis præcipue vero tertianas, ab illa eius parte ſaponacea, quæ bilis (h) vocetur, in hepate legitime ſeparanda; quartanas maxime etiam a melancholia, id eſt, parte ſanguinis magis terrea & ſalſa, lienis potiſſimum attritu conterenda; quotidianas a pituita ſimul, ſeu ſalina minus terreſtri, in pancreate ſimilibusque glandulis maxime præparanda, fieri: atque in tertianis quidem hepar, in quartanis lienem, in quotidianis ſero vel lymphæ dicata

(h) *Hippocrates* de natura hominis: "omnes, inquit, febres "oriunter a bile, quarum ſunt "quatuor ſpecies' præter eas, "quæ dolores eximios comitan- "tur: continens, quotidiana, "tertiana, quartana." Redundantis, & mixtione ſua vitiatæ, motusque ordine exturbatæ bilis feruor, præ ceteris natiuis corporis humoribus, tantus eſt, vt id in ſanguinis maſſam agere videatur, quod, apud *Virgilium*, in oceanum Eridanus quo non alius

In mare purpureum violentior influit amnis.

v. omnino cl. *Bianchi* hiſt. hepat. P. 2. c. 9. de morbis a ſecretione hepatis deprauata: & P. 3. p. 258. ſqq. de bilis naturalis in febriferam mutatione.

dicata vaſa ſingulariter affici ſolere ; & ſeroſos ſalinosque humores moueri ſolere quotidie, bilem ſaponaceam flauam & amaram feruidiorem tertio, atram ſalſam & auſteram grauiorem quarto die, ſicubi inquinentur maxime, & reſtagnent, & incitentur. Eſſe naturaliter in mixtione humani ſanguinis particulas diuerſas, quarum aliæ quotidie, aliæ alternis diebus, aliæ quartanarum modo magis commoueri, vel ſua natura, vel & ſolidorum diſpoſitione, & varia proportione ad atmoſphæræ motus periodicos, aptiores ſint, multæ ſuadent obſeruationes, quæ veterum præcipue monumenta volutantibus obuiæ ſunt, & maxime frequentia illorum typorum, aut alicuius ex illis, in febris, morbi illius generaliſſimi, generibus plerisque, tam continuis, etiamſi continentes fere eſſe videantur, & typus non niſi obſcurus ſit, quam intermittentibus, & ex earum genere plurimis. (i) Neque certis partibus ſolidis, & viſceribus, functio ad alias aliasque earum particularum præparandas, ſecernendas, depurandas, præcipue magis deſtinata, negari poteſt : quamuis omnia confluant & conſpirent. Fieri autem illa cuncta videntur ad mechanices & hydroſtatices regulas, quibus omnes omnino ſolidarum fluidarumque rerum in terrarum orbe motus & quietes, mixtiones, ſeparationes, expanſiones, preſſiones, efferuescentiæ, fermentationes, putredines, certa lege ſubiecta ſunt. (k) Pro iisdem ergo regulis (l) equidem euenire

(i) Conf. *Fracaſtorius* de cauſſis dierum criticorum.

(k) v. cl. *Keillii* leges attractionis, vbi hanc rem ſolidiſſime probauit, & luculenter expoſuit, in *philoſphical tranſactions* n. 315. *Freind.* prælectiones chymicæ iisdem principiis innixæ.

(l) v. cl. *Bianchi* hiſtor. hepat. p. 844. ſqq. vbi epiſtola geometrico practica de febris natura & effectibus exſtat, egregie elaborata.

nire crediderim tum generationem ipſam cuiuſuis materiæ febrilis, tum quietem eius typicam, niſi tunc motus potius inſenſibilis eſt, & commotionem denuo notabilem, exaltationem, & orgaſmum acceſſioni excitandæ ſufficientem. Ad eandem normam fieri exiſtimem collectionem eius materiæ, vti opinor, circa inteſtinum duodenum, irritationem huius & neruorum partiumque connexarum, attenuationem, vt, ſine iuſta licet proportione, ſanguinem ingredi poſſit, motus in genere neruoſo, corde, arteriis, & vaſis ceteris, ipſoque ſanguine & inde prognatis liquoribus excitatos, cum inſequente attritu, deſpumatione, & criſi ſingulari. Poſtquam hæc materia ſuo tempore deferbuit, tunc deinde iisdem legibus, eadem rurſus generata, vel mota, vel ad iuſtum efficaciæ gradum euecta, nouus paroxyſmus per ſua interualla redire videtur.

§. VI.

Explicatio opinionis de cauſſa concurrente periodorum mechanica vniuerſali, nempe athmoſphæræ motu periodico.

Cauſſam autem illorum interuallorum, quatenus ſiderum periodis diurnis, ſeptimanis, menſtruis, annuis reſpondere, & horas, dies, hebdomades, menſes, numerare videntur, lubens equidem quæſiuerim in proportione materiæ febrilis, aeriſque elaſtici, qui illius, vti omnium in corpore humorum, partem conſtituit, ad aerem atmoſphæricum. Atqui hic non ſolum vaporibus terraqueis, tempeſtatibusque mutatur; verum etiam, oceani inſtar, regulares ſiderum circuitus ſequitur, &, quod in vulgus notum eſt, ventum exinde generalem, ab oriente in occidentem, excitat (a), vt quotidiana ſolis maxime periodus fert, immo

(a) Taceo ventum alium, nempe zephyroauſtrum, quem itidem generalem eſſe, & vbiuis in ſuperno aere flare reputauit ingenio-

immo ipſos fluxus & refluxus ordinatos, quamuis ſenſibus haud obuios, patiatur neceſſe eſt, per dierum, (b) menſium, & anni mutationes mutandos, ad mechanicum ſolis, vel terræ potius, & lunæ motum, quæ ſidera ætherem inter & terrarum orbem, per ordinatas periodos, quotidie per ſingula puncta ſemel, ſua corpora interponunt: (c) vt taceam

nioſiſſimus quondam phyſicus & mathematicus lenenſis, *Hambergerus*, vnde phænomena barometri eleganter explicauit diſſertatione peculiari. Nempe quo magis oppoſitus ſit vento iſti generali particularis, qui in inferiori aere flet, eo plures cumulari ſimul partes aereas cenſet, atque ideo flante euroborea maxime omnium ponderoſam fieri atmosphæram, & mercurii adſcenſum promoueri.

(b) Duplicem quotidie fluxum & refluxum notabilem oceanus grauior, ſpiſſior, ſolis calori minus expoſitus, magisque ὁμογενης habet, tum a verticali, tum ab oppoſito lunæ ſitu. Forſan aer ab illo notabilius, ab hoc vero minus afficitur, & alterum æſtum non niſi obſcurius patitur: quum præterea diurna ſolis periodo, vaporibusque terreſtribus variis, potentius afficiatur. Hinccine aliqua ratio dari poſſit, cur febres regulares horarum interuallo certiori, neque dimidiis plerumque, ſed integris diebus, differre ſoleant; item cur non tam, vti æſtus maris, per viginti quinque fere horarum, ſed per accuratius νυχθημερα ſpatium diſtingui nitantur? Neque vero excludimus nutritionis, ſomnique, & ceterarum rerum non naturalium, per certas quotidie fere horas, conſuetudinem, & ipſius corporis ordinate ſtructi proprium habitum naturalem.

(c) Experimenta phyſica demonſtrant, eo ſub puncto ſemper, vbi corporum horum aliquod poſitum eſt, maxime luna, expandi aeris atmoſphæram, marisque oceanum, & in altum tolli, quam rem fluxus nomine inſignimus; procedente vero ad aliud punctum ſideris periodo, depreſſionem ſeu refluxum contingere. *Newtonus* homogeneorum attractionem heic allegat, quippe-

effectus hanc in rem ceteros manifestiores quotidianæ annuæque solis periodi, in aerem corpusque nostrum. Regularem oceani fluxum & refluxum a solis & lunæ situ oboriri, & præcipue mutari, demonstrauit, post *Keplerum* (d). solidissime immortalis *Newtonus*. (e) Ex eius deinde principiis (f) idem alii de ipso aere probauerunt (g): adeo, vt non

pe qui demonstrare potius motuum leges, quam causſas ſubtiliores & incertas ſcrutari, propoſuit. Nobis accuſanda videtur impedita, per corpus cæleſte interpoſitum, preſſio ætheris in aerem aquasque noſtras, qui, quum ad latera naturaliter premere non impediatur, eleuationi ſeu fluxui, ſub eo puncto, anſam præbeat, vbi ſidus ſitum eſt, vnde, progrediente ſitu, ſua ſponte conſequatur refluxus. Veritatem nouimus, cauſſam certam phyſici diuinent.

(d) in introd. ad theoriam martis.

(e) princip. philoſ. natur. mathem. L. III. prop. 24. 36. 137. add. cl. *Gregorii* ad *Varen.* geogr. gen. P. I. ſect. 4. c. 13. *Clark.* in not. ad *Rohaulti.* phyſicam. P. II. c. 29 *Newton's theory of tides explained by Hally* philoſ. tranſact. n. 226. p. 445. cel. *Wolffii* phyſica P. II. c. 9. §. 355. ſqq.

(f) Taceo alios philoſophos plurimos, qui, cum *Carteſio*, a preſſione ipſorum corporum ſolis & lunæ in atmosphæram aeream, æſtum in mari deducunt, qui tunc itidem neceſſario primum in aerea maſſa foret.

(g) v. celeb. *Wolff.* phyſic. P. II. c. 3. §. 211. eiusdem element. aerometr. prop. 105. ſchol. 6. ill. *Miad.* diſſert. de imperio ſolis & lunæ in corpus humanum, cum *Musgrauio* de arthritide anomala edita p. 350. ſq. aliique plures, quos tranſactiones philoſophicæ exhibent. Singulares ſunt obſeruationes de mutationibus ventorum & tempeſtatum in oceano, in aliquem cadentibus ex alternis diebus a nouilunio numerandis, typo quaſi tertiano, maxime vero notabiliter in lunæ quadraturas, ap. *Bagliuum* in diſſ. de experimentis circa ſanguinem p. m. 449. ſqq. & *Mariotti* de circulo regulari ventorum, in *traité du mouvement*

non ſolum ſubtilior aer conſtanter ita typice moueri debeat; ſed & venti, & tempeſtates, aliaque meteora, aliquem ſemper ſuo modo reſpectum ad hanc generalem motionem ſeruent: qualis reſpectus in corpore etiam humano, pro diuerſis eius partibus, quarum motus per ſtructuram & texturam longe magis exquiſite regulares ſunt, & quæ aerem ſubtiliorem includunt, iuſta proportione ſeruari debere videtur. Ex hiſce veritatibus phyſicis lucem aliquam obſcuriſſimæ alias typorum & recurſuum doctrinæ affundi forſan aliquando poſſe ſperauerim. Neque eſt, quod cauſſemur æquabilem magis, quam pro febrium diuerſitate, illorum corporum cæleſtium circuitum; quandoquidem proportionem variat difformitas materiæ & naturalis & præternaturalis, (h) & partium ſolidarum mouentium & retardantium, quibus ſingulis ſuus rurſum eſt motus natiuus, & induci poteſt morboſus. Ita motus ipſius oceani, quem a ſiderum periodis affici inter mathematicas veritates eſt, ex loci, tempeſtatum, & rerum circumſtantium ratione, plurimas diuerſitates patitur. Neque obſtat *obiectiones.*

ment des eaux add. *Rohaulti* phyſ. P. 3. c. 11. item de ventis diariis: ſeu typo eorum quotidiano, *Varenii* geograph. gener. L. 1. c. 21. prop. 7. quæque idem prop. 3. ſqq. de variis ventis ſtatis, periodicis, menſtruis, annuis, complura notat.

(h) *Albinus* de febre quartana theſ. 8. "*Motorem* fomitis febrilis ſi *aerem* dixero, non e vero aberrauero. Sed ſemper 'idem non eſt, quin *cum vario ad "ſolem lunamue intuitu* varius "ſit, effectusque variet. Idem "aer erit, qui tubulis incluſum "fomitem commouebit, non "ſingulis vel alternis tantum "diebus, ſed longioribus interuallis, quorum quantitatem "ſola experientia determinabit: "& nihil obſtat, quin plures eius "naturæ fomites in corpore ſint, "vt, recluſo vno, & alter, vel iis- "dem diebus, e breuiori nem-,'pe interuallo, vel alternis die-,'bus, recludatur.

obſtat nobis quotidiana mutatio ſitus lunæ & ſolis in ecliptica, vnde paroxyſmorum, vti fluxus & refluxus, horas quotidie mutari debere putes. Non ſidera pro cauſſa motuum, ſeu paroxyſmorum, agnoſcimus; ſed ipſam materiam morboſam, ipſam humani corporis machinam: ſufficit reſpectum alium ad typicos aeris externi motus, ob aerem intus in corpore verſantem, ſeruari: præcipue tum ad motum illum quotidianum ſimplicem, vnde ventus generalis oritur, tum ad alterum illum, qui in mari quidem bis intra fere νυχθημερον apparet, & æſtus nomine deſingnatur. Et euidens tamen eſt, mutari ſolere ſenſim ſenſimque, præſertim circa notabiliores menſium, & anni, & tempeſtatum mutationes, horas acceſſionum. Neque obeſt, quod, ſi ſingulos variorum ægrorum paroxysmos ad ſolis aut lunæ ſitum contulerimus, tempus quidem inſultus quam diuerſiſſimum inuenturi ſimus. Namque non ſolum ſimplicem ſideris ſitum, ſed totam maxime periodum, ſed oſcillationes aeris a periodice mutato ſitu periodicas, & harum effectus in corpus humanum accuſamus, qui negari non poſſe videntur. Quoties enim iſta ſidera ſuas perficiunt per ſingula puncta periodos, diurnas, ſeptimanas, menſtruas, annuas; toties aeris ſubiecti elaterem, & ideo etiam corpus humanum, & diuerſas eius partes, humores diuerſos, in quibus eius aeris pars ſub diuerſa miſcela continetur, periodica mutatione mechanice afficere abſoluunt, a quocunque etiam tempore materies quæcunque affici inceperit. Experientia tamen etiam conſtat, circa notabilium ſolis & lunæ vicium tempora, & quando fluxus & refluxus maris, qui atmoſphærici æſtus index eſt, maximas patitur mutationes, vel auctus eximie, vel imminutus, morborum etiam, præſertim febrilium, motus typicos, typorumque mutationes, magis eſſe obſeruabiles, vt ſimplex

etiam

etiam ſitus non omnis efficaciæ expers eſſe videatur. (i) Breuiter iterum dicam, quod ſolum volo: ſolis & lunæ circuitus aerem ſubiectum per regulares periodos mutat; mutantur ſecundum aeris mutationes aereæ in corpore particulæ; materia febrilis perquam aerea eſt, & elaſtica, & turbat æquilibrium aeris interni & externi naturale: eſt vero aliquid in febrium motibus nimis vniuerſaliter ſimile, nimis regulare, nimis accurate ad horas, dies integros, hebdomades, menſes, anni tempora, niſu ſpontaneo adſtringi ſolitum, nimis ἀναλογον motui regulari aeris & oceani, quam vt negare queamus, vero valde eſſe ſimilem ſuſpicionem eiusdem cauſſæ concurrentis generalis, nempe periodi ſolis & lunæ, quæ temporarias in orbe vices facit, Calculos vero ſubducere de cauſſis diuerſitatum, quæ in diuerſa proportione motuum particularium, qui in ipſo corpore fiunt, ad motus atmosphæræ generales, conſiſtere videntur

(i) G. C. *Stahlius*, medicus & mathematicus egregius, frater archiatri Boruſſici, in de aeris in praxi medica vſu, vbi §. 17. de eius in febre efficacia ſermonem fecit, §. 18. "non ex-"cludenda quidem, infit, hic vi-"detur luna, cum diuerſis ſuis "phaſibus, quam lunatici, epi-"leptici, aliique ſpiritibus male "habentes, plurimum in corpora "noſtra poſſe produnt, ſed ne-"ſcio, annon illud plane medio "aeris noſtri alterati, quacunque "demum lunæ actione, contin-"gat. Sane notum eſt, quid in "fluxu & refluxu oceani præſtet "luna, atque exinde, per exſic-"cationem recedentis aquæ, in "tractum aeris ſatis magnum. "Hoc autem per experientiam "vulgo notum, vt plurimum, "dixerim ſemper, circa quadras, "in primis illas, quæ oceanum "etiam ſolito tumidiorem red-"dunt, aerem quoque noſtrum, "& tempeſtatem, aut mutari, aut "certe turbari. Hinc ſæpiſſime "obſeruantur plurimi morbi, "circa illa tempora, aut augeri, "aut minui, non modo illi, in "quibus neruoſum genus maxi-"me aut patitur, aut occupatur, "ſed alii quoque.

videntur, res altioris eſt indaginis, & humanam forte ſapientiam omnem exſuperat. Typorum & periodorum febrilium miracula vidit omnis ætas, & obſtupuit; videbit omnis poſteritas, poſteritas forſan omnis obſtupeſcet.

§. VI.

Periodi in ſtatu ſano & morbis ſine febre. (a)

Immo etiam in ſtatu naturali in maxime elaſticas, & ad orgasmum pronas, & ſpermaticas, ſpirituoſas, vaporoſas humani ſanguinis partes, & in fibras quibus illæ continentur ſeu mouentur, manifeſta ſatis eſſe videtur ſolis & lunæ per ſuas periodos efficacitas: præſertim vbi per ſtructuram corporis retardari alicubi circulum contigerit, & plenitudinem augeri, vt orgasmus promoueatur. Taceo veterum placita, de natiuo quatuor humorum motu, vel ad motum niſu, per horas & dies diſtincto, & ſanguinis quidem totius continuo magis & æquabili, ſeri vel phlegmatis quotidiano, bilis tertiano, melancholiæ quartano: quæ res recte explicata, vt iam ſupra monui, haud omnino vana eſt. Prætereo motum tonicum, cuius periodicæ motiones, non in febribus ſolum aliisque morbis, ſed in corpore etiam ſano, naturaliter eueniunt. (b) De menſtrua, ſeu lunari, periodo naturali pauca dicam, quæ obſeruationum de febribus tractationi haud inepte miſceri putem: dum medici præcipuam illam, quæ lunæ quaſi periodum

periodus menſtrua naturalis.

(a) *Kerkring.* ſpicil. anat. obſ. 25. "Certe mirum eſt, non tantum "febres in omnibus, menſtruas "purgationes in mulieribus; ſed "alios etiam morbos, illos ma- "xime, quibus natura ſeſe co- "natur exonerare, ſtata ſeruare "temporum interualla.

(b) cl. *Stahlius* de motu tonico vitali, item in de æſtu maris microcoſmici præſertim th. 2. & paſſim, plura, quæ huc ſpectant, experimenta adducit, & his tota *Sanctorii* medicina ſtatica, quod ad practicas veritates attinet, plane conſentit.

riodum ſingulari ſuo orgasmo ſequi videtur, excretionem feminis ſollemnem, *febris* (c) *menſtruæ* nomine appellant, ſed *febris medicæ*. (d) Curioſus neque vanus eſt *Sanctorii* (e) aphorismus: "corpora quoque *virorum* ſana, & "moderatiſſimo victu vtentia, *ſingulis menſibus* fiunt ſolito "ponderoſiora, vnius ſcilicet duarumue librarum pon- "dere, & redeunt ad conſuetum pondus circa finem men- "ſis, ad inſtar mulierum, ſed facta criſi per vrinam paullo "copioſiorem." Neque vero mihi omnino ſatisfacere ingenioſiſſimi *Freindii* emmenologiam (f) fateri liceat, vbi plethoram muliebrem, ex variis rationibus deriuatam, pro ſola fluxus menſtrui cauſſa habet, qua poſita, perrumpi debeant vaſa ſanguinea, & ceſſante conſolidari. Quidni naturaliter peruia vascula conniuere putemus, vbi neque plenitudo, negue orgasmus eſt; his vero de cauſſis aperiri? quum repetita eiusmodi ruptura & quaſi vulneratio in ſtatu naturali haud probabilis eſſe videatur. Equidem

(c) Febrem dicere licet, ſed ita naturalem; vt virtuti febrifugæ certiſſimæ corticis Peruuiani, medicamenti in ſtatu naturali nihil turbantis, nequaquam ſit expoſita. Experientiam teſtem reperit cl. *Torti* therap. ſpec. p. 21. dicens: "grauidis "non modo, ſed & puerperis, vel "menſtruas purgationes patien- "tibus, tuto exhibetur: neque menſtrua, vel lochia, "naturaliter fluentia ſiſtit, aut "nimium promouet, vt videbi- "mus in hiſtoriis." add. hiſtoriæ paſſim, item p. 345. ſqq.

(d) *Ramazzinus* de morb. artif. p. m. 545.

(e) ſect. 1. aphor. 65. 66.

(f) conf. *Hoffmanni* medic. ſyſtem. Tom. I. part. 2. c. 10. quod totum fere nihil niſi *Freindianæ* emmenologiæ compendium eſt: iungantur vero, quæ nobiscum ſentiens *Freindii* amicus, isque & medicus & mathematicus e præcipuis, *Meadius*, poſt editam emmenologiam, ſcripſit in de imperio ſolis & lunæ.

ne in puerperio quidem naturaliter plane conſtituto, vbi partus & ſecundina mature, ſuo tempore, & ſine violentia educuntur, vulnerationem adeſſe exiſtimo, (g) quamuis

παρεκβασις de vulneratione vteri in puerperio.

(g) Si qua adeſt in puerperis vulneratio, ea manu obſtetricis facta eſſe ſolet. Nempe accidere illa poteſt extracto nimia cum violentia ipſo fœtu, quod tunc maxime fieri aſſolet, quando, pro vulgatiſſimo obſtetricum more, etiamſi vltra vulgus ſapientium, non ſatis expectatur verum partus tempus, ex plena orificii vteri apertura, & doloribus veris, &, ſub ſitu maxime peruerſo, anxietatibus certe inſolitis, vix amplius tolerandis, demum dignoscendum: vt certa imperitiorum vitia violentasque operationes taceam. Fit autem etiam maxime vulneratio extractione ſecundinæ, ſæpe non ſtatim vno poſt partum momento ſequentis, ſed per fibras vtero adhuc connexæ, aut alicuius partis, vbi pars iam fruſtulatim, vti ſæpe contingit, facilius educta eſt. Separatio ab vtero ſæpe fit manu feſtinante, imperita, temeraria, & negligenti, tamquam ea res nihili eſſet, modo fœtus eductus ſit, & ſecundina quaſi integra monſtrari queat. Ita vero id viſcus nobile, ſenſu exquiſito pollens, & ſanguine tunc magnopere turgidum & affluens, lacerum fieri, ſeu vulnerari, neceſſe eſt. Non equidem omnino conſentire velim ſummo viro, Friederico *Ruyſchio*, qui muſculo quodam vteri orbiculari, iſti negotio peculiariter dicato, quem ſe reperiſſe memorat, placentam non cum fœtu, ſed proprio tempore poſt eum, naturaliter expelli notat, ideoque, ni facile educi poſſit, relinqui plerumque tuto, & naturæ permitti. v. aduerſar. anatom. dec. 3. tab. 3. add. celeb. *Heiſter*. compend. anatom. edit. nouiſſ. p. 97. 264. & ibi adducti auctores, item, qui erudite contra magnum *Ruyſchium* ſcripſit, cl. *Leporinus* in Erörterung einiger die zurückgebliebenen Nachgeburt betreffenden Fragen. Attamen, ni, quamuis lente & difficulter, blande tamen, ex arte, & ſine vllo periculo lædendæ vel minimum, aut etiam fortiori tractione adducendæ vteri aut vicinarum partium ſubſtantiæ, extrahi ſecundina poſſit, relinqui vel

uis ſauciatarum regimine ob alias cauſſas puerperæ etiam ſanæ

vel integram, quod poſt partum maturum vix vnquam opus fuerit, vel adhærentem particulam, quod, præſertim ſi marcida eſt placenta, facile euenit, aut membranulam, quæ vtero ſæpe firmius adnata eſt, ſatius eſſe perſuaſum habeo, quam, vt fieri ſolet, rodendo, ſcalpendo, avellendo ſeparare, qua ratione vix etiam vere integra educitur. Ipſe *Leporinus*, poſteaqum eductionis neceſſitatem operoſe & recte quidem, vt opinor, defendit, itidem rem demonſtrantibus diſputatione vberrima *Bartholini* hiſt. anat. cent. 5. 39. & obſeruationibus pluribus lectu dignis apud *la Motte traité des acouchemens* L. 5. p. 587-610. vt alios veteres recentesque taceam: poſtquam deinde methodos cautionesque propo-
"ſuit; "alii, inquit, conſulunt,
"ni ſine vteri læſione digitis ſe-
"parari poſſit ſecundina, abſti-
"nere ab operatione, & *ex duo-*
"*bus malis id eligere, quod leuius*
"*eſt*, remque totam naturæ per-
"mittere; atque hoc conſilium
"vbique *aſſenſum* plenum *mere-*
"*tur*." Conſentit penitus ipſe etiam *Bartholinus* §. 3. 20. 21. 23. 26. 27. 28. vnde explicari debet locus, quem cl. *Leporinus* ex §. 25. notat, nimiæque fere facilitatis auctorem arguit p. 103. Difficultas vero & cautio non ſatis inculcari poteſt obſtetricibus, quod expertus moneo. *Hippocrates* de ſuperfœtatione: "ſenſim, ait, ſecundina
"educenda eſt, non violenter, ne
"præter naturam diuulſa, inflam-
"mationem inducat." *Paræus* de homin. generat. c. 18. in *Spachii* gynæc. T. 2. p. 425. pericula optime declarat: "vio-
"lenta attractione, ſi adhuc hæ-
"reat vtero, vaſorum aliquod,
"aliquod item ligamentorum
"neruoſorum, quibus vicinis
"corporibus adhæret vterus, la-
"niari poteſt, vnde ſanguinis e
"propriis conceptaculis effuſi
"corruptio, a corrupto & pu-
"trente inflammatio, abſceſſus,
"& gangræna mortifera. Nec
"leuius eſt a conuulſione, ruptis
"neruoſis corporibus, pericu-
"lum, nec item minus ab vteri
"procidentia manifeſta." Hanc *obſerv. partic. 52.* ipſi obſeruauimus in cadauere mulieris, cui ſecundina feſtinanter extracta mortem in-

ſanæ opus habeant. Numquid autem forte orgasmum men-

duxerat, vtero fere funditus inuerſo, fundo extra orificium prominente, & interiori ſubſtantia, quæ iam ob inuerſionem exterior apparebat, nigra plane & ſphaceloſa. Relicta ſecundina, vel eius particula adhærens, cum putredine plerumque, & ſymptomatibus haud temnendis, ſed tutius tamen, ſponte ſeparari ſenſim, & elabi ſolet, quam cum vlla læſione vteri, aut vicinarum partium, extrahi. Confirmant me in hac veritate innumera abortientium exempla, vbi ſecundina obſtetrici intacta remanet, & deinde poſt aliquot dies, immo vel menſes, cum febre plerumque putrida, interdum ſine febre, ſæpe cum hæmorrhagia, vel integre excidit, vel per partes, feliciter tamen: fibris tandem iuſto tempore marcescentibus, & ab vtero, per menſtruum fere naturæ impetum, auulſis, ſæpe etiam facile decedentibus. *Parœus* l. c. "quemadmodum "poma ex arboribus, ſi cruda "ſunt, vi auelluntur, ſi matura "& cocta, decidunt; ſic ſecun- "das immaturo partu vix vis "aufert, maturo ipſa facile ma- "turitas." Obſtetrices pleræque membranas fibrasque ſecundinæ, vtero adhuc firmius adhærentes, haud ſatis caute, & nimis ſubito ſeparare tentant: quæ poſt pauca momenta, poſt horulam forte dimidiam, aut vnam vel alteram, aut breue certe naturæ deſtinatum tempus, cautæ motationi, blandæ digitorum preſſioni, vel robori tandem naturæ, & propriæ maturationi, vel etiam marcori obſecundaturæ fuiſſent. Vereor autem ne illa maxime temeritas, aut incuria, merito accuſetur, ſi qua mulier poſt abortum, aut partum verum, ex hœmorrhagia arterioſa, vel febre etiam inflammante, aut putrida, periclitatur. * Famoſa eſt febris miliaris ſeu veſicularis, ſeu purpura alba, probe diſtinguenda ab altera pellucida, dem hellen Frieſel, quam primus cl. *Storchius* in eteodromis deſcripſit, & nos deinde ſæpe obſeruauimus, item a rubra illa, dem rothen Frieſel, Anglis *a rash*, Gallis *ebullition de ſang*. Febris illa periculoſa, quam, mirifico nomine, pur-

* *febris miliaris.*

menſtruum inducit, quæ in naturali humani ſanguinis craſi

purpuram albam medici noſtri vocitant, tantopere paſſim puerperis frequens, vbi præſertim feminæ ſpleneticæ & hyſtericæ, ſalſisque ſeroſis fracidis, vel ſcorbuticis, vel & vlceroſis particulis plenæ ſunt, nescio an magna ſæpe ex parte eiusmodi feſtinationi & violentiæ, vbiuis fere frequenti, debeatur. Mentitur illa febris ſæpe intermittentem, paroxyſmis cum horrore vagis, vti febres ab vlcere inflammato ſolent, aut verum hemitritæum oſtendit, neque tolerare videtur corticis vſum. v. exemplum apud *Hamilton.* p. 122. ſqq. quamuis deinceps, vbi morbus acutus declinauit, ad vires reſtituendas, & lentæ febris metum præcidendum, æque acpoſt variolos, egregie profit, quod experti teſtamur. v. *Hamilton.* p. 130. ſqq. Elegans eſt celeb. *Hoffmanni* methodus, medic ſyſtem. T. 4. ſect. 1. c. 9. Quas præter alia remedia, vir expertiſſimus laudat emulſiones cum ſeminibus, quæ antiſcorbutica audiunt, & nos feliciter experti commendamus, ſed calidiuscule, vti tunc remedia & potulenta omnia, propinandas. A frigida, vt opinor, frigidorum ſeminum emulſione mortem obtigiſſe narrat *Hamilton.* p. 156. ſqq. in cauſſa forte errans. Vidi ego nuper febrem miliarem mortiferam, ex febre putrida eryſipelatoſa, ſuperueniente fracturæ cruris, & laceratione tendinum, ex caſu ab alto, in viro ſcorbutico. Vidi olim eandem febrem miliarem, ſanabilem tamen, ſuperuenire læſioni tendinis, a venæ ſectione infelici, in corpore, quod plane ſanum viſum erat. Vidit medicus inclitus, a læſione inteſtini recti per ſiphonem clysmaticum inepte intruſum: & præſto mihi ſunt plura parum abſimilis commatis exempla, quæ probare poſſint, partibus ſenſibilibus laceratis, aut valde irritatis, febrem miliarem facile accedere. *Hamilton* c. 2. "antece-"dunt, inquit, obſtructio, vel vl-"cus in aliqua parte cum dolore "coniunctum: & c. 4. ex neruo-"rum tenſione dolor oritur, hu-"iusce febris ſymptoma omnium "fere primum. *Certe plerumq; mihi ſignum ex optimis fuit ſa-

obſeru. partic. 53.

obſeru. partic. 54.

obſeru. partic. 55.

* *ſignum puerperii ſalutariter terminandi.*

craſi eſt, (h) & ætate crescit ac decrescit, aura, vt vocant, ſeminalis, liquor tenerrimus, qui, puriori atmosphæræ aereæ elemento in contextum ſuum recepto, egregie elaſticus ſit? Hæc

lutariter terminandi puerperii, quamuis etiam partus difficillimus fuerit, quamuis febres, aut alii morbi, ex variis cauſſis ſuperuenerint, ſecundinam integram, facile eductam, & ſani coloris habitusque fuiſſe. Immo nullam adhuc abortum, quamuis ingenti hæmorrhagia & febri ſtipatum, morte terminatum expertus ſum, (quum tamen nullus fere mulierum affectus frequentius curandus obueniat,) præterquam ſemel aut iterum, vbi manus obſtetricia difficulter, nescio an pernicioſa cum violentia, ſecundinam eduxerat. Vix vidi in puerperis purpuram illam, quam vocant (ſi vnam phthiſicam conclamatam, & alteram arthriticam & alius labis vlceroſæ ſuſpectam, quæ conualuit, & paucas alias itidem feliciter emergentes excipiam) niſi, vbi difficilius extractam ſecundinam percepi: & frequenter tamen ſatis obtigit formidabilis ille morbus, qui, extra puerperium etiam, inflammationibus neruoſarum partium, & Iæſionibus accidens, peſſime ſignificat. Conf. quæ his iam ſcriptis demum mihi obuia fit, erudita obſeruatio cl. *Fuchſii* ephem. nat. cur. nouiſſ. vol. 2. 146. de ſphacelo vteri, frequentiſſima mortis puerperarum cauſſa, vbi p. 339. ſqq. exemplum purpuræ & mortis ex auulſa ſecundina recenſet. Conſiderationem merentur remedia externa ibi propoſita. Cataplasma ad gangrænam præcauendam extus abdomini calide & humide applicandum & ſæpe repetendum ſuadet, ſemper, vt ait, feliciter adhibitum, ex radicibus conſolidæ maioris, ſigilli Salomonis, & altheæ, in lixiuio fortiſſimo vel vino coctis. Ita plerasque puerperas cito & tuto ex ipſa illa purpura conualescere, quotidiana & innumera per multos annos experientia doctus, affirmat. Alibi vnguentum & emplaſtrum ſaturninum cum ſucceſſu vſurpauit.

obſerv. part. 56.

(h) Differt hæc a brutorum animantium omnium ſeminali materia, in quibus ſingulis ſingu-

Hic in viris quidem per certa vasa & permixtiones in verum semen

singulares orgasmi differentiæ, alia vasorum & corporis structura, aliusque vasorum situs, & præsertim cutis, vbi amplissima excretio est, habitus, & variæ maturandi, mutandi, secernendi, seponendi genitalem lympham rationes notantur: vnde a menstruæ periodi in illis defectu nihil aduersus nostram sententiam concludi potest. Attamen etiam cetera animalia, typicis motibus turgentis humoris exposita, & pariendi certum tempus habentia, & squamis, testis, chelis, plumis, pilis, crescentibus & decrescentibus instructa, suas periodos menstruas annuasque habent. *Lucilius* poeta apud *Gellium* l. 20. c. 8. canit:

Luna alit ostrea, & implet echinos,
muribus fibras
Et pecui addit.

Manilius astronomic. l. 2.

Submersa fretis, concharum & carcere clausa,
Ad lunæ motum variant animalia corpus.

v. *Varenii* geograph. gener. L. I. c. 14. prop. 12. Immo est fluxus menstruus sanguinis non solum in simiis, raia pisce, paucisque aliis, æque naturalis ac in mulieribus; verum etiam obseruatur interdum in equabus, scrofis, ouibus, pica aue, atque adeo in omni regno animantium communi aere vtentium. v. *Paulinus* ephem. natur. cur. dec. 2. ann. 4. append. obs. 48. *Horn.* arc. Mos. p. 119. G. *Franck de Franckenau* satyr. medic. 6. p. 90. sqq. Tacemus plantarum mutationes ad lunæ solisque periodos, quæ in aliquibus perquam manifestæ sunt. Notabiles sunt obseruationes *Hippocratis*, *Lanzoni*, *Wedelii*, & aliorum, quas cumulant *Reies* in campo elysio p. 712. *Lentilius* iatromn. p. 480. sqq. *Hellwig.* obseru. phy. sic. 34. *Schröckius* ibi in scholio, & ibidem adducti auctores multi, de mulieribus *barbatis*, atque exinde menstruo fluxu non laborantibus, quod probat, cute aliter constituto, & pilis singulariter progerminantibus, menses posse abesse, & abesse forsan ideo in brutis animantibus, & orgasmum potius innuit seminalem, & quasi vegetantem, quam plethoram insignem, quod multa alia confirmant.

ſemen elaborari ſolet, (i) vel excernendum, vel ſanguini, pro vigore & incremento corporis, remiscendum. Hæc eadem aura elaſtica, quia iſtiusmodi vaſa in muliebri corpore vel abſunt, vel plane adſunt alia, in ſanguine manere magna ſui parte debet, &, motibus naturalibus per menſem periodicis, ad eum elateris gradum perfici videtur, qui, vaſis vteri vel vaginæ apertis, fluxum menſtruum promouere poſſit: præſertim, vbi plenitudo accedit, quam in viris etiam naturaliter menſtruam eſſe *Sanctorius*, pondere & menſura expertus, teſtatur: ne iam de morbidorum motuum lunaribus ſæpiſſime periodis dicamus. (k) In feminis

(i) Pertinet huc curioſa *Heurnii* obſeruatio de hæmorrhoidibus, quas eunuchis neceſſario contingere annotaſſe videtur: "quemadmodum, ait, "*viro mutilato* fluit *ſanguis per* "*aluum*, ita mulieri *neceſſe eſt*, „vt fluat ſanguis ſuperfluus per "vterum," ad *Hippocratis* aphor. ſect. 5. 57. n. 4. Forte ita in viris oboriuntur hæmorrhoides, vbi quantitas feminis veri elaborati non reſpondet quantitati & orgasmo auræ ſeminalis, quæ ſanguini ineſt, vt adeo elaſticæ huius auræ pars ſanguini immixta maneat, eumque turgere faciat, & effluere, ad certum virtutis ſuæ elaſticæ gradum euecta. Ibi tamen, æque ac in menſium negotio, plethoram reliquam, & impediti-orem per aliquas partes circulum, & ſanguinem pondere niſuque deorſum tendentem, & qualitate etiam ſua fibras excretioni promouendæ aptas ſtimulantem, aliasque cauſſas ſimiles, non excludimus.

(k) conf. *Franckenau* ſatyr. medic. 6. p. 92. ſqq. Seminalis huius materiæ, humano generi ſpecificæ, naturam, & hiſtoriam naturalem & præternaturalem, nondum ſatis exploratam credimus, & hinc doctrinam de differenti habitu & morbis ſolius humani generis, & embryonum, infantum, crescentium, adultorum, ſenum, ſexuumque, & eunuchorum; de mu-

minis peculiares plethoræ cauſſæ a *Freindio*, *Hoffmanno* aliisque, allegantur plures, quas, licet veras, tamen omnes efficiendo fluxui menſtruo, quatenus per menſtruum ſpatium naturaliter periodico, ſufficere non putamus. Nimium ſane frequenter ſingularis hic mulierum affectus cum ſuis, vt ita dicam, paroxysmis ad lunaris periodi menſuram, (1) & ipſas haud raro mutationes præcipuas,

mutatione & nutritione corporis eiusque partium, ſecundum certa tempora, motuum directiones, & alia rerum circumſtantium momenta; de forma & diſpoſitione hæreditaria nationum, familiarum, hominumque ſingulorum ſana & morboſa; de temporibus, ratione, & ſymptomatis conceptionis, geſtationis, partus, puerperii, lactationis, abortuum, molarum, & quæ ſunt plura in phyſiologia & pathologia, mancam adhuc eſſe, non poſſumus non opinari: immo ipſam negotii hæmorrhoidum morborumque analogorum explanationem inſigni exinde ſpicilegio forſan indigere, poſt operas egregias accuratiſſimorum doctorum, *Stahlii*, *Alberti*, & aliorum veterum recentiorumque.

(1) Menſuram dico, ſeu durationem, hoc eſt, tempus menſtruum, ſeu viginti octo aut nouem dierum. Neque enim lunam pro cauſſa fluxum menſtruum efficiente habemus, quæ, ſi in hoc vel illud punctum delata ſit, exundare faciat ſanguinem; vti priscis quibusdam fabulari lubuit, quos recte refellit ill. *Bergerus* phiſiol. c. 20. Ipſa ſeminalis craſis ſanguinis muliebris, & motus periodicus menſtruus particularum aerearum in eo contentarum, & fibrarum corporis motricium, præcipua cauſſa eſſe videtur & fluxus ipſius, & temporis exquiſiti, quod ad aeris externi, & conſequenter ad lunæ motum, quandam analogiam mechanicam habet. Neque vero nouam lunam, neque plenam, neque aliam phaſin quamcunque, ſed periodi durationem maxime reſpicimus. Particulas ſanguinis ſeminales elaſti-

cas

vel exquisite, vel prope accedit, quam vt suspicionem naturalis alicuius caussæ ab hac similitudine remouere omnino liceat. (m) Immo quamlibet in multis fluor accelere-

tur,

cas certo periodice tempore ad certum subtilitatis & orgasmi gradum sensim euehi opinamur, attritu motus progressiui & intestini, & adiuuante oscillatione aeris atmosphærici per mensem periodica, atque ideo perfici solere ipso tempore durationis mensis fere vnius, quod pro corporis & humorum diuersitate accelerari, retardari, & mutari posse facile patet, licet regula generalis salua maneat.

(m) Explicatione opus habet, & limitatione, ex nota proxime superiori, exceptio celeberr. *Hoffmanni*, quam aliqui, mentem forte viri μαθηματικωτατε non perspicientes, ceteris eius doctrinis physicis & mechanicis non bene respondere arbitrentur, dum in medic. system. T. I. p. 228. "plurimi, inquit, huius notabilis phænomeni caussas in lunam reiiciunt, quia ad certum "eius statum, vel phasin recurrere solet: at vero imbecille "argumentum est, astrum esse "caussam, vbi ad certum mensem, diem, vel horam effectus "idem recurrit. Ponamus, addit, certam mensuram sanguinis abundantioris requiri; ad "hanc vero colligendam requiri certum tempus, v. g. viginti octo dies: manifesto "exinde consequitur, non tempus esse directam fluxionis "caussam, sed mensuram certi "temporis necessariam esse ad "certam abundantioris sanguinis quantitatem accumulandam, quæ potens sit ad "spasmum concitandum, & "vasa vteri perrumpenda." Iam non disputabimus, vtrum turgeat potius plerumque sanguis menstruus, an semper plethora vera abundet. Directam eius fluxus caussam in luna, & certo temporis momento, nemo forte hodie quæsiuerit: aerem vero, qui in sanguine humano est, eiusque proportionem ad externum, qui certissime mechanica ratione per lunarem periodum periodice afficitur, esse caussam consensus illius manifesti inter

cir-

tur, aut retardetur, ſubeſſe tamen ſæpe aliquid, quamquam leuiuscule, morbidi eſſe ſolet, remediis etiam, quod medici norunt, iuſto tempore datis expeditius haud raro medicabile. Motus ipſi & molimina vana, quæ illo tempore præueniunt, aut ſuperſunt, & mutationes, quæ ſæpe ſæpius ad lunæ ſolisque vices contingunt, naturam periodo amicam eſſe, & cauſſa quadam, quæ ad ſiderum periodos reſpectum habeat, incitari ſuadens. Tempore ſtato menſtruo, quodcunque illud ſit, ſi fluxus non redit, per grauiditatem, vel lactationem, vel cauſſas morboſas ſuppreſſus, quis eſt, qui neſciat, ſæpe molimina tunc aliqua ſentiri ſolere, quæ, peracta fluxus alias conſueti hebdomade, ceſſent, & ſæpe non redeant prius, quam tempus

circuitum lunæ & menſium muliebrium, ſimiliumque affectuum periodicorum, merito ſuſpicamur, neque ipſe vir peritiſſimus non ſuſpicabitur. v. ipſius diſſertatio de fato phyſico & medico §. 12. Nequaquam argumentum illud imbecille eſt, ſi recte & in rebus vere phyſicis applicetur, & menſuram certi temporis & quantitatis neceſſariæ ſupponere, non eſt cauſſam conſenſus exponere. Semper enim in quæſtione manet, cur non aliud, quam certum hoc tempus, ad hanc quantitatem, cur viginti octo aut nouem dierum menſura, quæ etiam lunaris periodi eſt, ad propellendum, aut certe mouendum ſanguinem, in tot femellis requiritur, vt menſtruam periodum, & lunare tributum, totum vbique genus humanum, omnia ſæcula, omnes fere nationes agnoſcant: quamuis in ſingularibus corporibus exceptiones a regula ſint? vt alias cum fluxu & refluxu aeris marisque, quoad turgendi & mutationes ſubeundi tempus, ſimilitudines taceamus: vbi itidem, niſi harmoniam mechanicam agnoscas, ſemper in quæſtione manet, cur temporarii iſti motus ita inter ſe conſpirent? Res illa phyſica eſt, & quadrat ad eam illud *Neutonianum*: "effectuum naturalium eius-"dem generis eandem eſſe "cauſſam.

ſtatum per menſtruam periodum reuertatur? Ceſſauitne tantisper plethora? quæ augeri potius indies debere videtur, & reapſe augetur plerumque, quamuis extra orgasmi tempus ſæpe ne moliatur quidem exitum, multo minus perficiat. Atque, ſi non ipſos fluxus, attamen iſta tempeſtiua conamina, obtingere vel minime plethoricis, cuiuis temporamento vel diætæ addictis, immo, quæ non nunquam ſatis exhauſtæ ſanguinis fluxibus ac miſſionibus, & extenuatæ viribusque caſſæ videantur, (n) experientia quotidie docet. Prætereo iam ſtatas circa ipſum pariendi tempus (o) periodos, quæ per menſes & hebdomades numerantur, aliaque in generationis negotio miracula naturæ ad tempus exquiſitum ſtabilita. Sileo euacuationes alias

(n) *Ramazzinus* de morb. artific. "p. m. 549. ſq. "mihi certe, ait, "non ſemel haud ſine magna ad- "miratione obſeruare licuit, mu- "lieres diuturnis morbis con- "fectas, & ad marasmum fere "deductas, ac præcipue nobi- "lem monialem, per decen- "nium in lecto decumbentem, "prorſus exhauſtam, cui quoli- "bet menſe, ſtatis diebus, "menſes, quamuis in ſatis mo- "dica quantitate, & ad paucas "ſtillas, apparent.

de abortibus notata.

(o) Obiter moneo, quamuis id perpetuum non ſit, attamen ſæpiſſime, niſi me omnia fallunt, poſt abortum fibras certe aliquas, & particulas ſecundinæ eiusque membranarum reſiduas, ita vtero adhærere, vt ſeparentur ſenſim, & cum menſtruo fluore exeant, integre vero ſeparari vix poſſint, donec *ſtatum geſtationis tempus* emenſum ſit, quo facto vltimæ reliquiæ ſua demum ſponte maturatæ, ſeu emarcescentes, decidere ſoleant, & cum menſibus fluentibus elabi. Fallor, niſi propenſio illa multarum ad frequentes, & paucis ſæpe meſibus ſeſe excipientes abortus, molas, hæmorrhagias, inde dependet, quod prius concipiant rurſus, quam ita per temporis rationem purgamenta prioris abortionis penitus euacuata ſint. Ita fieri vix poteſt, quin, vbi hæc

alias, quas natura ad ſolis & lunæ periodos molitur. Omitto motus nocturnos ſalſorum humorum, immo & ascaridum,

hæc ſuo tempore exitum moliuntur, excitetur natura iterum iterumque ad eadem ſymptomata. Laxatur tandem viſcerum compages, turbatur partium, & excretionum, & generationis nutritionisque œconomia, adhærescunt magis magisque, & formas informes induunt, remanentia corpuscula, aut etiam nouiter concepti fœtus, & ſecundinarum rudimenta. conf. *Kerkring.* ſpicil. anat. obſ. 38. vnde malum ſæpe in varios affectus anomalos, aut ſterilitatem perpetuam degenerat: ſi præſertim, per vnum aut alterum abortum, vellicetur vterus, vel lædatur, rudiori obſtetricis manu, ſecundinam immaturam tentante. Vana certe ſæpe curatio omnis fuit, præcautionis cauſſa inſtituta, niſi a præmatura rurſum conceptione vel cauerunt ſibi mulieres, vel ipſis fortuna cauit. Quod ſi fiat, ſponte ſæpe ceſſat deinde habitus ille patiendi abortus, molas, hæmorrhagias: ſæpe vero tunc remediis aperientibus & tonicis feliciter tollitur. * Sueuimus poſt abortionem ſingulis menſibus, per ipſum fluoris tempus, pilulas *Stahlianas*, aut ſimilia remedia exhibere, extra illum orgasmum vel nihil, vel blanda hyſterica, & interdum balnea miniſtrare, maxime poſtrema ante menſium terminum hebdomade, donec tempus iuſtæ geſtationis abſolutum ſit, circa quod ſæpe tunc notauimus copioſius menſtrua, lochiorum inſtar, manare. Deinceps limaturam martis, ſine vllius liquoris affuſione in ſubtiliſſimum pollinem redactam, remedium nobile, ſolam, aut vterinis mixtam, per menſem, vel vltra, legitime propinauimus. Atque ita haud infrequenter eo ſucceſſu beati ſumus, vt, quæ per frequentes abortus, aut ſymptomata his ſimilia, ſpem melioris ſortis amiſerant, matres rurſum ſanæ & felices factæ ſint. Adeo verum eſt, naturam ad ſuarum periodorum leges adſtrictam eſſe: adeo remedia, ad obſeruatas eas leges,

\- - *data tempore proſunt;*
Dum data non apto tempore ſæpe nocent.

* *obſerv. partic.* 57.

ridum, (p) aliosque lumbricorum, qui ſuum rurſus in ſe aerem habent, periodicos lunares; exacerbationes catarrhales, arthriticas, venereas, ſcorbuticas; morbos lunaticos, ſolſtitiales, æquinoctiales varios; & mutationes morborum & ſymptomatum per tempora fieri ſolitas: quæ omnia, quum negari nequeant, (q) ſatis euincere videntur, eſſe ſingulare aliquod, idque mechanicum, ſine fabuloſo aſtrologorum influxu, imperium in corpus humanum ſideribus illis, vel certe eidem cauſſæ, quæ ſiderum periodos metitur, (r) & medicum ſæpe non humanæ ſolum, ſed vniuerſitatis naturæ miniſterio fungi. (s) "Plerumque enim, auctо-

(p) v. *Valleſius* ad Hippocr. epid. L. II. ſect. 1. L. VI. ſect. 1.

(q) conf. litteratiſſime adductæ obſeruationes in viri celeb. C. B. *Behrens* ſelect. diætet. ſect. I. tota paſſim.

(r) v. *Mead.* de imperio ſolis & lunæ in corpus humanum, vbi ea omnia eleganter & ſolide explicantur, & ex mathematicis veritatibus demonſtantur.

medicus naturæ miniſter.

(s) Medicum naturæ, ſcilicet humanæ, dominum, non miniſtrum ſæpe eſſe, *Heiſterus*, medicus mente manuque ſagaciſſimus, argumentis & exemplis, tum ex medicina, tum maxime ex chirurgia, peculiari diſſertatione, eleganter demonſtrauit. In eandem ſententiam olim iam *Helmontius*, in libello ignotus hoſpes morbus p. m. 404. dixit: "naturæ iacentis "eſt medicus patronus atque "herus." Nos, vbi medicum naturæ miniſtrum vocamus, *vniuerſi totius naturam* intelligimus, *quatenus* illa ad humanam *reſpectum quemcunque* habet. Nempe medici officium eſt, vbique ad naturam ægri, & morbi, & remediorum, & temporis, & aeris, aquarum, locorum, rerumque circumſtantium omnium attendere, eique ex arte ſeruire.

- - *ſic alma miniſtro*
Ipſa ſuo natura potens, hunc ſedula nutu
Dum regit, excelſæ pollentem viribus artis,
Indomitos ſuperat duplicato robore morbos.

"auctore *Hippocrate*, (t) hominis natura vniuerſi poteſta-
"tem non ſuperat.

§. VIII.

Verum enim vero vulgares has doctrinas, & mancum theoriæ ſpecimen, præter ſcopi rationem, obſeruationibus practicis iuncta, non vobis, viri peritiſſimi, ſed iis ſcribimus, ſi qui forte fuerint lectores, quibus, quæ de periodicis reuerſionum temporibus ex vero annotauimus, minus probabilia eſſe videantur: quum tamen vbiuis in rerum natura, & in humana maxime, & præſertim in febribus, pleraque periodis & temporibus adſtringantur. Neque de explicandis cauſſis ſubtilioribus ſolliciti multum eſſe debemus, quum rei ipſius veritas ſufficiat, quam quilibet obſeruator facili negotio comperire poteſt, modo ad regulas ſupra ſcriptas ſatis accurate attendat. (a) Obſeruationes ſcripſi,

Conſenſus practicus cum theoria mechanica & organica leuiter diuerſis.

(t) de diebus criticis.

(a) Si quis etiam fuerit, qui id ſibi haud adeo exquiſite reperiri exiſtimet, vti nobis repertum eſſe, & indies magis magisque obſeruando firmari, ſancte teſtamur, quod de typico reuerſionum, vel moliminum recidiuorum, tempore annotauimus; ille tamen de ſecuritate, præſtantia ſingulari, & conſtantia curationis, interpolatæ ad menſuram certi temporis, eiusque in febribus quotidianis & quartanis longioris, in tertianis breuioris, non dubitabit, re ad experientiæ amuſſim examinata. Multi, obſeruatis iſtiusmodi alternis medelæ & quietis vicibus, optata cum felicitate reuerſiones præcauerunt, quamuis de accurato febrium recidiuarum typo ne quidem per ſomnium aliquid in mentem venerit, & longe alias eius proceſſus inſtituendi cauſſas ſibi propoſuerint. Atque id nobis ipſis olim ita contigit, & partim etiam iis forſan auctoribus, quos ſect. 4. §. 5. adduximus, aliisque multis

ſcripſi, non theoremata ex opinione condidi. Neque hisce ſententiis & obſeruationibus theoriæ aliorum mechanicæ, neque illi etiam aduerſamur, quæ organica vocari ſolet, inter quarum doctores hodie, haud ſine animorum motibus, multa verſatur controuerſia. His, qui ſe ſectæ, organicam profitenti, addicunt, cuiusuis hominis naturæ nomine ipſa anima rationalis (b) venit, quæ, ſapienti conſilio, motus quum nuturales, tum morboſos, excitare & moderari creditur; quamlibet, pro organorum, & humorum, & ſuorum affectuum & conſuetudinum vitiis, aberrationi expoſita, ſæpe etiam impotens, & miniſtro moderatore & adiutore egens. Liceat vero, pace meritiſſimorum virorum

multis, qui, quod nos fecimus, ad illorum normam practicam medicati ſunt. Si cui ergo noſtra hæc obſeruatio, quæ ad hiſtoriam pathologicam & ſemeioticam morborum recidiuorum ſpectat, nondum ſatis confirmata eſſe videatur; manebit tamen ipſa regularum practicarum propoſitarum ſincera felicitas, dudum aliis plurimis comperta, quamcunque etiam rationem ſubeſſe aliquis opinetur. In opinionibus concedendis ſimus faciles, modo in praxi conſentiamus.

(b) Introduxit hanc hypotheſin in medicas Germanorum ſcholas, quum in academia Halenſi, magno cum applauſu, voce & ſcriptis doceret, ingenioſiſſimus *Stahlius*, & multos paſſim aſſeclas reperit. Magnus exinde ſyſtematum, aliorumque librorum medicorum, latino & teutonico idiomate, numerus prodiit, quibus hæc hypotheſis tamquam fundamentum ſubſternitur, & vbi omnis theoria & praxis medica inde maxime deriuatur, & ad eius doctoris mentem docetur, theoriæ veræ, praxeos naturalis, nomine inſignita. Argumenta, quibus eam ſententiam probabilem reddere allaboratur, cumulauit genuinus ſummi viri discipulus, *Michael Albertus* introduct. in vniuerſ. medicin. c. 2.

rum, a quibus leuiter diſſentire (c) audeo, mentem meam indigitare, vt norint, qui meum hoc leuidenſe opusculum legere dignabuntur, quid per naturæ ſanantis, indicantis, errantis vocabulum intelligam. Sapienter equidem plurimos in corpore ſano & ægroto motus fieri ſentio. Neque ipſos errores & imperfectiones naturæ, quæ vocantur, ſapientis conſilii expertes credo, quum medico prudenti, & hiſtoriæ morborum & remediorum bene gnaro, eligendam & adhibendam medelam indicent. Verum ea omnia non ab occulta quadam imbecillis humanæ rationis virtute, ſed a manifeſtiſſima per totam rerum vniuerſitatem ſapientia infiniti creatoris, (d) ἀει γεωμετρεντος, deducere velim. Hic,

(c) cl. *Furſtenau*, profeſſor Rintelenſis elegantiſſime doctus, deſiderat. med. p. 146. "*Stahliana*, ait, dogmata inter ſe bene nihilominus cohærent, ſi vel maxime primum illud principium vacillaret, aut liberum cuiuis relinqueretur, quid naturæ nomine denotatum intelligat." Ipſe auctor *Stahlius*, præf. ad *Iunckeri* conſpect. med. "pro fundamento, ait, ſubſterno, quod vera cauſſa efficiens directionum ſit in homine ipſa anima. Agnoſco, quod hac propoſitione, vt pote non tam ad medicam, quam phyſicam, anthropologiam pertinente, plane ſuperſedere potuiſſem." Et potuiſſet profecto.

(d) *Hippocrates* de morbo ſacro, "homines, ait, ex imperitia & admiratione, morbo comitiali naturam quamdam & cauſſam diuinam ineſſe cenſuerunt. Diuerſi ſunt morbi, neque minus admirabiles, neque minus prodigioſi: & primum quidem *febres* quotidianæ, tertianæ, quartanæ, neque minus, quam hic morbus, *a deo fieri* videntur. -- Neque tamen *hominis corpus* a deo inquinari exiſtimo, impuriſſimum a puriſſimo, quin, ſi forte contingat, vt ab alio coinquinetur, aut patiatur aliquid, *purum & ſincerum denuo reddi diuinitus nitatur*. -- Morbus qui ſacer appellatur, ex iisdem cauſſis

Hic, quod res ipſa docet, & ſanum eſſe corpus, & ægrotare, & ſponte ſua ab impuritatibus & functionum impedimentis liberari, & limitatum tamen in ea virtute eſſe, & medico indigere, & medelas, quas ipſe deus arti largitus eſt, indicare, & corruptioni tandem ac mortalitati ſubiectum eſſe voluit, iuſſit, effecit. (e) Menti vero intelligenti, & volenti, & eius, quod ipſa intelligit & vult, dummodo meditando attendat, ſibi conſciæ, ea lege, coniunxit corpus, vt pro voluntatis arbitratu certis organorum motibus præſit, ſenſuumque inſtrumentis afficiatur, ceterarum rerum, quæ ſponte intra corpus aguntur, quicquid meditetur etiam vel attendat, plane inſcia, (f) neque, ſi velit, & ſollicite curet, quicquam mutare potens. (g) Attamen forte fortuna ſæpe

---

"cauſſis, ex quibus reliqui, ori-
"ginem trahit, ex his nempe,
"quæ accedunt & decedunt,
"velut *frigore*, *ſole*, *ventis*, &
"*mutationibus nunquam con-*
"*quiescentibus*. Atque hæc
"*diuina ſunt*, vt nihil opus ſit
"exiſtimare, hunc morbum
"reliquis diuinitate præcellere,
"ſed *omnes diuini*, *omnesque*
"*humani* reputandi ſunt. *Na-*
"*turam* autem & *vim morbus*
"*in ſe* quisque habet, & nullus
"eſt, qui tentari, & *mechanica*
"*ratione curari* nequeat, απειρος
"και αμηχανος. Plerique vero
"*eiusdem generis* rebus *curan-*
"*tur*, a quibus *fiunt*:" id eſt, phyſicis & mechanicis.

(e) "Fato," (hoc eſt, diuino conſilio, & cauſſis mechanicis a deo conditis, non propriæ animæ ſapientia) "viuimus,
"languemus, conualescimus,
"morimur." *Quintilianus*.

(f) "Medica ars in homine plus
"inuenit, quam in ſe ipſe co-
"gnoſcit." *Caſſiodor.* formul. archiatr.

(g) Huc ergo plane non ſpectant, qui a quibusdam cum motibus vitalibus comparantur, actus animæ per conſuetudinem, & neglectum, & ſubitaneo impetu facti, quorum ſæpe ipſa ſibi conſcia non eſſe, eosque impedire non poſſe, videtur: conſcia tamen futura, &

prohi-

ſæpe fieri neceſſum eſt, vt animi affectibus machina corporis, corpereis vitiis anima inconſulto moueatur, aut perturbetur: quoniam ipſa animæ inſtrumenta, nempe ſenſuum & voluntariorum motuum organa, partes eſſe corporis, & toti artificio arctiſſime intertexta & mixta immo ipſa aliis etiam corporis vſibus ſeruire, & mechanicis motuum adiumentis diuerſimode ſubiacere & indigere voluit creator. (h) Hæc igitur res toto cælo a ſapienti voluntariorum motuum moderamine differt, neque vlla ratione probabile facere poteſt, motus etiam non voluntarios ab vnius eiusdemque principii ſapientia dependere. Nulla enim eſt conſequentia a fortuita & turbulenta (i), etiamſi maxima, rerum arcte coniunctarum inter

---

prohibitura, ſi eo ipſo, quo impetum facit, momento attenderet, & contra niteretur.

(h) Numquid id eo conſilio factum eſt, vt, dum motor ſpiritus, ſeu anima rationalis, quouis fere momento voluntarios motus excitat, excitentur etiam, & in motu mechanice impreſſo conſeruentur partes corporis mere mechanicæ, voluntati non ſubiectæ, ſed cum voluntariarum motionum inſtrumentis connexæ? Hinccine ratio dari poteſt, cur in fibris & humoribus corporis noſtri, quamdiu id integrum eſt, *motus* ille obſeruetur *perpetuus*, ſine externo motore, quem tam anxie in arte factis machinis inuentum dare laborant artifices?

(i) Huc etiam pertinet ipſa illa mirabilis efficientia pathematum animi materni in turbando contextu tenerorum fœtus ſtaminum: in qua ſingulare ſibi videntur reperire opinionis ſuæ patrocinium, qui ſapiens animæ moderamen in motibus haud voluntariis ſtatuere amant. At iſta profecto turbatio a ratione & ſapientia non proficiscitur. Immo ſibi ipſi non bene conſentire videntur, qui imbelle hoc argumentum urgent, & tamen non maternæ, ſed ipſius embryonis animæ, corporis formationem

inter ſe, & iisdem organis vtentium, in ſe inuicem efficacia, ad rei vnius rationalis in alteram corpoream occultum imperium, & ſapientem directionem omnium motuum, præſertim etiam eorum, qui euidentiſſime in corporea mechanica fundati, & nullo finitæ voluntatis arbitrio ſubiecti ſunt. Neque opus eſſe putauerim, vt ad ſuſpicandum ſingularem aliquem archeum, naturam plaſticam, animam a ſpiritu rationali diuerſam, vel huius ipſius vniusque ſpiritus *incognitam & duplicatam poteſtatem & prudentiam* confugiamus, motus, quos intra nos ſapienti conſilio fieri apparet, vitales, & morbis profligandis aptos, nobis neque *ſentientibus* neque *volentibus*, immo vel *contra optantibus laborantibusque*, ſollicite & ſapienter meditantem, eligentem, perficientem. Ita, vt alia ne quidem animata corpora in tellure noſtra taceam, in quibus motus ſpontanei pro conſeruatione & depuratione, mirabiles obſeruantur, nec ipſe terrarum orbis (k) ſua quadam rationali anima opus

---

nem tribuunt: quaſi harmoniam rationis inter matris & fœtus animas demonſtrare poſſint. In corporibus matris & fœtus confluere & conſpirare omnia ſcio: neſcio vero an inter animas. Subtiliſſimorum ſtaminum, particularumque minutiſſimarum, in quauis embryonis parte, ſuus eſt cum ſimilibus partibus corporis materni conſenſus mechanicus & hydroſtaticus, pro legibus connexionis, & ὁμογενεων, & circulationis mutuæ: vt rationi conſentaneum videatur, quod experientia docet, factam a maternæ animæ pathematibus impreſſionem fortuitam & turbulentam id efficere poſſe in tenerrimis embryonis crescentis ſtaminibus, quod in obfirmato matris corpore ſentiri nequeat.

(k) "Terram ad ſimilitudinem "corporum humanorum natura "formauit, vt maiores quoque "noſtri aquarum appellauerint "venas." *Plinius.* Quod in ipſo terrarum orbe, in ipſo mundi

opus habet, quamuis motus in eo, tum conſueti & blandiores, tum inſoliti & tempeſtuoſi aquarum, vaporum, ventorum, ignium, ad ſapientem ſcopum conſeruationis, & depurationis deſtinatæ euidenter collineent. Nolumus iam de brutis animantibus & plantis dicere, quibus quidem animam occulta ſapientia inſtructam recentiorum quorumdam auctorum hypotheſis lubenter largitur. (1) Neque ergo tenuem noſtram rationem, cui talia incredibilia videntur, & ακαταλληπτα, eo vsque torquere cupimus, vt credamus non intellecta, aut non neceſſaria difficulter comprehendamus. Nos, ſecundum naturam rerum, ſingulorum hominum *vnum* agnoscimus ſpiritum, ſeu animam, ſubſtantiam ſimpliciſſimam, eiusque *vnum* intellectum, *vnam* voluntatem, & huic certis legibus ſubiectum & vnitum vnum corpus naturale, incomparabili artificio mechanico & hydroſtatico mixtum, conſtructum, & motum. Conditorem potentiſſimum, & motorem eundem machinæ ſapientiſſimum non ſuſpicamur, ſed nouimus. Archeum, ſeu animam nouam & duplicem, vel

mundi ſyſtemate, in omnibus partibus, eiusmodi motus mechanice, ſed ſapienti conſilio procedens, a primo motore deo impreſſus, obſeruetur & conſeruetur, ſine aliqua peculiari intelligentia, aut anima mundi rationali, vix puto in dubium vocari poſſe, aut debere. Euidens eſt, voluntarias motiones ſubſtantiarum creatarum in orbe degentium varios impetus facere, mutare varia, partim conſulto, partim fortuito, in ipſis motibus, qui ſponte fiunt. Neque tamen iccirco quæquam harum ſubſtantiarum occultum ſibi arbitrium arrogabit in cetera, quæ, ſine ſuo conſilio, ſapienter fieri & moueri ſentit in orbe, aut in orbis parte virtuti ſuæ motrici expoſita, vel ſuo corpori contigua.

(1) v. celeberr. *Alberti* von der Seele der Menſchen, der Thiere, und der Pflantzen.

duos intellectus, alterum ſæpe altero ſapientiorem, & res *contraria* ratione intuentem, immo tunc alterum clam ſapientiſſimum, cum alter manifeſte nihil ſapit; (m) item *duas*, & ſæpe *eodem temporis momento ſibi inuicem repugnantes voluntates*, manifeſtam vnam, alteram clandeſtinam; in *vna ſimplici anima naturali*, ſibi relicta, & nullam in ſe pugnam ſentiente, (n) non ſcimus, ſed coniectura ingenioſa opinamur, ſi ita lubet, vel fingimus, & excuſationibus argumentisque dialecticis ſuſtentamus, quo vsque placet. Nodum ſcindere prudenti conſilio, non ſoluere videntur medici, qui, explicationem multarum difficultatum ſuperuacuam putantes, principium eiusmodi vitale, tanquam deum aliquem ex machina interponunt, quod ipſi haud ſerio credant: quemadmodum fere ſagaciſſimus *Nevvtonus* attractionis vocabulo inutiles in naturali

(m) Viciſſim ſæpe naturæ in corpore motus peſſime a ſanitatis ſcopo aberrant, dum intellectus ægrotantis ſapienter ſatis agnoscit, quid ipſi agendum foret, ſi ipſe & natura vnum eſſent idemque. Sæpe medicus, aut alius peritior ægrotans, ſi errores naturæ, ſeu animæ ſuæ, ſi diis placet, manifeſto animæ eiusdem ſuæ intellectu intelligat, eandem animam precibus flagitare opus habuerit, &, o, dicere:

animula vagula, blandula,
hoſpes comesque corporis,

agnoscis errores tuos, corrige quæſo, quod leui motuum mutatione potes, neque te ipſam adeo inſipienter excrucia!

(n) Itaque, ne quid durius dicam, fruſtra certe plane ſunt, qui hanc, de duplicatis & repugnantibus animæ naturalis facultatibus, opinionem probabilem reddere tentant, adducto in exemplum illo ſacræ religionis μυστηριῳ, dum, adiuuante ſpiritu dei, repugnantem naturalibus cupiditatibus ſpiritum in ſe, ſupra naturam, ſentiunt homines ex deo iterum geniti. Diuina μυστηρια ad hominum opiniones temere applicantur.

rali philoſophia curioſitates ſecat, quod ipſe ætiologiam rerum abſoluere non cenſet. (o)

§. IX.

Naturam itaque humani, vti alius cuiusque corporis naturalis ſemel a deo in motum conſtituti, conſiſtere arbitror "in mechanico & hydroſtatico ſolidarum fluidarumque partium diuerſiſſimarum artificio, & ſingulis "particulis impreſſo niſu, motu, & directione, earumdemque proportione tum inter ſe, tum ad ceteras naturæ "vniuerſi partes, a quibus vel intrinſecus, vel extrinſecus "afficiuntur." Innumerabilia corpora ſunt, etiam non animata, quæ ſua huiusmodi natura ſe ſuosque motus ſponte ſeruant, & a peregrinis particulis depurant, quam rem humanum corpus, eminentiori conſilio creatum, exſuperantius præſtat. Facile hinc patet, quid per naturam conſeruantem & medentem intelligendum ſit. Medicus, qui hiſtoriam ſanitatis, morborum, remediorum, quantum id fieri poteſt, notam habere debet, ex motuum ſalubrium & inſalubrium notitia, indicationes a natura mutuatur. Errare vero eam tum dicimus, quum, ex ipſa ſtructuræ, motuum, proportionum ratione phyſica, inutilis ægritudo, vel periculum quodcunque conſequitur, quod medicæ artis ope præcaueri, aut auerti poſſit, aut debeat. (a) Ita corpus humanum naturale conſideramus, non tantum tamquam mixtum, quod fruſtra medicis mechanicis exprobratur; ſed etiam tamquam natiuo niſu, & motu, per varias ſui partes, diuerſimode moderato & directo, quem ſapienter machinæ

Natura humana conſeruans, ſanans, errans, indicans.

(o) Princip. philoſ. natur. mathem. L. 1. defin. 8. & paſſim.

(a) *Fernelius* I. therap. 1. "quorſum, quæſo, conſtituta ars hæc "eſſet tot tantisque maiorum "vigiliis, niſi maius quoddam, "& excellentius, quam natura, "præſtaret?

næ creator impreſſit, inſtructum, & tanquam proportionem habens tum inter ipſas partes, tum ad animam ſibi iunctam, eiusque pathemata, tum ad ceteras res, quæ non naturales & præternaturales vocantur. Quisquis, occulta quadam intelligentia nobis præterea opus eſſe, demonſtratum dare voluerit, is, quod humanæ manus mentisque poteſtatem ſuperare videtur, prius præſtet neceſſe eſt: fibrarum, humorum, vaporum omnium, in corpore mixto, moto, calido, viuo, omnes perſcrutetur ſubtilitates, niſus, motus, connexiones, confluxus, conſpirationes, ſeparationes, proportiones: is, inquam, quod olim in poemate quodam ſcripſi,

ex imis eruat ima
Viscera visceribus; menſuras, pondera, formas,
In tenebris luſtret; natiuaque ſtamina ſoluat; (b)
Explicet impreſſos niſus, legesque mouendi; (c)
Purpureumque cruoris iter, thermasque perennes (d)

Diuerſi

(b) "Rerum natura nullibi magis, "quam in minimis, tota eſt." *Plinius.*

(c) Egregie *Hoffmannus* medic. ſyſtem. T. 1. prolegom. c. 3. §. 14. "Vis mouens & ex neceſſitate "agens corporibus ſubſtantialis "& eſſentialis adſignatur. At- "que adeo non opus eſt pro iis "peculiare agens fingere, ſi- "quidem omne corpus eſt a- "gens, & perpetuo eſt in *niſu* "ad motum, vel in *motu*, vnum "in alterum *agit* ac *reagit*, & "*mutationem*, licet non ſemper "ratione loci, producit." Scilicet impreſſit creator ſeruatque ſingulis corporibus conditis, corporumque particulis, motum & niſum ſpontaneum, quo ſigillatim perſpecto, leges mouendi explicari demum poſſunt. Iis, quæ aduerſus mathematicam hanc veritatem diſputat ingenioſiſſimus *Alberti* princip. philoſ. natur. c. 3. §. 22. reponimus vniuerſa princip. philoſ. natur. mathematica incomparabilis *Newtoni*.

(d) Thermam, inquam, id eſt liquores non inertes, ſed αυτοματως, propria ſponte, tum

Diuersi generis (e) *laticum ; viuosque Mæandros*
Neruorum ; (f) *ex minimis tot texta volumina fibris ;*

Sed

tum calore & rapidiſſimo minorum particularum motu inteſtino, tum etiam ipſo motu progrediente, & ad certas directiones determinato, pollentes, quia a natiuitate inſtructos.

(e) Hinc corpus humanum non ſolum machina hydraulica dici meretur, verum etiam, quoad minimas particulas, hydroſtaticis vbique legibus, &, quæ in tota rerum natura particulis ὁμογενεσι & ἑτερογενεσι, & diuerſa vi & proportione motis & mixtis, ſtatuta ſunt, naturaliter ſubiectum eſt, ex quibus, fibrarumque textura & elatere vario, a deo creatore & motore ſapienter diſpoſitis, iſta miracula naturæ euenire videntur, quæ aliquibus ſuſpicionem, de interna quadam & occulta principii cuiusdam vitalis ſapientia, mouerunt. Innumere diuerſas & natiuo corporis humani ſemini, & alimentis omnibus, & ſanguini circulanti ineſſe particulas, & inde prodire diuerſiſſimos iſtos humores, conſtat: prodire vero ratum habemus, non per ſingularia fermenta, non per pororum figuram, aut ſolam diametri diuerſitatem, neque per neſcio quem archeum, aut principium vitale ſeligens & mouens, ſed per naturales varii artificii mechanici, & hydroſtatici conſecutiones. v. celeb. *Boerhaau.* inſtitut. med. aphor. 253. ſq.

\- - - *in rebus materiei*
Interualla, viæ, connexus, pondera,
plagæ,
Concurſus, motus, ordo, poſitusque
figuræ,
Cum permutantur, mutari res quo-
que debent.
Lucretius.

(f) Cenſemus, per perennantem cordis motum, neruos, qui admirandis ſuis diſtributionibus Mæandrum aliquem referunt, viuo, id eſt, perenni flumine irrigari, ſeu perlui, & ad actiones, ſenſationesque aptos reddi, inibique lympham eſſe ſubtiliſſimam ex ſanguine ſecretam, motu certo, & ad motum niſu, & ad ſuscipiendum habitu inſtructam, & perinde eſſe, ſpiritusne an liquorem neruorum voces. Hos ipſos neruos, varie tenſos, vnitos, ſeparatos, cum liquore ſuo,

nerui liquore inſtructi.

Sed ſapienti texta manu, ſed texta potenti

Con-

inſtrumentum eſſe reputamus motuum tum αυτοματικων, tum etiam eorum, qui animæ voluntati ſubiecti ſunt, diuerſiſſimorumque ſenſuum, atque exinde mutuum inter animi corporisque affectus conſenſum oboriri, vt adeo ratione neruorum, animæ viuentis organorum, medicus, corporis, iisdem organis vtentis, curam gerens, id tanquam haud mere mechanicum, ſed etiam tamquam viuum & animatum, conſiderare omnino debeat. Minime perſuadent, quibus contra illum liquorem diſputare lubet, quos inter haud pridem ſurrexit cl. *Gœlickius*, ſcripto, quod ſpiritum animalem ex foro medico relegatum inſcripſit, & addita ſententia damnatoria Apollinis, fulmine bruto, in illos ſpiritus, quibus medicos infatuari dicit, vocabulo in ſummos viros iniurio, qualia apud hunc auctorem frequentia ſunt. Reſpondit egregie cl. *Burggrafius*, de exſiſtentia ſpirituum neruoſorum, & cum cl. *Gœlickius* vindicias ſuæ opinionis ederet, has etiam repreſſit oppoſito libello, cui titulus: ſpiritus neruoſus immerens exſul reſtitutus. conf. celeb. *Heiſteri* compend. anatom. p. 153. ſqq. & ibi adducti auctores, item *Brunner.* de glandul. duoden. p. 73. ſqq. vt taceam, quos abunde adduxit, excerptis argumentis & experimentis, omni, vt videtur, exceptione maioribus, laudatus *Burggrafius*, *Wepferum*, *Leeuwenhoeckium*, *Bohnium*, *Bergerum*, *Boerhaauium*, *Hoffmannum*, aliosque. Miramur merito cum *Heiſtero* l. c. "hodie eſſe, qui "hos ſpiritus ob leues cauſſas "negant, immo, qui in illos, "qui ſpiritus hosce admittunt, "ſcommatibus & conuiciis in-"uehuntur." Neque vero aſſentimur viris ceteroqui præſtantiſſimis, qui liquorem illum neruorum omni virtute elaſtica carere autumant. Ineſt profecto elementi aerei elaſtici portio, ſuamque vim, pro proportione ad fibras tenuiſſimas, liquorem hunc continentes, exſerit in ipſo ſtatu ſano, & euidentius in morboſo: quod alibi demonſtrare locus erit, vbi de neruorum pathematibus febriculoſis agemus.

Consilio, (g) *tota vt, facto ceu fœdere, in vnum*

Machi-

(g) * Nihil de humana mente tam eximium compertum habemus, quod illam quorundam sententiam, satis pro humano genere ambitiosam, fouere posſit, quasi ipsamet mens, ex sapientia & potentia sibi insita, & struxerit corpus suum, & nutriat, & conseruet. Structorem, nutritorem, conseruatorem longe sapientiorem, potentioremque arguunt omnia. Acriter nuperrime, sed cum argumentis haud spernendis, tefutauit theoriam ita dictam organicam, quoad hanc præcipue sententiam, cl. *Stentzelius*, profeſſor Vitembergensis, diſſ. de glandularum in plurimis visceribus abſentia. Is, §. 21. "quo, inquit, "applausu, quo rationis ſuffra"gio, cum inſcia, immo inuita "anima, circulatio ſanguinis, "ſecretio animalis, aliæque "actiones vitales fiant, dicere "posſum, quod eadem ſit prin"cipium agens, *corpus, tamquam* "*mere passiuum, formans*, forma"tum, tam in ſano, quam mor"boso ſtatu, dirigens? Hanc "virtutem nihilo ſecius animæ "*Stahlius*, cum cœcis illius asſe"clis, tribuit. Si vero *generati*-

"*nis*, nutritionis, & totius ſani- * *corpus*
"tatis negotium conſideremus; *ab anima*
"ſi morbos, eorum originem, *propria*
"ſedem, cauſſam materialem, *non for-*
"& methodum medendi exami- *matum.*
"nemus; quam iniurius in ar"tem ſalutarem *Stahlius* ſit, ſatis "perſpicere poſſumus, mihique "ipſi *multis exemplis* miſere ab "eodem *curatarum febrium* in"notuit." Non hæc mea facio; ſed eo conſilio huc transfero, vt nouiſſimo exemplo pateat, quam minime hodie generaliter viris doctis & ſagacibus iſta probetur theoria, eiusque ad febres præcipue, de quibus agimus, applicatio, & quantas iccirco patiatur contradictiones. v. ſupra p. 131. ſq. Quæ de miſera febrium curatione a viro illuſtri peracta confidenter, & quaſi ex propria multiplici experientia, dicuntur, probatione indigent, reſponſione forte aliqua eiusdem, aut diſcipulorum alicuius, propediem refellenda. Neque enim talia de tanto viro merito dici putem. Et quæ curatio, forte infelicior, cenſuris affici non poteſt? quum omnes ſaluos præſtare, omnibus ſatis

Machina conſpiret, motus ſine mente (h) *faceſſens*

In

facere ægris, & adſtantibus, aliisque medentibus diuerſa opinantibus, neque in cl. *Stahlio*, neque in quoquam alio ſit medico.

Tres medico tituli ſunt: fauſtus, quando rogatur,
Eſt genius; deus *eſt, ſi bona fata iuuant;*
Numen at omnipotens ſi iam ſanare recuſat,
Hei, quot iudiciis contemerandus homo *eſt!*
Mox ita non meritum cælo fortuna locabit;
Mox æque immeritum præcipitabit humi.

* *motus vitales ſine anima.*

Conſentio vero plane cl. *Stentzelio*, diſputationem de animæ virtute formatrice finienti exclamatione Iobi: "manus tuæ, domine, (non "*Stahliana* natura) fecerunt & "formarunt me *totum!*" Nihil enim omnino me ipſum, id eſt animam meam, ad mei formationem contuliſſe, æque perſuaſum habeo, ac mundum totum, ſtellas, terram, animalia, plantas, metalla, cetera dei opificia, ad condendum ſeſe inſita anima quadam ſua rationali, nihil quicquam præſtitiſſe. "Dumque ex lege a "deo præſcripta, motuque ad "has optime conſequente, "omnia ſuccedunt, durant ſin-"gula & perdurant, nec indigent "alieno auxilio." *Schelhammer* de natura p. 214.

(h) *Id eſt, ſine mentis arbitratu, quod euidentiſſimum eſt. Immo motus, qui corporis viui motibus ſimiles ſint, anima abſente, reſtitui poſſunt in cadauere recenti, cuius machina adhuc incorrupta eſt, & dum meatus ſubtiliores peruii, fibræque ſatis mobiles ſunt: quo experimento, ſimilibusque, ſatis probari poſſe videtur, non opus eſſe, vt ad animam naturam confugiamus. *Brunner.* de glandul. duod. p. 73. ſqq. "Canem "ſtrangulatum cultro ſubieci. "In oculos incurrit lymphæ re-"ceptaculum ſpecioſum, chylo "turgidum. Inflicto vulnuscu-"lo tubulum adaptaui & infla-"ui. Flatus hinc procurrit fa-"cile per ductum thoracicum "ad cor, cuius auriculas dum "flatus diſtendit, ecce, poſt-"quam æternas diu ante ferias "agere cœperat, denuo in vitam reuo-

In se sponte suos, quos mens sociata stupescat.

Tum demum certo negari vel affirmari poterit, quid hic infinita sapientia structus mechanismus, vt barbaro *Boylei* vocabulo hodie vulgatissimo vtar, sine humanæ animæ moderatione, polleat, quidue secus; & ne tum quidem spiritus cum corpore vnionem, seu alterius partis in alteram effectus, (nam effectus esse sentio, neque ad hormoniam meram (i) confugere velim) effectus, inquam, animi & corporis

"reuocatur, & auriculæ motita-
"ri cœperunt, primo lenius,
"abhinc vegetius, ab octaua
"hora vsque ad duodecimam.
"Quod si vel maxime animam
"quis brutis concedendam esse
"existimauerit, hanc tamen ab
"orco me reuocasse nemo cre-
"diderit. Quod in bruto ego,
"idem in homine experti fue-
"runt cum *Peiero* aliquot phi-
"liatri" v. eius miraculum naturæ parerg. anat. 7. & ibi additament. *Harderi*, add. *Harueus* de generatione animal. exerc. 4.

(i) *Nota est virorum acutissimorum, *Leibnitii*, *Wolfii*, *Bülfingeri* hypothesis. Nuperrime cl. *Grossius*, doctor medicus apud Halenses, in tractatione, qua verum vniuersæ medicinæ principium in corporis structura mechanica sistit, ingeniosum, sed παραδοξον, de præstabilita harmonia dogma, ex *Leibnitianæ*, seu *Wolfianæ* philosophiæ principiis, ad theoriam artis medicæ applicauit, nexum, vt ait, *effectiuum* animæ & corporis inuicem negans, & corporis motus, cum anima conspirantes, omnimode, secundum statum antecedentem & regulas motus, in ipso corpore, animæ vero sensa, corporis motibus congruentia, in ipsa anima determinata exsistere disputans §. 31-44. Ibidem §. 33. 35. effectus animæ & corporis mutuos physicos esse non posse ex eo probat, quod illa, quia partes non habeat, neque tangere possit, neque tangi, adeoque nec agere naturaliter in aliquod corpus, neque a corpore affici. Iudicent philosophi, quo vsque hæc, a corporei attactus negatione cuiuis obuia, ad naturales spirituum cor-

* *de harmonia præstabilita.*

poris in se mutuos, & societatem illam admirabilem, diuinum

corporumque effectus negandos, argumentatio valeat. Vtrorumque essentiam & naturam perspectam non habemus, adeoque nec effectus naturales omnes: neque deum, spiritum, sine præstabilita harmonia, & sine attactu corporeo, agere in corpora, & eorum motorem esse, dubitare licet: nec quo agendi modo vis motrix primitus operetur, & in corpora transeat, cognoscimus. Corpora physica iam in motum acta haud sine attactu physico partium a se inuicem moueri scimus. Quomodo primus motor deus, spiritus simplicissimus perfectissimus, corpora mouerit moueatque, quas potentias creatis spiritibus circa motum tribuerit, aut negauerit, & hi quomodo moueant & afficiantur, neque nouimus, neque affirmare aut negare possumus. Caute, instar philosophi de sua hypothesi dubitantis, loquitur ipse cl. *Wolf.* metaphys. §. 530. 537. Et sane motus productio in corporibus, & vicissim perpessio a corporum motibus, earumque rerum modus fiendi, non magis captum nostrum superat, neque simplicitati spirituum magis repugnare videtur, quam repræsentatio diuersa, quasi speculi res compositas repræsentantis speciem habens, diuersitas spirituum inter se infinite varia, mutatio interna, gradus potentiæ & limitationum, ceteraque, quæ de vnitatibus schola *Wolfiana* docet. Affirmabit forte aliquando sectatorum *Leibnitii* aliquis, monades, seu atomos, ex quibus innumeris, diuersa vi repræsentandi præditis, ipsa corpora composita isti reputant, attactum mutuum cum monadibus spiritibus habere posse, atque ita influxus physici systema, experientiæ & sensibus probatissimum, in ipsam philosophiam *Wolfianam*, quasi postliminio, recipiet. Nos neque illi sectæ, *Stahlianam* δις δια πασων refutanti, neque vlli alii nos addicimus, nota ab ignotis, opiniones ab euidentia, sollicite discriminare studentes, medicinam ab omni hypothesi liberandam, sensibus vero & experientiæ existimantes vindicandam.

num & imperſcrutabile ſpiritus creatoris opificium, explicare quisquam & determinare potuerit. (k) "Nec me pudet "nescire, quod nesciam." (l)

EPICRISIS.

Quo tamen cunque modo illæ ſe res habeant, equidem obſeruationes meas neque ex aliena, neque ex mea etiam theoria, iudicari velim; ſed ad tribunal ſolius ſinceræ experientiæ (a) prouoco, cui ratio (b) αναλογιαν, prudentia moderationem miniſtret, neque vlla dominetur opinio, multiplici ſenſuum accurate, & ſepoſita hypotheſi quauis, adhibitorum teſtimonio, & veritatis conſcientia conuictus. Si qua, per ſollicitos itidem praxeos clinicæ labores, quibus præeuntibus & comitantibus interpolatas has pagellas ſcribimus, meliora quisquam, accuratiora, expedi- *Atque petitio.*

(k) Sapienter v. cl. R.A. *Behrens*, medicus Brunſuicenſis plane eximius, in conſideratione animæ rationalis medica ſub *Schacheri* præſidio Lipſiæ diſputata: "libere, inquit, ignorantiam meam profiteri, atque "acquiescere in voluntate & "omnipotentia diuina, cuius "beneficio factum, vt duo entia "eſſentialiter a ſe inuicem diſcrepantia, tam exacte ſemper ſint "vnita, atque ita conſpirent, vt "vnum alterius ope atque auxilio indigeat, vnumque in alterum agat, & inuicem quoque "patiantur, ſatius eſſe duco, "quam iuſto fortaſſis ſcrupulo"ſius, in *vincula* vel *vocabula* "hunc nexum declarantia, inquirere pag. 34." Etenim, cenſente ill. *Bergero*, "nihil obeſt, "quo minus deum animæ & "corporis naturam, quam vtrimque non ſatis perſpectam habemus, ſine eiusmodi glutine "& coagmentatione, coniunctionis capacem condidiſſe, "credamus, omneque adeo vinculum repudiemus.

(l) *Cicero.*

(a) Quisnam iudex eſt ſapientiſſimus? experientia. *Stobæus.*

(b) *Brunner.* de glandul. duoden. p. 149. "vti ratio ſine expe"rientia mendax, ita experien"tia ſine ratione fallax.

peditiora, iucundiora, pro ægrotantium commodis, inuenerit, quum vix certiora, tutiora ne vix quidem poſſint reperiri; (quamuis longe melius, vberiusque hæc explicari poſſe & debere norim) aut, ſi quas eodem modo aliquis didicerit vtiles mutandi, limitandi, addendi regulas, quod pro locorum, corporum, temporum differentiis, & vbi Penitius cuiquam in rerum naturam & cauſſas introſpicere datum fuerit, facile poſſe fieri concedimus, & ipſi pro virili præſtare conabimur; is vt eodem cum candore dilucide ſua impertiatur candide exopto, quo ego in exigua hac opella conſignanda vſus ſum, (c) & in poſterum vti propoſitum habeo. Nullius doctrinæ theoreticæ odio ducor, nullius etiam amore, niſi quo vsque ea perpetuæ expe-

regulæ nobis præſcriptæ.

(c) Liceat mutuari, pro finiendo leuiori hoc opusculo, verba cl. *Torti*, quibus exasciatiſſimæ therapeuticæ ſpeciali colophonem imponit. "De cortice "dixi, quæ animaduerti in vrbe "ac regione mea. Quid præ- "ſtet ille apud alienigenas, im- "mo non in Europa tantum "noſtra, ſed & in America & "Aſia, ex ſcriptoribus fide "dignis iam ſatis innotescit. "Facile eſt autem ex eo, quod "huc vsque præſtitit, quid ſit "in poſterum præſtiturus, con- iicere. Nemo proinde me "inſimulet vanitatis, ſi quando, "quod ægre crediderim, votis "reſpondentem non plane ſor- "tiatur euentum in regione "ſua, vt ego, dubio procul, ea- "demque certitudine, qua pro- "tuli, ſum ſortitus in mea. "Nullus tamen dubito, quin, "ſeruatis exacte regulis, & "limitationibus a me propoſi- "tis, euenturum ſit ſemper, vbi- "que terrarum, quod hic quo- "tidie contingit, ſiue curatio- "nem ſpectemus, ſiue febres ac "ſigna febrium curandarum. "Sicuti enim, ex Hippocrate, "in omni anno, & omni tem- "pore, mala malum, & bona "bonum ſignificant, ita proba- "biliter idem ſignificant in omni "loco.

experientiæ reſpondet. Nullius in verba doctoris, (d) in nullius ſectæ philoſophicæ, aut medicæ, dogmata (e) iuro. Vereor, ne tandem omnes vaticinium impleant:

Serius aut citius mors ſua quemque manet: (f)

quantumcunque forſan aliquibus faueat ſeculi vel hominum indoles, aut breue pabulum miniſtret ſiue auctoris, ſiue diſcipulorum, ingenium aut auctoritas. Ipſe me quotidie monitum volo, quam ſit ad errores pronum, ſi præſtabilitæ hypotheſi praxin ſubiicere ſuſtineamus. Noui enim, quam facile noſtri vel magiſtrorum noſtrorum ingenii fœtus, nondum experientia maturatos, paterno vel germano animi fauore amplectamur, &, delato iisdem praxeos moderamine, quicquid ipſis viſum fuerit aduerſari, ſine adæquato examine, condemnare amemus. Admonet me ſymbolum paternæ eiusmodi indulgentiæ, vbi ipſe Phœbus medicus Phaethonti habenas conceſſit, impari illis moderandis & inepto. Amo adminicula & delectationes theoriæ; modo hæc communem mecum dominam pediſſequa veneretur, ſinceram experientiam. Veritates certas a coniecturis dubiis, & quæ certi ſpeciem habent, exquiſite dirimere conor. Nullum naturæ nutum neglectui habeo, (g) quo vel ſibi ipſa ſufficere, vel, titubans

(d) *Schelhammer.* de natura p. 322. "nolim, ait, in vno acquiescere "tirones; ſed, poſt curſum "ſtudiorum ſub vno abſolu- "tum, & alios adire. Vtantur "magiſtro, nec propria ſua "principia commendante, nec "ſectario, ſed, qui in omni ge- "nere philpſophiæ ſit verſatus, "omnium perſpecta habeat "dogmata, nullis addictus ſit "partibus. Neminem enim "vnum mortalium veritatem "per omnia aſſecutum, & ex- "hauſiſſe Democriti puteum "credi poteſt.

(e) "Nulla ſecta eſt, quæ omne "vidit verum; nulla, quæ non "aliquid ex vero." *Grotius.*

(f) *Propertius.*

(g) "Nihil temere fit, nihil præ- "teruideri debet." *Hippocr. 6. epid.*

bans & labascens, remedio opus habere indicat: eundem medici & medicinæ ſapientiſſimum auctorem & moderatorem eſſe perſuaſus, qui humanæ naturæ vires condidit, & limitibus terminauit. Nullum efficax artis medicæ præſidium vel ſperno, vel cœco impetu amplector, antiquum (h) illud ſit, an nouum; (i) domeſticum, (k) (quod

(h) *Caſſiodor.* formul. archiatr. "Medici vacent libris, dele-"ctentur antiquis. Nullus iu-"ſtius aſſidue legit, quam qui "de humana ſalute tractauerit." v. ibi notæ elegantiſſimæ I. H. *Meibomii.*

(i) *Lucretius:*

Deſine, nouitate exterritus ipſa,
Exſpuere ex animo rationem, ſed magis acri
Iudicio perpende, &, ſi tibi vera videtur,
Dede manus; aut, ſi falſa eſt, accingere contra;

"Rerum natura ſacra ſua non "ſimul tradit. Aliud hæc ætas, "aliud quæ poſt nos ſubibit, ac-"cipiet." *Seneca.* "Nihil infeli-"cius iis ingeniis, quæ mordi-"cus ſentiunt, maiores noſtros "nihil ignoraſſe." *Scaliger.* contra *Cardanum* exerc. 306. v. *Ramazzin.* orat. 7. "antiquitatis "& nouitatis ſtudio medicum "perfici probans.

* *mercurius vitæ cæleſtis.*

(k) v. celeb. *Heiſterus*, eleganti diſſertatione de medicamentis indigenis Germaniæ ſufficientibus. Ibi tamen §. 10. recte monet: "in febribus intermit-"tentibus pertinacioribus, præ-"ſertim autumnalibus, & quar-"tanis, difficilius ſane curatio "ſuccedit, ſine corticibus pe-"regrinis, Peruuiano ſcilicet, "& cascarilla." Cascarillam, puto, cum vero cortice coniunctam intelligit vir inclitus. Nam ea ſolitaria quartanam, aut alias febres difficiliores fugare, tentatum nobis aliisque ſæpiſſime eſt, non perfectum: quamuis & calidior acriorque, & magis aromatica ſit, &, in ipſis etiam alui fluxibus, euidentiori efficacia, licet guſtu vix percipienda, adſtringens. *Nouum quartanæ remedium, quod, ſi certum eſſet, medelarum Germaniæ ſufficientium augere poſſet catalogum, candide reuelauit egregius apud Vratislauienſes rerum medicarum & naturalium ſcrutator, *Klaunigius*, in noſo-

(quod, si curationi tutæ, celeri, & iucundæ

nosocomio caritatis, obseru. 18. de medicamentis antiquartanis, p. 82. "Componitur, ait, effi-"cacissimus puluis, quem mer-"curium vitæ cælestem appel-"lare amant, ex vitri antimo-"nii pulueriſati & olei vitrioli "partibus æqualibus: oleum "hoc ad siccitatem vsque a vi-"tro antimonii abstrahitur, ite-"rumque eadem eiusdem olei "quantitas affunditur, & abstra-"hendo & affundendo septies "proceditur. Hoc modo pul-"ueri præparato addi solet spi-"ritus, qui ex spiritus vini recti-"ficati libra vna, & spiritus ma-"stichis vncia vna, per quatuor "dies digerendo fit, & trium "dierum digestioni committi-"tur. Abstracto postmodum, "vel decantato spiritu, puluerí "recens iterum spiritus ad de-"flagrandum affunditur, quæ "deflagratio bis erit repetenda, "commouendo interim spatula "puluerem, donec flamma ces-"set. Puluis, qui restat, bene "exsiccatus, admirandi sane est "effectus, si eius vel granum "vnum semis, vel grana duo, "cum amaricante aliquo ex-"tracto, v. g. centaur. min. in "pilulam redacta, duabus horis "ante paroxysmum, quartana-"rio exhibeantur, hac tamen le-"ge, ne per bihorium aliquid "superbibatur, vtpote quo in-"fringeretur medicamenti e-"nergia. Vix deglutita pilula, "leniter sequuntur & vomitus, "& secessus, & sudor, &, quod "omnium optimum est, paro-"xysmus exsulat, si, quod raro "accidit, non prima, altera ta-"men vice, nec memini vlli la-"tentis miasmatis febrilis semi-"na curas feciſſe. Habes hic, "lector, euporiston plane diui-"num, tam experientia, quam "ratione comprobatum. Te-"stes prouoco ægros famosa "pilula restitutos." Miror, huius medicamenti adeo celebrati nullam in actis medicis Vratislauiensibus mentionem fieri, quum tamen & liber ibi laudetur, & omnis generis remedia ληξιπυρετα recensentur, iudicenturque. Forte *b. Kanoldo*, qui vomitoria in quartana reiecit omnino, & varia de eorum noxis ibidem scripsit, non probatum est medicamen, quod, quia a medico ciue commendatum fuit, publica censura afficere noluit. Nobis elegans videtur

dæ æque ſufficiat, præferendum plerumque, commoditatis cauſſa, fuerit) an peregrinum; (1) ευποριστον,

præparatio, eamque exquiſite a pharmacopœo noſtrate fieri curauimus. Menſe Octobri & Nouembri tribus iam ægris quartanis, duobus bis, tertio ſemel, ex præcepta methodo, accurate dedimus. Sed, quamuis effectus per vomitum, ſe ceſſum, & ſudorem, ſatis valide ſit inſecutus, & in duobus ægris prima quidem die, in altero etiam altera, veri horroris ſenſus non acceſſerit; attamen deinceps ipſe rediit horror, cum tota febris tragœdia, & morbus ſingulos haud ſegnius, quam antea, laceſſiuit, ſolo cortice Peruuiano, methodo ſupra præſcripta, plane curatus. Etſi igitur, vti antiquitus de vomitoriis omnibus notum eſt, hoc etiam remedio apte dato multæ forſan febres quartanæ, præſertim circa ſolſtitium, & quando ſatis deferbuerunt, ſanari poſſint; omnes tamen ſanari, & certum id eſſe medicamentum, per iſta tria prima tentamina conuicti, negare cogimur, & ſoli cortici exotico titulum remedii ad febres fugandas certi adhuc aſſerere. Vberiori interim experientiæ ſeruamus elegans & ſat blandum emeticum, quod, ne cæleſtis vitæ mercurium nominari aliquis putet, quod in vulgaris mercurii vitæ vituperium dici ſolet, antimonii vitriolati nomine magis congruenti inſigniuimus.

obſeruat. partic. 58.

(1) *Virgilius:*

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt,
Adſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domus Arabum, pictosque Gelonos!
Diuiſæ arboribus patriæ.

Brunner. de glandul. duoden. p. 149. "mirandum ſane, ait, "vel *noſtra ætate barbaros & Indos* plus contuliſſe, quam vel "*omnium ætatum ſcholæ. China-china* quid præſtet in curandis "febribus, & multis aliis morbis; "radix *ipecacoanna* in diarrhœis "& dyſenteriis; quid *parreira braua* in affectibus renum & "veſicæ; abunde iam innotuit: "hæc tamen & tanta beneficia "barbaris debemus, & Indis, "& vſum *guaiaci, ſalſæ parillæ,* "& ceterorum, qui magnus eſt "in vitiis lymphæ." *Lentilius* miſcell. med. pract. p. 548.

exo-

σον, (m) (quod itidem ſemper potius habemus) an multo labore parandum; (n) mite, & quod lenitate ſua apud ignaros fere euileſcat, (o) an magis generoſum;

"exoticomaniam, inquit, damno; ſed neque exoticudeniam laudare poſſum. Deme noſtris officinis exotica, radicem chinæ, contrayeruæ, rhabarbari, ſquillæ; deme folia ſennæ; deme ſantonicum, caſſiam, colocynthidem, dactylos, tamarindos; deme tot gummata & reſinas, aloen, ammoniacum, camphoram, maſtichen, galbanum, opium; deme cariophyllos, piper, nucem moſchatam, macin, zedoariam, zingiber; deme ambram, moſchum, zibethum, ſperma ceti, catechu, reliqua; deme quæuis exotica: clauas nempe Herculis deme, & inerme fatuumque olitorium relinquetur.

(m) *Pauli* quadripart. botan. p. m. 540. "Serio ſuadeo medicinæ candidatis, maximopere ſibi euporiſta commendata habeant, ob quæ ringi ſinant pharmacopœos, ceu ex quibus paulum lucri captare poſſunt.

(n) *Borrichius* de medic. hermet. p. 383. "non id agunt ſapientes," nempe, qui multo opere remedia elaborant, "vt adimatur ſua efficacia vulgaribus; ſed in hoc evigilant curæ eorumdem, vt nitor & elegantia, vt decus & robur vetuſtæ præparationi accedat.

(o) Sæpe medici, *Martialis* elogio,

- - *mitibus herbis*
Parcarum exorant penſa, breuesque colos.

Egregie hanc doctrinam pertractauit B. D. *Behrens*, archiater quondam Brunsuicenſis inclitus, in de leniorum medicamentorum eximio vſu, & de aquæ calidæ potu diſſertationibus, quæ *Meibomii* præſidis nomen etiam præferunt; & celeb. *Hoffmannus*, opusculis latinis & teutonicis plurimis, de viribus inſignibus aquæ ſimplicis, balneorum ex aqua dulci, pediluuiorum, lactis eiusque ſeri, infuſionum ex plantis benigniſſimis, aliarumque medelarum ſimpliciſſimarum blandiſſimarumque. Reſpondent his, quæ de iusculis medicatis ex herbis domeſticis, de potu auenaceo, ſimilibusque, *Wepferi*, *Lentilii*, aliorumque genuinorum medendi artificum ſcripta memorant.

ſum; (p) tutiſſimi ſemper cuiusuis ſaluberrimique, &, vbi id quoque licet, præſentiſſimi ac iucundiſſimi, pro ſingulorum ægrotorum diuerſa ratione, ſtudioſus. In votis mihi eſt illud *Asclepiadis*, tuto, celeriter, ac iucunde curare. Sed memini, qnod *Celſus* addit, periculoſam ſæpe eſſe nimiam & feſtinationem, & voluptatem. Quamdiu per morbi indolem, & humanæ artis imbecillitatem, prodeſſe ſatis medicina non poteſt, id maxime cauendum mihi duco, ſaltim vt ne noceat, (q) perſuaſus, eum curare neſcire, qui neſciat expectare. Vbicunque vero eſt aliqua artis poteſtas, quæ morbi tolerantia, aut periculo potior ſit, vt cruciatus leniri, aut morbus breuior certiusque ſalubris reddi, aut diſcrimen quodcunque auerti poſſit, piaculum eſſe reor, quicquam horum procraſtinare. (r) Vito farraginem, & ſesquipedales formulas. Naturæ parentis ſimplicitatem & componendi artem amo, (s) neque compoſitiones præter neceſſitatem multiplico.

(p) "Medicus, ſi fruſtra molliora "ceſſerunt, ferit venam, mem- "brisque, ſi adhærentia nocent, "& morbum diffundunt, ma- "nus affert: nec vlla dura vi- "detur curatio, cuius ſalutaris "effectus eſt." *Seneca.*

(q) Eſt regula *Hippocratis* epid. 6. ſect. 2.

(r) "In medicis niſi plenus miſe- "ricordiæ & humanitatis ſit "animus, omnibus diis & homi- "nibus inuiſi eſſe debent." *Scribonius Largus* in epiſt. ad *Caliſtum.*

(s) v. *Ramazzin.* p. 93. orat. 8. quæ inſcribitur: "in medicina facien- "da remediorum ſimplicitatem "operoſæ compoſitioni præfe- "rendam." Ibi, quum exempla curationis per ſimplicia affert: "ſolus, inquit, Peru- "uianus cortex, nobis a diuina "beneficentia munus conceſ- ſum, ſine alterius rei mixtura, "in qualibet regione, quo- "cunque anni tempore, ætate, "ſexu, temperamento, febres, "ſaltem recurrentes atque in- "teruallatas, fugat & extermi- "nat: quamquam non defue- rint,

plico. Multitudine laudatorum medicaminum, in ſingulis fere morbis & ſymptomatis, ita obrui artem noſtram ſcio, vt, vbi aliquid veræ experientiæ fidei reſpondens in ipſa praxi requiritur, dubius ſæpe medicus merito cum Aenea exclamet, την ὑλην ἰατρικην circumſpiciens:

O ſi ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto!

Amplector eo magis remedia polychreſta, &, quam maxime fieri poteſt, mihi ipſi experta. Vnius vero hominis non eſt, omnia experiri, & cauendum maxime eſſe videtur, ne, nimis multa experiendo, nihil experiamur. Attamen neque illi aſſentor nimiæ quorumdam affectationi paucitatis, qua decem forte plus minus ex omni medicæ materiæ penu medicamenta ſimplicia, aut ſingulariter compoſita, indicationibus omnino omnibus ſufficere reputantur, ceteris auxiliis quaſi in exilium miſſis. Morborum, ſymptomatum, cauſſarum, locorum, temporum, perſonarum diuerſitates innumerabiles medicæ, phyſicæ, morales, quas in numeroſa praxi clinica videre eſt, gratum merito animum mouent, vt æterno omnium naturæ regnorum regi gratias agamus immortales, quod tanta numerum varietate tam variis caſibus benigne proſpexerit. Sunt enim profecto plurima medicamenta efficaciæ ſuo modulo exploratæ; ſunt alia, quæ, licet nondum ſatis certa, tuta ſunt tamen, & ſpem vtilitatis probabilem faciunt, prudenti tentamine digna; & nullum non ſuos poteſt habere vſus, quos, ſi nondum matura experientia firmati ſunt ſatis, cauta exploratione & obſeruatione adhibita,

paulla-

"rint, qui hieron hoc picron, "ex arbore vitæ decerptum, te- "merare pertentarint, aliis re- "bus adiectis." Hanc inuidendam remedii laudationem pronuntiauit, ſcripſit, edidit ſenex ſeptuagenario maior, paucis annis ante el. *Torti* therapeuticam ſpecialem, poſt quam ſtatim fungi inſtar, nata eſt inuidioſa illa de abuſu chinæ chinæ epiſtola. v. ſupra p. 209. ſqq.

- - - *paullatim protrahet ætas*
In medium, ratioque in luminis eruet oras. (t)

Medicorum cuiusuis ætatis, nationis, ſectæ, experimenta, obſeruationes, inuentiones, caute, ad hiſtoriæ naturalis & medicæ normam & αναλογιαν, meditatus & expertus, cum ſelectu probo; ipſa haud ſtatim, quæ mihi non ſuccedunt, experimenta, multo minus ea, quæ nondum, aut vix tentaui, aut quæ non bene perſpicere licet, vanitatis arguo; (u) arcanas obuelationes neque laudo, neque ſector; (x) ſententias & hypotheſes, quæ ipſæ felicibus experi-

(t) *Lucretius.*

(u) Licebit huc applicare, quod ingenioſiſſimus *Boerhaauius* in elementis chemiæ, cum elegantia ſcriptionis, doctrinæque & experimentorum vbertate inſigni, nuperrime editis, de vetuſtis ſcriptoribus alchemicis dicit p. 120. ſq. "Cur falſi "arguam eos, qui in arte ſe "longe præſtantiores dederunt "me ipſo? meam potius igno-"rantiam in hisce, quam illo-"rum vanitatem incuſo. Vnum "tantum pace illorum dixerim: "dubito ſæpe numero mecum, "quoties arcana illorum lego, "an forte ſummi hi, & naturæ "rerum peritiſſimi artifices, "poſtquam tot, tamque ſingu-"laria, detexiſſent per ſinceras "obſeruationes, tandem, ve-"locitate præuidendi, & ea pro "factis narrauerint, quæ fieri "poſſe, immo quæ debere fieri, "colligebant." Ego vero etiam atque etiam in eiusmodi experimentis alienis medicis dubito, an forte euentuum ſingularium veras cauſſas non bene viderint artifices, & experimenti alicuius efficaciam laudauerint, vbi alia plane res ſucceſſum produxerat. Repetita paſſim, ſub plane ſimili rerum circumſtantium ſtatu, experientia iuſtum fidei experimentorum pretium ſtatuere debet. Atque hæc mihi dubitatio ſemper ſedet, quo vsque aliquod remedium arcanum ſeruatur, & a publica perueſtigatione & experientia ſecluditur.

(x) *Schelhammer.* de natura c. 5. §. 21. "ohe, inquit, quam "multa hic ſunt, quæ expectationi

perimentis anſam ſæpe præbent, honorifice ſine ſuperſtitione habeo; ſucceſſus & defectus, quos ſol videt, aut terra tegit, neque arti, neque naturæ, neque aliis cauſſis temere imputo; aberrationes, quæ humanæ ſunt, ſine rixa, vel contumelia, vitare contendo; disceptationes priuatim inimicas, vel pro-

"titioni haud reſpondent! Ro-
"gandi omnes, qui vera & effi-
"caciora, quam quibus nunc
"vtimur, poſſident, ea inuidere
"humano generi nolint, vel
"ſaltem, ſi qua inuenerint, lau-
"des ipſis tributas haud ſuſti-
"nentia, id admoneant publi-
"cum: neque enim par eſt aut
"humanum committere, vt vel
"diutius in errore fatali hære-
"ant medentes, vel propter vni-
"us lucrum domeſticum publi-
"ca ſalus, multorumque vita
"periclitetur." Sæpe profecto, quod maximi momenti creditum eſt, dum occultatum fuit, ſi in lucem tandem protrahatur, aut minimi eſſe apparet, aut dudum cognitum, & ſola ſuperuacua miſcela vel mutatione, tamquam fuco aliquo, incruſtatum. *Meibom.* ad iuſiur. Hippocr. p. 150. "Si ſcrinia
"excutiendi forte facultas ſe
"ſiſtat, mera ſaltim deprehen-
"das aliorum inuenta, & reme-
"dia in vulgus nota, quæ, ſi
"tollas, nihil offendas reliqui,
"præter ieiunam maciem:

"*Aut Apinas, Tricasque, & ſi quid vilius iſtis.*"

Si quid vero aliquis vere nouum, ſingulare, & vtile, inuenit ipſe, vel aliunde poſſidet, nescio an ſaluti publicæ fiat ſatis, ſi quis laudes alicuius remedii, quod ſibi, vel domui ſuæ, arcanum ſeruat, ex ſua experientia in publicum propalet, idque venale exponat. Non ita crescit ipſa ars, quæ hodie manus habet oculatas, nihil recipiens, niſi quod ſine velo hominum tegentium videt, & myſtis ſuis vniuerſim omnibus ſcrutandum dare poteſt. Neque eſt quod terreamur empiricorum abuſibus, quos cauſſantur, qui arcana iactant ſeruantque. Augent potius medicaſtrorum numerum & errores vendita ſine luce, vel ſemitecta, medicamenta: dum male diuinant & imitantur varii artifices, & vulgus, ſine arte & medico, ſequitur breues, & male ſæpe intellectas, ſchedæ vernaculæ regulas, & abſtinent docti a rei non ſatis exploratæ vſu.

propriæ ambitioni, aut vtilitati, aut aliis animi affectibus litantes, (y) & cenſuras in fructuoſas, (z) candidarum mentium terrores, & artis incrementorum peſtes, doleo & auerſor. (a) Complura mihi decidenda reſtant de ſingulis, in quæ digitum hac leuiuscula ſcriptione intendere lubuit, argumentis. Statui apud animum meum, quæ de his indies obſeruando, legendo, meditando, per ſubſeciua momenta colligere licet, deo forſan aliquando plus otii faciente, in qualecunque boni publici emolumentum conuertere, conſcripto, pro tenuitate mea, plene, ordinate, diſtincte, luculenter, opere theoretico & practico, de febribus intermittentibus, ceterisque ex earum genere morbis, & fido artis medicæ omnisque generis remediorum in illis vſu. Valete, viri experientiſſimi, meisque conatibus ſinceris, qui veſtris ipſe ſtudiis meritisque enixe faueo, fauete! Scribebam menſibus Octobri, Nouembri, & Decembri, anni clɔ Iɔ CCXXXI.

Conſilium de ſcribendo opere pleniori.

(y) "Hinc illæ circa ægros miſe-
"ræ concertationes, nullo idem
"cenſente, ne videatur acceſſio
"alterius." *Plinius* l. 29. c. 1.

(z) *Hippocrates* de arte: "verbo-
"rum inhoneſtorum arte ad ea,
"quæ ab aliis inuenta ſunt, con-
"fundenda promtum eſſe, nihil
"quidem corrigendo, eorum
"vero, qui aliquid ſciunt, in-
"uenta calumniando, non ſane
"ſcientiæ votum aut opus eſſe
"videtur, ſed potius proditio
"indolis propriæ, vel ignoran-
"tia artis.

(a) "Deponite, medendi artifi-
"ces, noxias ægrotantibus con-
"tentiones, vt, cum vobis non
"vultis cedere, inuenta veſtra
"inuicem videamini diſſipare!
Caſſiodor. form. comit. archiatr.

AD-

ADDENDA

ad pag. 255.

Quæ de recens feliciter inuento vſu corticis ad ſphacelum p. 255. dicta ſunt, vberiorem explanationem accipiunt ex libello nuperrime edito Iohannis *Rushvvorthi*, chirurgi doctiſſimi, qui inſcribitur *a propoſal for the improvement of ſurgery*. P. 3. ſqq. narratur hiſtoria, quam latine heic reddere licebit. "Anno 1715. ad virum "quendam arceſſebar ſphacelo in pede ex cauſſa interna "laborantem, cum pulſu inordinato, iis in caſibus conſue- "to. Profundas inciſiones ad os vsque in parte ſiderata "faciebam, & circumcirca, quo vsque aderat inflam- "matio, ſcarifabam, vulgariaque admouebam loco præ- "ſidia. Febris hinc deflagrauit, pulſus non ſolum euaſit "tranquillus, ſed etiam ordinatus, & intra paucos dies "ſuppuratio in marginibus notata eſt. Linquere ægrum "& pharmacopœo committere coactus ſum. Sed breui poſt "tempore vocatus ſum denuo, reverſa febre, & ad ſu- "periores partes progreſſa ſideratione. Eandem, quam "prius, methodum, ſimili cum ſucceſſu, adhibui: ſed "ſymptomata priora omnia tertium regreſſa ſunt; repe- "tita vero denuo eadem methodo, ceſſarunt. Inutilem fore "amputationem ratus ſum, quippe nimis ſæpe reditum mali "expertus, vbi cauſſa in ſanguine & humoribus hæſit, donec "tum primum prouidentia me direxit, vt corticem hoc in "caſu præſcriberem, obſeruata febris remiſſione. Reſpondit "vltra expectationem euentus. Febris non amplius re- "diit: corruptum crus amputatum eſt: & vidi homi- "nem ſanum vegetumque poſt multos exinde annos. Poſt- "hac aliquoties bonum eum effectum in ſimilibus caſi-

Corticis vſus ad ſphacelum confirmatus.

obſeruat. partic. 59.

"bus, haud exigua cum animi voluptate, notaui" P. 12. ſqq. epiſtola exſtat Claudii *Amyandi*, chirurgorum magiſtri, ad libelli auctorem, vbi p. 14. ſqq. "tuo, inquit, "exemplo corticem in omni ſphacelo, eodem cum "ſucceſſu dedi, qui eos viros egregios, quorum tu (in "epiſtola non edita) mentionem facis, exhilarauit. *obſeruat. partic. 60.* "Iam curo virum honoratum ſeptuaginta octo annos na- "tum, qui iſti medicamini vitam ſeruatam debet. Gangræ- "na primum laborabat ex phlegmone. Vſitata remedia "videbantur periculum remouiſſe. Sed, quum febris ſine "remiſſione aut intermiſſione perduraret, ſphacelus ſubi- "to apparebat, cuius progreſſus nulla ope ſiſtebatur, donec "vſurparetur cortex, quo facto, viginti minus horis ſepara- *obſeruat. partic. 61.* "tio incipiebat, cum pure laudabili. Idem ante aliquot "annos Iudæo contigit in ſphacelo tribus hebdomadibus ob- "firmato, quauis medela a variis chirurgis fruſtra ad- "hibita: alii item ægrorum meorum. In ſeptem eiusmodi "caſibus id medicamen iam præbui, discrepantibus ſin- "gulorum circumſtantiis; & in omnibus tamen præſtitit *obſeruat. partic. 62.* "officium: etiam intra hos paucos dies in *Delenorio*, bal- "nei in vico S. Iacobi magiſtro, cui ſideratio accidit poſt "varias in cruribus hydropicis puncturas. Cortex pro- "greſſum infra viginti quatuor horas ſtitit, & eſcharæ ſe- "parari cœperunt. Sed, corpore iam icterico, & euacuatio- "nibus exhauſto, rediit ſphacelus, & alterum crus inuaſit, "vnde quamuis mortem obierit æger, vis tamen remedii "adeo fuit manifeſta, vt, hoc ceterisque caſibus atteſtantibus, "euidens eſſe putem, æque nos de meliori exitu, aut cer- "te de ſiſtenda ſideratione ex quacunque cauſſa interna, cer- "tos eſſe per corticem poſſe, quam de febre intermittente "per eum ſuperanda." Reſpondet auctor p. 22. "Eximio "cum gaudio percipio, tot tibi experimentis ſalutarem cor- "ticis effectum demonſtratum eſſe: quamuis iſte magnam

certe

"certe partem bonæ tuæ & aptæ directioni debeatur. "Monebo ſolum, in ægra quadam mea, cito nimis omis- *obſeruat.*
"ſo cortice, rediiſſe ſiderationem, intra circiter quin- *partic.* 64.
"que dies; ſed ſcarifando partem, & repetendo reme-
"dium, præſentiſſimo rurſus effectu beatus ſum, iamque
"mulier perfecte conualuit. Et licet antea perquam malo
"corporis habitu fuerit, melius iam quam aliquot ſuperiori-
"bus annis habet: id quod ipſa facies cunctis, qui antea no-
"rant, oſtendit, quamuis quinquaginta iam numeret ætatis
"annos" P. 30. exſtat epiſtola cl. *Douglaſſi* ſequens. "Ante
"menſes duos vocabar ad virum honoratum, circiter quin-
"quagenarium, in calce pedis ſphacelo ex cauſſa interna
"laborantem. Scarifabam & deligabam ſecundum artem,
"& medici eius cardiacum *Raleighi*, rad. ſerpent. Virg. cetera-
"que pro more præſcribebant remedia. Sequenti die *Dickin-*
"*ſius* & *Cheſeldenus* conſulti ſunt. Confirmarunt quæ a nobis
"acta fuerant, & pergi ita voluerunt. Fecimus ſine ſucceſſu
"vllo per dies octo: gliscente ſideratione, neque remittente
"febre. Collatis iterum conſiliis, omnes vero haud ſimile re-
"perimus, ægrum νυχθημερῳ ſuperfuturum. *Dickinſius*
"tunc corticem propoſuit, non propria experientia, ſed tua
"auctoritate, & *Amyandi*, itidem variis felicibus experimen-
"tis fortunati. Conſenſere omnes, haud ſine aliqua hæſitatio-
"ne. Aſſumto cortice, febris ſtatim disceſſit, ſtetit ſphace-
"lus, digeſtum eſt vulnus, delapſæ ſunt eſcharæ, cum omni-
"um, qui viderunt, aut fando acceperunt, ſtupore. Ob nouum
"hunc corticis vſum ad ſphacelum, maiores tibi debentur
"gratiæ, quam ipſi illi, qui primus vtilitatem ad febres in-
"termittentes oſtendit." Monet denique auctor p. 35. ita ex-
perimentum ſuum capiendum eſſe, quod ipſa ratio dictat, vt
non ab omnibus omnino cauſſis internis oriundi ſphaceli
eius medicinæ viribus expoſiti eſſe iactentur: quum, quod
de omnibus medelis valet, quibusdam hanc cauſſis poſſe non

congruere, methodus ſpecialis quemlibet peritum doceat. Congruit certe præcipue, vbi febrilis materia periodica ſubeſt, & vbicunque intus in viſceribus inflammatio, ſideratio, aut abſceſſus, aut inſuperabilis putredo, aut ſpasmorum fluxionumque impetus continens, efficaciæ vtili obicem non ponit. De viscerum obſtructione reſeranda, & humorum abundantia minuenda, in tam præcipiti periculo, ante remedii præbitionem vix licebit cogitare. Sufficiat heic vires medicinæ eius ſummopere in morbo nocentiſſimo innocuas & eximias, ex aliena maxime experientia, annotaſſe, quæ, in tam deſperatis caſibus, tanto ſucceſſu beata eſt, vt & imitatione prudenti digniſſima ſit, & vel ſola hisce ſilentium imponere debeat, ſi qui adhuc diuinum illud beneficium calumniari, & ſuſpectum reddere, & medicos ægrosque, quantum fieri poteſt, ab vſu eius abſterrere amant. Næ iſti vereor ne tandem deo, medicinæ datori, difficulter rationem reddituri ſint, vanæ dicam timiditatis, an præfractæ in morborum impetu permittendo temeritatis, immitisque in omittendo miſerorum ægrotantium leuamine pertinaciæ; ni, abunde moniti, meliora acceptare, & acceptata candide profiteri, aut ſaltim, donec vſum multiplicem ab abuſu rite diſtinguere didicerint, tacere discant.

IN-

INDEX.

P. notat Proœmium, S. Sectionem, p. paginas, §. paragraphos & lit. litteram.

A.

Abortus, quæ de illo notari possint §. VII. S. VI. p. 300. sqq. lit. o.

Accusatio corticis iusta, quo nitatur §. VIII. S. III. p. 114. sqq.

Accusationes corticis falsæ §. VIII. S. III. p. 110. sqq.

Ægris nec timor nociuus est incutiendus, nec suspicio noxia iniicienda §. VI. S. V. p. 219 lit. e f.

Ægroti in diæta deliquentes vita se priuant §. IV. S. I. p. 12. sq. lit. d.

Æstus, quid §. VI. S. VI. p. 286.

Aluus, num cortex eidem adstrictionem inducere possit §. II. S. II. p. 34.

Ammoniacum, quid de isto sentiendum § IV. S. II. p. 44.

Aphonia, quid indicet atque inuoluat §. II. S. I. p. 8. lit. q.

Aphorismus Hippocrat. quid de illo sentiendum §. IV. S. I. p. 12. lit. e.

Aphorismus Sanctorii curiosus, quid doceat §. VI. S. VI. p. 289. lit. e.

Apinus, quo cortice vsus fuerit §. I. S. III. p. 70. lit. n.

Apoplexia, { quid? / quomodo a caro discriminetur §. I. S. I. p. 4. 5. lit. c d e f g.

Arsenici vsus temerarius §. IV. S. II. p. 41. lit. a.

Arsenicum ληξιπυρετον, quid iudicii de isto sit ferendum §. IV. S. V. p. 204 sqq. lit. k.

Asininum, vbinam prosit §. IV. S. II. p. 48. lit. l.

Atmosphæra, quid febricitantibus inducat §. V. S. VI. p. 276. sq. lit. f.

Aura seminalis quid §. VI. S. VI. p. 294. sqq. lit. h.

B.

Bœrhauius, de corticis vsu quid sentiat §. II. S. V. p. 182. sq. lit. b.

Bruta num patiantur febres §. V. S. VI. p. 275. sq. lit. e.

C.

Cachexia & hydrops ex febribus §. VI. S. II. p. 56. litt. f g.

Carus, qui Arabibus ſubeth audit, quid §. 1. S. I. p. 4. litt. a b. qua ratione a comate & lethargo discriminetur §. & S. cit. p. 6. lit. k.

Cascarillæ dignotio, quomodo fiat §. III. S. III. p. 85. ſq. litt. h i. eius virtus in profligandis febribus §. & S. cit. p. 87. lit. k.

Catalepſis quid? eiusdem Synonima §. I. S. I. p. 6. lit. i.

Cataphora, quid ſecundum Galenum denotet §. I. S. I. p. 5. ſq. lit. h.

Cauſſæ ad prænotionem cognitu vtiles §. VII. S. I. p. 24. lit. a. heic coñemorantur ab auctore α) purgatio ſine indicatione &c. β) Remedia vel potulenta ſpirituoſa febrifuga vulgi ſulfurea &c. γ) Diſpoſitio corporis & proportio ad violentiam paroxysmorum §. & S. cit. p. 25. ſq. litt. d e.

Chorea S. Viti, quid? qua ratione profligetur §. IV. S. II. p. 45. lit. e.

Colica, quid? quæque inde ortum trahant §. VIII. S. I. p. 27 ſq. lit. b.

Coma vigil, quid §. II. S. I. p. 6. lit. i.

Conformitas num quotidianis cum tertianis & quartanis intercedat §. IV. S. IV. p. 155. ſq. lit. i.

Coniecturæ Auctor. de modo, quo operetur cortex §. I. S. VI. p. 260. ſqq. lit. f.

Conſenſus practicus cum theoria mechanica & organica leuiter diuerſis §. VIII. S. VI. p. 303. ſqq. litt. a b c ſqq.

Conſequentia dictorum, quæ contagium & criſin paroxysmorum infidam declarant §. II. S. IV. p. 137. ſq.

Conſtantia Sanationis §. I. S. V. p. 175. ſqq. litt. a b c d f g h.

Contagium, quomodo nascatur §. II. S. IV. p. 134. ſq. lit. k.

Conuulſiones epilepticæ, quomodo eas vocet antiquit. §. IV. S. I. p. 15. ſq. lit. r.

Corpus medicinæ, num ſit mutilum §. IV. S. I. p. 11. lit. c.

Corpus num ab anima propria poſſit formari §. IX. S. VI. p. 315. lit. g.

Cortex Peruuianus

α) Indicationi reuerſionem præcauendi ſufficit §. VIII. S. V. p. 234. ſqq. litt. d u x ſqq. β) eſt remedium febrifugum, certiſſimum & tutiſſimum §. II. S. II. p. 30. ſqq. γ) Sanitatem firmam & integram reſtituit §. VIII. S. V. p. 240. ſq. litt. g. ſqq. δ) ſphacelo medetur §. IX. S. V. p. 255. lit. e. habet ε) vim adſtringentem §. I. S. VI. p. 257. ſqq. lit. a ζ) vim ſpecificam §. II. S. VI. p. 262. ſqq. litt. a b. η) eius electio §. III. S. III. p. 82. ſqq. lit. a b c d ſqq. ϑ) eius-

ϑ) eiusdem etymon §. II. S. II. p. 31. ſq. lit. a
Criſis paroxysmorum infida §. II. S. IV. p. 134. ſq. litt. h i.
Cubitus in lecto, quomodo ſit comparatus §. V. S. III. p. 94. ſq. lit. b
Cucurbitulæ ſcarificatæ, illorum vſus §. II. S. III. p. 78 lit. l.
Culpa accuſatorum corticis §. VIII. S. III. p. 115.
Cura, num ita poſſit abſolui, vt reliquiæ neque a febre neque a remedio ſint metuendæ §. VIII. S. V. p. 226. ſqq.
- - imperfecta, unde §. VIII. S. III. p. 109. ſq.
Curatio febrium apud veteres §. III. S. II. p. 37. ſqq. litt. b c d e.
- - - infida per naturam aliasque medelas §. VIII. S. III. p. 116. ſqq. litt. h i.

D.

Defectus & errores naturæ §. II. S. IV. p. 134. litt. e f.
Differentia & materia ſpecifica ſingularum febrium, quid §. V. S. VI. p. 278. lit. g.
Diſſenſus & hæſitatio non medicorum de cortice §. VI. S. V. p. 216 ſqq. litt. a b.
- - - de cortice apparens §. III. S. V. p. 188. ſqq. litt. a b c.
Doſeos chinæ incongrua cenſura §. III. S. V. p. 189. ſqq. litt. c d e.
Dubitatio generalis de cauſſis febrium, typorum & periodorum §. III. S. VI. p. 265. ſq. litt. f g h.

E.

Efficacia corticis certa cum aliis comparata §. III. S. II. p. 35. ſq. lit. a.
Electuarium Fulleri epilepticum, quid præſtet §. IV. S. I. p. 61. lit. r.
Elementum aereum, in corpore humano num febrilium typorum cauſſa §. V. S. VI. p. 274. litt. c d.
Epicriſis, quomodo iudicari debeat §. IX. S. VI. p. 319. ſq. litt. a b c.
Euacuantia febres profligant plurimas §. IV. S. II. p. 42.
Exempla ſingularia febrium ſoporoſarum curatarum §. VII. S. III. p. 105. ſqq.
Experientia circa febrifuga, quæ cum cortice ab aliis annumerantur §. IV. S. II. p. 45. ſqq. litt. f g h i k.
- - - - experientiæ oppoſita §. VII. S. V. p. 222. ſqq. litt. c d.
- - - - manca §. S. & p. citt. lit. b.
- - - - ſtatum epidemium nouiſſimum illuſtrans §. III. S. I. p. 9. ſq. litt. a b c.

F.

Fallacia non cauſſæ vt cauſſæ, vbi locum habeat §. VI. S. V. p. 216. ſqq. lit. c.
Febres num ſint inter morbos referendæ §. II. S. IV. p. 133. lit. b. atque inſtrumentum naturæ dici poſſint §. & S. cit. p. 131. ſq. lit. a.

Febres continentes, num ſint periodicæ §. V. S. II. p. 50. lit. b.
- - - innoxiæ & ſalutares §. VII. S. II. p. 64. ſq.
- - - intermittentes, quid? earum affectus §. I. S. I. p. 4. litt. a b.
- - - - - - - malignæ ſuffocant interdum ægrotos §. II. S. I. p. 9. lit. s.
- - - menſtruæ, num ita dici mereantur §. VI. S. VI. p. 289. lit. c.
- - - miliares, quæ de iſtis ſint notandæ §. VI. S. VI. p. 292. ſq. lit. g.
- - - mixtæ ſ. erraticæ, qua ratione ſint curandæ §. VII. S. IV. p. 174. ſq. litt. c d.
- - - quartanæ ſenibus periculum minantur §. IV. S. I. p. 13. litt. f g. &, ſi ex morbo acuto, plurimis ſunt funeſtæ §. VIII. S. V. p. 244. lit. k.
- - - - - - hibernæ ex obſeruatione Hippocrat. iure ſunt metuendæ §. IV. S. I. p. 15. ſq. litt. r s.
- - - quænam ad redeundum non ſint pronæ §. I. S. IV. p. 122.
- - - quotidianæ ſunt omnino periculoſæ §. IV. S. I. p. 14. litt. l m.
- - - recidiuæ, quomodo alias vocentur §. I. S. IV. p. 125. lit. k.
- - - - - - - num ab ipſis febribus oriantur §. IV. S. IV. p. 131. ſq.

Febres ſoporoſæ, earum deſcriptio, euentus & hiſtoria §. V. S. I. p. 17. ſqq. litt. c e. illarum ſigna prænuntia §. VI. S. I. p. 20. ſqq. litt. a b c d ſqq. recenſentur. Horror & terror inde haud Panicus §. IX S. V. p. 247. ſq.
- - - ſyncopales, quid §. I. S. I. p. 5. lit. d.
- - - tertianæ ſunt epidemice exitioſæ & recidiuæ §. VIII. S. V. p. 244. lit. k.
- - - - - - - legitimæ ſæpiſſime mutantur in continuas ardentes &c. quæ plerumque ſunt inſanabiles §. IV. S. I. p. 13. ſq. lit. h.
- - - - - - illegitimæ eadem incommoda machinantur, & τριταιοφυεων nomine apud antiquos veniunt §. S. & p. citt. litt. i k.

Febrifugum Kergeri, { quomodo / quosnam paretur } præſtet effectus } §. IV. S. II. p. 43. lit. d.

Fluxus atque refluxus maris, qua ratione eos Newtonus explicet §. VI. S. VI. p. 283. ſq. lit. c. ſqq.

Frequentia & ſimilitudo febrium per ſua genera, num ſit vniuerſalis §. V. S. VI. p. 273. lit. b.

G.

Generatio & motus materiæ febrilis, quomodo obtineant §. V. S. VI. p. 279. ſqq. litt. h. ſqq.

Geuderi experientia de cortice § V. S. V. p. 212. ſq. lit. b.

H.

Harmonia præſtabilita, quid de iſta ſit ſentiendum §. IX. S. VI. p. 317. ſq. lit. i.

Hæmorhagiæ, quomodo medicandæ §. V. S. II. p. 53.

Hæſitatio Ramazzini de cortice §. V. S. V. p. 209. ſq. lit. a.

Hemitritæus, quid §. III. S. I. p. 9. lit. s.

I.

Icterus febriceſus, quid de iſto iudicandum §. VI. S. II p. 60. ſq. lit. o.

Impoſtura cortici falſo affingitur §. IV. S. II. p. 42. lit. b.

Indicatio vrgens §. I. S. II. p. 29. ſq.

Indicia præcipua, quibus electio corticis nitatur §. III. S. III. p. 85.

Indoles mali venerei & cura §. VII. S. III. p. 110. ſqq. lit. b.

Ingenium tertianarum epidemiarum eſt bilioſum, ferox, capiti infenſum & plerumque mali moris §. VIII. S. I. p. 27. ſq. litt. a b c d.

L.

Laus corticis, num temporaria §. III. S. II. p. 36. ſq. lit. a.

Leges Hippocrat. diætæ, quomodo hodie obſeruentur §. IV. S. I. p. 12. lit. e.

Legitimi corticis vſus in morbis effectus poſteriores §. II. S. II. p. 34. ſq. litt. n o p.

Lethargus mortiferus, quid denotet §. I. S. I. p. 4. lit. b.

Liquor neruorum, quales præſtet effectus §. IX. S. VI. p. 313. ſq. lit. f.

Loca paludoſa, quid producant §. III. S. I. p. 9. lit. a.

M.

Materia febrilis quid } num ſit arte domabilis } §. VIII. S. V. p. 226. ſqq. litt. a b.

Medela febrifuga, quos in actum traducat effectus? heic obſeruemus

α) ſymptomatum paroxyſticorum fugam
β) reſtitutionem functionum in integrum, nempe robur, coctionem & euacuationem

} §. VIII. S. V. p. 228. ſqq. litt. f. ſqq.

Medicus, num ſit naturæ miniſter §. VII. S. VI. p. 302. lit. s.

Menſium fluxus, quibus impellatur remediis §. II. S. II. p. 33. ſq. lit. l.

Mercurius vitæ cœleſtis quomodo } quantitas doſeos ponatur exhibendæ } §. IX. S. VI. p. 322. ſqq. lit. k.

Methodus medendi in paroxysmo & vbi quid contra corticem indicat §. II. S. III. p. 72. sqq. lit. a.
- - naturalis dicta ad febres curandas §. IV. S. V. p. 200. sq. lit. i.
- - quæ præcauet reuersiones
A) tertianarum §. VI. S. IV. p. 160. sqq.
B) quotidianarum, quartanarum, erraticarum §. VII. S. IV. p. 170. sqq.
heic itaque amplius annotari merentur
α) ὑστερεργια p. 161. lit. c.
β) tempus repetitionis p. 162.
γ) dosis remedii repetendi p. 163. sq. lit. e.
δ) repetitio vlterior p. 165.
ε) motus febriculosi sub usu repetito p. 166.
ζ) indicium iterandæ repetitionis p. cit.
- - Talboriana, quomodo comparata §. IV. S. III. p. 90. sqq. litt. d. e.
- - Tortiana, quid §. VI. S. IV. p. 167. lit. h.
Metus iustus febrium recidiuarum ex morbi ingenio §. I. S. IV. p. 120.
Morbus acutus ex quartana §. VIII. S. V. p. 242. sq. lit. k.
- - chronicus ex genere febrium intermittentium, quomodo sit fugandus §. VI. S. II. p. 54. sqq.
Morbus chronicus sine febre, num cortex eidem conueniat §. V. S. II. p. 53.
- - periodicus ex caussa non intermittente chronica, num eidem cortex prosit §. V. S. II. p. 52. litt. h i k.
- - spasticus & conuulsiuus, num eidem medeatur cortex §. V. S. II. p. 53.
Motus, num sine materie sisti queant §. IV. S. V. p. 198. sqq. litt. e f sqq.
Motus vitales, num possint concipi sine anima §. IX, S. VI. p. 316. sq. lit. h.

N.

Natura humana, quando conseruans, sanans, errans & indicans dici possit §. IX. S. VI. p. 311. sqq. litt. a b c sqq.
Necessitas & opportunitas corticis in febribus soporosis & apoplecticis §. I. S. III. p. 66. sq litt. b d e sq.
Nothæ semitertianæ num mereantur nomen continuarum quomodo iisdem tertianarum medeamur §. VII. S. II. p. 61. sqq. litt. a b h i k sq.
Noxa medicamenti, num sub sanitatis specie lateat §. IX. S. V. p. 245. sq. litt bb.
Noxæ nimii remediorum febrifugorum vsus §. I. S. IV. p. 128. lit. t.

O.

Obiectiones opinioni de cauſſa concurrente periodorum mechanica vniuerſali oppoſitæ §. VI. S. VI. p. 285. ſq. litt. h i.

Obſeruatio, quæ percontatur, num ſimplex china producat hydropicos atque tympaniticos §. VI. S. II. p. 57. litt. i k l.

Obſeruationes alienæ de cortice concordes §. V. S. IV. p. 156. ſqq.

- - - communes de febrium ratione typica & periodica §. IV. S. VI. p. 267. lit. a. hæ nobis ob oculos ponunt
  - α) febres multiplices } p. 268
  - β) - - mixtas } litt. b c d.
  - γ) typum quintanum } §. & S. cit. p. 269. litt. e f g h.
  - δ) - - ſeptimanum
  - ε) - - nonanum
  - ζ) - - aliosque
  - η) horas ordinatas p. 270. ſq. litt. p q r.
- - - omnis æui §. I. S. IV. p. 120. ſqq. litt. b e g.
- - - ſimiles, quæ alias declarant medelas §. III. S. IV. p. 144. ſqq. lit. l.

Occaſio ſcriptionis præſentis videatur P.

Oleum animale } quomodo paretur
Dippelii } quid præſtet
§. III. S. II. p. 44. lit. e.

Opinio de cauſſa concurrente periodorum mechanica vniuerſali, nempe atmoſpheræ motu periodico, quomodo ſit explicanda §. VI. S. VI. p. 288. ſqq. litt. a b c.

P.

Παρεκβασις de vulneratione vteri in puerperio §. VII. S. VI. p. 290. ſqq. lit. g.

Paroxysmus, } quid
} num poſſit tolli
§. V. S. II. p. 51. lit. h.

Parreira braua, vbi præſcribend. §. IX. S. VI. p. 324. lit. l.

Periodi, num in ſtatu ſano & morbis ſine febre obſeruentur §. VII. S VI. p. 288. lit. a.

Periodus menſtrua naturalis §. & S. cit. p. 289. litt. c d e f.

Phthiſis ex } vnde originem du-
febre } quomodo extirpancat
da ſit } §. VI. S. II. p. 54. lit. b.

Pilulæ aureæ, Gold-Pillen, } quomodo
} quales præparentur
præparentur } §. VI. S. V. p.
ducant effectus } 217. ſq. lit. c.

Præparatio & expectatio, num iisdem laus competat nimia §. IV. S. V. p. 196. ſqq. litt. a b ſq.

Problema de febre intermittente ſoporoſa & apoplectica vid. P. p. 2.

- - & coniecturæ de modo quo cortex operetur §. I. S. VI. p. 256. ſqq.
- - & obſeruationes de cita febris fuga reuerſionem præpediente § III. S. IV. p. 138. ſqq. litt. a b c d ſqq.

Problemata & coniecturæ de febrium typorum periodorumque cauſſis §. V. S. VI. p. 272. ſqq. lit. a.
Puluis Berolinenſis du Cloſii, quid §. VI. S. IV. p. 165. lit. f.
- - Cornachini, quid præſtet §. VII. S. I. p. 25. lit. c.
Purgans cathol. Glauberi, quomodo componatur quibus exhibeatur §. II, S. III. p. 77. ſq. lit. h.
Purgatio poſt corticem §. IV. S. IV. p. 152. lit. f.

R.

Radix ipecacoanna, vbi propinanda §. IX. S. VI. p. 324. lit. l.
Recurſus febrium ſine potenti medicina curatarum §. I. S. IV. p. 123.
Regula pro genuino corticis vſu
- - - prima §. VIII. S. II. p. 66.
- - - ſecunda §. IX. S. III. p. 119.
- - - tertia §. VIII. S. IV. p. 175.
Regulæ, ad quas Auctor libellum ſuum accommodauit §. IX. S. VI. p. 320. ſq. lit. c.
Relatio multorum febrium generum & illarum effectuum §. IV. S. I. p. 13. litt. f g.
Remedia domeſtica, num ſufficiant §. IV. S. II. p. 49.
Remedii ex cortice præparati particulæ facile digeruntur & ſunt innocuæ §. VIII. S. V. p. 241. ſq. litt. h i.
Remora reuerſionum & morbus longior per medicinæ culpam §. I. S. IV. p. 128.
Reſtitutio æquilibrii & motus tonici & excretionum naturæ, quo medicamine obtineatur §. VIII. S. V. p. 233. ſq. litt. p q r s t.
Reuerſiones febrium poſt febrifugum remedium & curationem imperfectam §. I. S. IV. p. 125.
- - - poſt morbum ſubito periculoſum §. I. S. IV. p. 126. litt. m. n.
- - - poſt morbum indolis diuturnioris §. & S. citt. p. 127. litt. o ſqq
Reuocatio febris, quando conſulenda §. & S. citt. p. 126. lit. l.
Rheumatismus frigidus, quid §. VI. S. III. p. 99. lit. g.
Rulandi aquæ benedictæ §. VI. S. II. p. 59. lit. m.

S.

Sales volatiles, num præcaueant febrium reditus §. III. S. IV. p. 147. ſq. lit. n.
Salia, num febres profligent §. IV. S. II. p. 42. ſq. lit. b.
Salium & aquarum martialium & alcalinarum vis ad reuerſiones §. IV. S. IV. p. 149. ſqq. lit. b.
Salſæ parillæ & guaiaci vſus, vbi ſe exerat §. IX. S. IX. p. 324. lit. l.

Salu-

Salubritas & Securitas methodi, quomodo doctorum experientia & consensus de ista sit comparatus §. II. S. V. p. 181. sqq. litt. a.

Sal volatile, vnde §. III S. II. p. 43.

Sanguinis profluuia, vnde ortum trahant §. II. S. II. p. 32. sq.

- - num cortice medicari possint §. S. & p. citt. litt. k l.

Sanitas integra sequitur febris fugam §. IX. S. V. p. 248. sq. litt. c d.

Securitas febrium fallax §. IV. S. I. p. 10. sqq. litt. a b c sq.

- - medicamenti plus simplice vice commemorati exemplis declaratur §. IX. S. V. p. 243. sq.

Signum puerperii salutariter terminandi §. VI. S. VI. p. 293. sqq. lit. g fin.

Simarouba { quid quales præstet effectus §. VI. S. III. p. 100. sq. lit. h.

Solutio alui, quomodo peragatur §. II. S. III. p. 77. sq. lit. i.

Sopor in febribus biliosis monstrum alit §. VIII. S. I. p. 29. litt. f g.

- - - cataphoricus, vnde §. III S. I. p. 9. lit. s.

Spes melior de aliquorum circa corticem dissensione vera & hæsitatione §. V. S. V. p. 209. sq. litt. a b c.

Spiritus Scorbuticus Drawizii { quomodo præparetur / quosnam præstet effectus §. III. S. IV. p. 145. sq. lit. m.

Subdolæ febrium occultationes multifariæ §. VI. S. II. p. 61.

Suffocatio hysterica & spasmodica, quomodo discriminetur ab affectibus soporosis §. I. S. I. p. 4 sq. lit. d.

Summa dictorum, quæ febribus recidiuis lucem affundit §. I. S. IV. §. 130.

Symptomata a febriculosi protei reliquiis emergentia sunt

α) hæmorrhoides cœcæ, } §. VI. S. III. p. 97. sq. litt. a b c sq.
β) tenesmus,
γ) alui adstrictio
δ) aurium tinnitus, } §. & S. citt. p. 98. sq. litt. d e f g.
ε) surditas,
ζ) temulentia,
η) rheumatismus,
ϑ) tusses, } §. & S. citt. p. 99. sqq. lit. h.
ι) dolores,
κ) diarrhœa,
λ) passiones hypochondriacæ, } p. 103. sq. lit. i.
μ) scorbutus,
ν) febris lenta,

Syncope, quid §. I. S. I. p. 5. lit. d.

T.

Tempus reuersionum, quænam de isto sint instituendæ obseruationes §. IV. S. IV. p. 148. sqq.

148. ſqq. lit. a. quæ obſeruationes commemoratæ mentionem faciunt
& certi
temporis reuerſionum } vnde
& incerti
vero §. & S. cit. p. 150. ſq.
Sic concipitur prioris certitudo
α) ex morbi indole tertiana p. 151. ſq. litt. c d e.
β) ex indole quartana & quotidiana p. 155. lit. h.
Tertiana notha, quid producat §. IV. S. I. p. 14. lit. k.
Todten-Fieber, vid. P. p. 3.
Torti elogia §. II. S. V. p. 184. ſq. lit. c.

V.

Venæ Sectio, vbi ſit admittenda §. II. S. III. p. 73. ſq. lit. d.
Veſicantia ſunt ſpecifica medicamenta febrium pernicioſarum §. I. S. III. p. 68. ſqq. litt. i k.
Viæ variæ per quas natura roborata excludit materiam peccantem §. VIII. S. V. p. 232. ſq. litt. o ſqq.
Vis aquarum mineralium §. VII. S. I. p. 25. lit. d.
Vis naturæ febricitantis, num ſit violenta & minus certo ſalutaris §. VIII. S. V. p. 238. ſq. litt. c d e.
Vomitio, quid remedii iſtam promoueat §. II. S. III. p. 75. ſq.
Vſus abuſusque paucarum & minutarum doſium §. VIII. S. III. p. 109. ſqq.
- - corticis ad ſphacelum confirmatus confer. Addend. p. 332. ſq.
- - - - continuatus §. V. S. III. p. 94. ſqq. litt. a c d ſqq.
- - - - opportunus & tempeſtiuus in morbis variis §. V. S. II. p. 50. ſq. litt. b c d ſq.
- - - - - - - in febribus ex genere intermittentium §. VII. S. II. p. 61.

PAVLI GOTTLIEB VVERLHOFII
MEDICI IN AVLA HANNOVERANA REGII

CAVTIONES MEDICAE

DE

LIMITANDIS LAVDIBVS
ET VITVPERIIS

MORBORVM ET REMEDIORVM

Nimis generalia hoc vitium habent, quod non bene homines ad actionem deducant.

VERVLAMIVS de augm. scient. L. 4. c. 3.

HANNOVERAE
SVMTIBVS HAEREDVM NICOLAI FOERSTERI ET FILII
MDCCXXXIV.



Lectoribus beneuolis.

Quæ res ab omni æuo incrementis & soliditati scientiæ medicæ obstaculo fuerunt, præmaturæ rerum iuuantium ac nocentium laudationes generales, & damnationes pariter præfestinatæ, eas exceptionibus limitationibusque intra iustos terminos coercere studuerunt semper medici cordati, quique operosum longæ artis studium, & vtilem limitandi cautionesque eruendi laborem, præ succincta laudum & vituperiorum doctrina, colere haud reformidarunt. Compendiaria eruditio vti in omnia studiorum genera sat infelici sidere inuasit, ita nusquam adeo dispendiose increbuisse videtur, atque in medicina, vbi, si quid in corpus humanum commiseris, vel in eius sanitate adiuuanda omiseris, sæpe iterum peccare non licet. Ea est humanæ mentis ad condendas recipiendasque, ex apparente probabilitate, aut scientia & experientia non adæquata, generales opiniones procliuitas, vt cauendis eius facilitatis illecebris neminem non inuigilare deceat. Ne quid iam de meris coniecturis & opinationibus a priori quacunque theoria deductis, & certarum instar veritatum decantatis, dicam, nimis quam verum est, ex felicibus aut infelicibus rei alicuius successibus singularibus, quorum multæ possunt esse causſæ, diuersitates per naturam & artem plurimæ, subito sæpe efficaciæ omnis notitiam sibi arrogasse doctores aliquos, atque vel admirationem, vel contemtionem immoderatam, tum animo suo impressisse, tum in aliorum mentibus excitare studuisse, aut scribendo docendoque excitasse incautos. Fuerunt, ex doctorum numero, qui, quicquid fere in corpore humano morbi aut symptomatis accidat, (ne exceptis quidem ipsis pathematibus naturalibus, vel innoxiis, & sponte certe cessaturis) id nequaquam natu-

re relinquendum esse, sed semper medicina aliqua indigere iudicarunt, eo iudicii non limitati effectu, vt ægros & naturam, quam sæpe sibi relinquere, aut certe non prohibere, præstiterit, medicamentis vel obruerint incassum, vel male perturbarint. Quod si, vti sæpe fit, victrix nihilominus natura proprio robore noxam euasit, & ex malis emersit, suæ id opi liberaliter tribuerunt, quæque adhibita sunt medicamina, pro caussa felicis euentus haberi debere vix dubitarunt, &, nubem pro Iunone amplexi, pro optima similium qualitercunque casuum medela adoptarunt, venditaruntque: præsertim si id præceptæ cuiquam opinioni, aut alicui desiderio, fauere visum fuit. Videas hinc, si experientiam iteratam consulas, quam vanæ, quamque immodicæ laudes magnam materiæ medicæ partem exornent, dicam, an prostituant? Accedit, quod ipsa medicamina vere alicubi efficacia & vtilia, si prosperorum effectuum euidentia vsurpantium oculos perstringunt, facile ita fascinent improuidos, vt efficaciam immensum extendere, &, laudandi cupiditate, tamquam œstro aliquo, perciti, bona vbiuis omnia, sine æquo abusuum & defectuum limite, exspectare inde ac prædicare festinent. Generosa præsertim, quæ vocamus, medicamenta, id est, quibus, vna cum magnis vsibus concessis, id relictum est, vt abusu incauto nociua facile euadere possint, adeo a quibusdam immoderata, aut vaga laudatione onerantur, vt, omissis recti & peruersi vsus distinctionibus, imperito cuiuis artis penetralia patere, & in solo remedio, non in iusta simul methodo, auxilium esse videatur. Alii e contrario, si quid ex abusu, vel aliunde, secius euenire reperiunt, eadem ipsa præsidia vel crudis vituperiis contaminata damnant penitus, vel vagis suspicionibus premunt, &, ob recti vsus difficultatem, a compendiosa sua disciplina remouere satagunt, terroribus generalibus, & opinionum exspectationisque adminiculis imbellibus, loco efficacis medicinæ, armati: quasi ea sit artis infantia, seu artificum mentis imbecillitas, cui ensem committere non auderes. Ita vero terriculis circumseptam artem parant sibi, militi illi similem, qui, a capite ad calcem armatura inutili & cataphractis rigescens, inuulnerabilem sese gloriabatur: cui prudentior comilito, at, inquit, tu potius talis hostem neque vulnerare, neque effugere poteris. Immo vero sunt qui, ita armati, hostem hostem non esse, sed amicissima quæque moliri, sibi persuadere volunt, &, quia morbos aliquando saluti esse constat, eos tunc etiam nocere non posse, quando experientia nocentissimos ostendit, generatim lubentius edicunt, quam vt opinandi modum faciant, ac remedio, quod semel damnare lubuit, iustum relinquant locum, & limitem censurarum terriculorumque admittant. Incidit mense Augusto superioris anni in manus meas dissertatio quædam cl. D. GOELICKII, professoris Francofurtensis, viri docti, assidui, & ingenioſi, neque ceterum experientia & meritis destituti, qua ille, mirum, omnes febres semper & vbique laudabiles, neque ieop vllum vnquam remedio λεξιπυρετῳ, certe cortici Peruuiano, locum esse, cum incredibili encomiorum & conuiciorum strepitu, indignabundus declamauit. Istis vero portentis arti, doctrinæ, & experientiæ medicæ, ipsique rerum naturæ, & meritissimis omnium temporum ac terrarum obseruatoribus, in faciem obstrepere, omnes laudum & vituperiorum limites stomachosa oratione proscindere, sustinuit. Talem quum se eo scripto gesserit, non est quod ægre ego feram, eum ibi mearum quoque obseruationum de febribus, vna cum eximiorum virorum, quibus refragari amat, operibus,

bus, mentionem cenſoriam facere voluiſſe: ea cum diſputandi ratione, qua in controuerſiis vti ſe ſolere, aduerſus viros inclitos, GVNDLINGIVM, HOFFMANNVM, BVRGGRAFIVM, aliosque, dudum oſtendit. Nata vero mihi inde eſt occaſio, vindicandæ veritatis, & ſcribendarum animaduerſionum, pro limitibus laudum febris, & cenſurarum corticis Peruuiani, *in quibus vtrisque nihil ille limitandum vult, ſtatuminandis: ſicuti eosdem in obſeruationibus meis ſtatueram, aduerſus priora quædam ipſius ſcripta dictaque, æque immoderata & iniurioſa. Iis enim iam tum pariter maximam hodie florentium medicorum partem, & me, fautoresque & amicos meos præcipuos, noſtrasque doctrinas theoricas innocuas, immo &, quæ orbis medici cauſſa eſt, certiſſimas vtiliſſimasque veritates practicas, & vſum medendi rectum (hoc ſane eſt medentes ipſos rectum vſum profitentes) crudis conuiciis proſcindere non dubitarat, cum rationibus aut nullis, aut minime aptis. Ne quid autem extranei querantur, ſibi ſolum iniuriam fieri,* impoſturas recti vſus *corticis Peruuiani, quem expertum ſe nunquam eſſe gloriatur, eadem ex cathedra doctor diſputatorque criminatus eſt, ex qua immortale orbis medici decus, B. ALBINVS, candidus tot ægrorum medicus, tot medicorum magiſter, in filiis digniſſime æmulis adhuc ſpirans, vſus rectos fidosque, docendo ac diſputando, antea expertiſſimus, propugnarat: quemadmodum præſtantiſſimi omnium fere Europæ academiarum, aliique doctores, adhuc propugnant, praxique probant, ab impoſturæ crimine alieniſſimi. Oppoſitas iniquo & iniurioſo eiusmodi cenſori animaduerſiones illas meas, æquas & moderatas, obſeruationibus ac cautionibus theoricis & practicis variis inſtruxi, vt non tam priuatam rem agerem, measque ſententias tuerer, quam publico artis medicæ cultorum bono qualemcunque operam, data illa occaſione, denuo nauarem. Idem mihi propoſitum fuit in præmiſſa, proœmii loco,* diſſertatione, *de itidem* limitandis morborum vituperiis, laudibusque medelarum. *Egi ibi de natura morborum medica, eiusque veram notionem eruere, & vindicare ſtudui. Dixi ſingulariter de limitandis morboſarum egeſtionum, congeſtionum, commotionum; de fluxuum, podagræ, febrium, timoribus ac vituperiis, laudibusque medelarum, quæ commendari ad eos morbos ſolent, æquiter definiendis. Remediorum ad podagram variorum, præſertim diætæ abſtemiæ, lacteæque, laudes meritas terminaui. Corticis Peruuiani vſurpandi iuſtam methodum, & abuſuum vitia, laudumque exinde limites, clare diſtinxi, aliaque, ad febrium maxime theoriam & praxin, iuſtosque laudum & vituperiorum terminos firmandos ſpectantia, candide, libere, ac modeſte expoſui. Concinnatum ita eſt ex illa diſſertatione, & ſubiunctis animaduerſionibus, opuſculum hoc* cautionum medicarum *bipertitum. Tractatum ſecundum primo loco, menſe ſuperioris anni Septembre, iam perſcripſeram, typisque priores plagulas abſolutas habebam, quum, ſub ineuntem Octobrem, Magdeburgum ire iuberer, vt ægrum illuſtriſſimum noſtratem inuiſerem. Vbi, quum per octiduum otioſior ſolito hærerem, ſcripſi partim, partim delineaui, tractatum primum alteri præmiſſum & congruentem, quum antea pauca ſolum de febribus ſalubribus, deque præcipuis corticis Peruuiani abuſibus, præfari mens eſſet: id quod ob quædam ſecundi tractatus loca moneo, vbi lectores ad præfationem ablegantur, quæ iam in tractatum primum excreuit. Beneuolam bibliothecæ ſuæ copiam Magdeburgi fecit, quod grata mente recolo, cl. D. STOCKHAVSENIVS, medicus*

& doctissimus, & vere clinicus, quem animi, studii, & consiliorum consensione iunctissimum fautorem, ea occasione mihi partum, gratulor. Legant, quaeso, tractatus hosce attente, & sine praeiudicantis animi in alterutram partem propensione, lectores amantes veri, aqui, & boni; tum vero, duce experientia, quae artem fecit, eiusque & naturae limites docuit, bene aquiterque iudicent, & veritati denique sincere plaudant! Id ego me a lectorum parte praecipua obtenturum eo magis confido, quo certius, vt quum GEVDERO de fermentis *p. 5. dicam,* "in eo "nunc viuimus saeculo, quo non adeo acriter pro certae alicuius sectae, aut ducis honore "magis, quam pro sancta veritate, pugnare conuiciando & caluminando solent philoso-"phorum optimi; sed, pro vna veritate maxime solliciti, plerique alteri alterorum in-"uenta & cogitata placide modesteque expendunt."

Hannoverae d. XIII. Martii a. CIↃIↃCCXXXIIII

CAVTIONVM MEDICARVM
TRACTATVS PRIMVS
SIVE
DISSERTATIO
DE
LIMITANDIS MORBORVM VITVPERIIS ET LAVDIBVS MEDELARVM.

Plurima non minus grauiter, quam vere, dixit vberrimus auctor Hippocrates; sed nihil maiestate ipsius dignius, quam ingenuum illud: *naturæ morbis medentur.*

TVLPIVS obseru. med. L.1.c.8.

Τα δε προσφερομενα τοισι νοσευσιν ὡδε χρη φυλασσειν, τα τε ὀρθως, και τα μη ὀρθως.

Quæ vero ægrotantibus offeruntur, ea sic cautionibus munire oportet, vt distinguantur, quæ recte, quæque non recte fiant.

HIPPOCRATES de morb. 1.

VIRIS
ILLVSTRIBVS EXPERIENTISSIMIS AMPLISSIMIS

GOTTLIEB SAMVELI TREVERO ICTO

M. BRIT. REG. ET DVC. BRVNSV. AC LVNEB. CONSIL. AVL.
IVRIS PVBLICI PHILOS. PRACT. ET HISTORIAR. PROF P.O.
IN ACADEMIA IVLIA

BRANDANO MEIBOMIO D.

ARCHIATRO GVELPHICO ET IN EADEM ACAD. IVLIA
MEDICINAE PROFESS. PRIMARIO

LAVRENTIO HEISTERO D.

IBIDEM MEDICINAE CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. P.O.
ACADEM. CAESAR. LONDIN. ET BEROLIN. COLLEGAE

IOANNI BERNARDO VVIDEBVRGIO

MATHEMATVM PROFESSORI P. O. IN ACAD. IENENSI

PRAECEPTORIBVS QVONDAM SVIS
FAVTORIBVSQVE SEMPER VENERANDIS
QVORVM NOMINA ADSCRIPSISSE
SATIS PRO ELOGIO EST
TRACTATVM HVNC
TAMQVAM IVDICIBVS APTISSIMIS
VERITATVM PHYSICARVM MATHEMATICARVM MEDICARVM
IN EXIGVVM GRATI ANIMI SYMBOLVM
CVM FLORENTISSIMAE FELICITATIS VOTO
DEDICAT
AVCTOR.

ELEN-

ELENCHVS.

§. I. Rerum medicarum omnium laudes & vituperia limitem admittere debent. HIPPOCRATES de morbis secundum, & præter naturam. Dantur morbi boni, remedia mala. Nihil horum in se bonum aut malum est; sed omnia ex habitu ad naturam & obseruationibus iudicanda.

§. II. Naturæ morbis medentur. Varia huius vocis notio. Dissensus ea in re in ipsa arte perinde esse debet. Ordo in ipsis erroribus naturæ, & monstris, mechanicus. Sapientia plus quam humana. Animæ potentia & impotentia in actiones corporis naturales.

§. III. Terrores a morbis & remediis sine noxa; noxæ ab vtrisque sine terroribus. STAHLII limitatio amplissima laudum naturæ.

§. III. Vituperiis fluxuum, & encomiis remediorum sistentium, ponendi limites. Fluxus, excreto stimulo aliquo, mechanice subito cessantes. Aloetica: pilulæ Becherianæ correctæ. Opium. STAHLIVS de eius, & efficacis medicinæ vsu in dysenteria. Limitandæ laudes remediorum minus efficacium.

§. V. Podagræ vituperia limitanda. Laudatio prudens PRELSLERI, & SCHRADERI. Materia podagrica. Remedia specifica frustra iactata. Solatium & votum podagricorum.

§. VI. Medicamina podagræ vitiosæ, eorumque limitandæ laudes. Medela in paroxysmo. Venæ sectio. Demulcentia. Decoctum Viennense. Diæta abstemia. Antidoti amaræ tonicæ, præsertim aristolochia. Pedum scarificationes, hirudines, hæmorrhoidum motio. Electuarium caryocostinum.

§. VII. Diæta lactea. Exempla eius prisca & noua. De BRVNNERI curatione in corpore proprio. Cautiones circa lactis vsum.

§. VIII. Febris indoles. Nunquam est sine efferuescentia, sæpe cum fermentatione. Defensio harum vocum. Fluidorum motus intestinus, & solidorum tritus, simul

respici debent. Pulsus febris indicium, sed non solum, nec semper. De morali naturæ sapientis, quæ dicitur, æstimatione. STAHLII limitatio maxima laudum febris. Determinatio a posteriori facienda. Moralis æstimationis theoria probari nequit.

§. X. Febres non nimis vituperandæ. Natura per febres alterans, secernens, excernens. Vnde limites petendi? Vituperia febrium apud medicos multos, suo modulo vera. Effectus febrium, præcipue etiam intermittentium, mali & boni. Limitationes nostræ & aliorum æquæ.

§. X. Febres apoplecticæ raro salubres, aliquando tamen. Obseruationes variorum.

§. XII. Febres male curatæ, feliciterreduces. Ars febres excitandi limitanda.

§. XIII. Limitandæ laudationes corticis Peruuiani, & remediorum minus certorum.

§. XIIII. p. 66. Caussæ limitationis laudum corticis. Abusus quinam sint?

§. XIIII. p. 68. Notanda pro æquiter limitandis laudibus. Vitia circa corporis præparationem. Purgatio conueniens, vel secus.

§. XV. Vitia circa dosin & ordinem. Vitia vsus ante paroxysmum. Vitia doseos pondere certæ, præstabilitæ. Vitia doseos magnæ cumulatæ. Colica febrilis.

§. XVI. Vitia circa reuersiones præcauendas. Purgatio post febris curationem.

§. XVII. Conclusio dissertationis. Limitandæ laudationes remediorum aliorum febrifugorum. STAHLIVS & SLEVOGTIVS de arsenico. Repetitio succincta nostræ de natura sententiæ. Vnanimis artis cultura.

Vix

CORRIGENDA.

pag. 12. not. lin. 3. ob organo- p. 19. lin. 1. tantisper p. 22. lin. 1. alio modo p. 41. not. lin. 8. ζυμωτεως p. 45. not. lin. 17. infidarum ibid. lin. 18. periebantur p. 51. not. lin. 3. latere

I) *Vix ac ne vix quidem in rerum natura quicquam adeo humanæ valetudini reperitur infensum, quod, certis positis rerum circumstantium momentis, cautionibusque adhibitis, vel innocuum euadere non possit, vel etiam non nunquam quodammodo salubre. Neque vicissim vlla res tam insons corpori nostro est, & tantopere ad eius salutem comparata, quin aliis atque aliis modis, siue ipsorum hominum errore atque culpa, siue improuisa ac ineuitabili accessione aliarum rerum, humanæ prouidentiæ potentiæque vim exsuperantium, ab sua innocentia atque salubritate ad pericula & noxas delabi possit. Itaque, si vituperia aut laudes rerum medicarum, quæ & vtiles pro re nata & noxiæ esse queunt, ita vtrimque extendantur, vt limitem non admittant, inscientiam id & obseruationum defectum arguat necesse est, vel opinionem præiudicantem, vel lusum ingenii, vel dicendi modum hyperbolicum & minus accuratum. Neque ex aduerso quisquam mirari debet, si apud rerum salubrium insalubriumque obseruatores doctos & expertos, æstimatoresque æquos ac sinceros, modo præstantissimorum, quæ ipsi alioqui laudant, remediorum effectus damnosi accusentur; modo ipsæ præter naturam molestiæ, morbi ipsi, quamuis vitio vertantur sæpe, salubritatis tamen alias mactentur encomiis, ac pro malis saltim minoribus maiorum medicis, immo pro bonis aliquo modo, reputentur. Neque vanus est* HIPPOCRATES *noster, qui, in libelli de* diebus criticis *initio, bonos morbos a malis distinguit, eosque, qui formidandi aut exitiosi sint, secundum naturam, hoc est, pro*

Morbi boni, remedia mala.

more legibusque Φυσιος ἰητρος, *fieri negat; dum, qui ſecundum ipſam eueniant, ſalutari exitu potiantur. Ita vero etiam remedia bona a malis, ſcilicet indicata a non indicatis, & quæ ſecundum naturam, hoc eſt, ad ductum moris & legum naturæ non aberrantis, operantur, ab his, quæ præter vel contra eumdem ægrorum curationes attentant, merito diſcernuntur. Tunc quoque, vbi iuuandum eſt, ea remedia prauis accenſeri merentur, quæ non iuuant, ſed vana ſpe lactant, & efficacioribus indicatis locum ac tempus præripiunt. Quemadmodum a peſſima dyſenteria, ab exantlato ſphacelo, a malignisſimis febribus, & peſtilentia ipſa, ſaniores deinde degere mortalium quosdam, quam ante eos morbos vixerunt, experientia approbante conſtat; ita contra etiam ſaluberrimo victu & potu, lacte, aqua, vino, medicamentisque partim blandiſſimis, vti cancrorum lapillis, nitro, herbulis esculentis, partim generoſiſſimis, catharticis, anodynis, febrifugis, mercurialibus, aquis κατ' ἐξοχην ſalutaribus dictis, male paſſim mulctari hominum corpora, triſtis obſeruatio euincit. Id vero omne naturæ, eiusque habitus & virium proportioni ad morbos, & cauſſas morboſas, & remedia, horumque ſingulorum vires, debetur. Neque ægrotatio vlla, aut vllum remedium, in ſe bonum aut malum eſt; ſed tunc proſunt omnia, quum a bona natura ſecundantur, eamque ipſa vel ſecundant, quantum fieri poteſt, vel reſtituunt & ab errore prohibent; nocent tunc, quum ad alienum a naturæ bonitate ſecundanda vel reſtituenda ſcopum collineant, ac deducunt. Felix medicus, qui, quid a quouis morbo ac remedio, in quouis naturæ ſtatu, & ad res circumſtantes habitu, vel ſperandum ſit vtilitatis, vel noxæ metuendum, ex genuinis obſeruationibus perſpexerit.*

Naturæ medentes.

II) *Sicuti ſingulorum hominum naturæ ſanitatem corporis cuiusque, ſub integro valetudinis ſtatu, conſeruare recte*

di-

dicuntur; ita & morborum, & cauſſarum morboſarum, per ipſa ſæpe ſymptomata, ipſosque morbos, medicæ, Φυσιες νοσων ἰητροι, *dudum* HIPPOCRATI *merito audiuerunt. Eſſe aliquam vim naturalem, quæ, præter artis potentiam, ordinate in humano corpore operetur, & in ſanitatem conſeruandam vel reſtituendam congruentibus motibus ſponte tendat, inter omnes medicos philoſophosque conſtat. Hanc vero naturam vocamus: neque rem negare queunt, qui ipſum nomen receptum vitare amant.(1) Quo nomine quid rei intelligamus, ſiue cuinam de ſalubrium motuum principio, vel cauſſa, theoriæ addicti ſimus, in obſeruationibus ad praxin medicam applicandis, parum certe, aut plane nihil refert: quod dudum probauit iudicioſiſſimus* SCHACHERVS,

(1) *BOYLE*, in de *ipſa natura*, nouum mechanismi vocabulum ſubſtituit; *STVRMIVS*, in diſſert. de *plantarum animaliumque generatione*, variisque aliis ſcriptis, naturam vanum idolum vocat, & dei actionem ſpecialem vbique ſupponit; *BONTEKOE* ſanguinis circulum nominare, non naturam colere vult, in libello de *natura*, & in *chirurg.* c. 1. *MVYS.* in *chirurg. rational.* dec. 1. obſeru. 7. ſq. dec. 3. obſ. 2. & *DOLAEVS*, in *epiſt. ad VVALDSCHMIDIVM inſtit. medicis præfixa*, nomen naturæ itidem explodunt. De varia vocis huius notione, & ideis, quæ eidem a diuerſis philoſophis medicisque annectuntur, poſt *PERERIVM* in *phyſica* L. 7. c. 1. *FABRVM* in *panchym.* L. 1. c. 5. *LICETVM* de *natur. anim. mouente*, *SENNERT. epit. phyſ.* L. 1. c. 1. *SMETIVM miſcell. med.* L. 7. epiſt. 1. *DEVSING.* diſſert. *de natura*, *BOYLE* de *ipſa natura* L. s. vid. præcipue *SCHELHAMMER* de *natura* part. I. *CVDVVORTH* in diſſert. de *natura genitrice*, in *ſyſtemate intellectuali*, elegantiſſima latinitate donato a vener. *MOSHEMIO*, theologo & polyhiſtore inſigni, item ipſe hic doctiſſimus interpres, in adnotationibus adiectis. Addenda vero ſunt dogmata ſummi viri, *LEIBNITII* noſtri, (v. act. erud. 1698. p. 427.) & acutiſſimi *VVOLFII*, quique hos ex medicis hodie ſequuntur, viror. clariſſ. *SCHREIBER.* in *elementis medicinæ*, *BVRGGRAF.* in *lexico medico*, aliorumque: item his e diametro aduerſa ill. *STAHLII*, & multorum inter medicos aſſeclarum, quorum ſcripta ſingulari libro recenſuit celeb. *GOETZIVS*, additis dubiis b. *APINI*, quæ adhuc reſponſionem exſpectant. Iungi meretur ipſius *APINI* ſententia de *principio vitali*, expoſita diſſertationibus quinque, in *faſciculo diſſertationum academicarum:* item ill. I. A. VVEDELII diſſert. de *principio vitali*, & de *vi naturæ medica.*

in dissertatione de recto rationis & experientiæ vsu in praxi § 7. 8. 9. 12. 17. 30. *Merito miramur dolemusque, esse tamen, & indies adhuc insurgere viros doctos, qui, ob diuersas ea in re opiniones, practicum dissensum ab aliis affectent, cum horum opprobrio & contemtu, incrementis artis noxio. Sunt, verbi caussa, qui vnius alteriusque medentis errores inde, cum vniuersæ innocuæ theoriæ mechanicæ acri censura, deriuare amant, quod occultum aliquod principium vitale, intra hominem sentiens sapiensque, non fuerit admissum (2): quo tamen credito, vel non credito, neque prohibentur magis errores, neque fiunt, quod res ipsa, reique ratio docet. (3) Neque ex altera parte illos*

(2) Conf. *commerc. litter. Norimb.* 1733. p. 204.

(3) Scite, & in nostram plane sententiam, fautor noster ex præcipuis amantissimus, cl. *D. RVD. AVG. BEHRENS*, physicus Brunsuicensis, & academicus naturæ curiosorum merentissimus, in sub ill. *SCHACHERO* disputata olim *consideratione animæ rationalis medica*, c. 3. §. 5. "*Quid "tandem*, ait, *de sensu vitali dicendum, ad cuius ductum magnæ hodie "auctoritatis viri morborum genesin, progressum, & per varias criticas "secretiones & excretiones solutionem explicare, nexumque physiologiæ cum pa- "thologia declarare satagunt? Sane, vti facile patiar, vt quilibet genio suo indul- "geat, ita, eadem libertate in re publica litteraria vtens, non adeo culpandus ero, "si ab hac sententia modeste dissentiam. Equidem hanc hypothesin in historia mor- "borum explicanda omnium esse facillimam, satis superque intelligo. Quando "enim morbi quicunque in salutem & conseruationem corporis vergunt, animæ, "ad eorum mentem, sensus vitalis ministerio, motus ad hunc scopum necessarios "prouide, scite, prudenterque excitat & dirigit; sin vero morbi in detrimentum "& exitium corporis vergunt, animam errorem in sensu vitali committere, "vel a vi morbi superari dicunt; ideoque principium illud ad hypotheseos suæ "progressusque morbi ductum flectunt, torquentque, atque sic breuiter qui- "dem se expediunt: quum tamen adhuc sub iudice lis sit, an motus corporis "in salutem vel detrimentum corporis cedentes a prædicto vitali sensu de- "pendeant: præcipue, quum alibi iam tum (c. 2. § 1.) monitum fuerit, sæ- "pius mentem errorem & damnum deprauati motus cognoscere, atque in id "omnibus modis incumbere, vt is corrigatur & emendetur, tametsi voti "sui compos fieri nequeat. Quid itaque de iis morbis, quorum motus erro- "neos ne quidem mens percipit, sit sentiendum, aliorum iudicio relinquo." Et

c. 5.

illos laudo, qui errores quorumdam, eiusmodi principium recipientium, dogmati ipsi tribuunt, inque innocens illud grauiter inuehuntur. Perinde talia in ipsa arte sunt, modo ne physica, mechanica, hydraulica, hydrostatica, aerometrica, corporis nostri, & diuersissimarum eius partium ac proportionum, artificiosissima ordinatio diuina negligatur; modo ne anatomicæ, physicæ, medicæ obseruationes postponantur sententiis theoricis, vel ex iis præiudicentur; modo ne, in praxi, rationis & experientiæ limites migrentur; modo laudes & censuras virium & imbecillitatum naturæ & remediorum, indefesso cultu sinceræ experi-

 entiæ,

c. 5. § 3. vbi eruditissime disputat contra eam sententiam, qua mens pro principio corporis vitali habetur, quaque ideo & corpori morboso, & medicamentis adhibendis, omnis denegatur efficacia, nisi definito & incorporeo motu, a sensu mentis vitali excitato, in actum deducantur, sub finem denique, "*non vane*, inquit, *existimo, animam, "nisi pathemate quodam* (aut etiam, aliud agendo, proprie voluntaria motione, qua, quia omnia in corpore animæ concordante & vnito cohærent, confluunt, & conspirant, etiam non voluntariæ motiones simul incitantur. conf. p. 307. (h) obseru. nostr. de febr.) "*varios in "corpore motus, efficaciam remediorum nunc iuuantes, nunc impedientes, "excitet, nihil quicquam ad eorum operationem contribuere. Quemadmodum "omnia physica effecta extra corpus humanum soli particularum texturæ, fi- "guræ, ac motui debentur, cur ea in corpore humano a cognoscitiui principii, "seu mentis, incorporeo motu deducere debeamus, ego, vt ingenue fatear, "causſam non video idoneam. Nihilo minus hodierna tempestate non pauci "in ea sunt sententia, ac si nemo felices progressus in praxi medica facere "queat, nisi hypothesi huic mordicus adhæreat. Quid autem? Nonne hac "ipsa hypothesi motus naturæ in scenam producuntur, quos ab omni æuo me- "dici obseruarunt, atque ad eorum ductum remedia præscribenda esse olim "inculcarunt, & etiamnum inculcant? Si itaque medicus, ad horum naturæ "motuum ductum in morborum cura vsu probatis vtatur medicamentis, ipsi "fortassis erit perinde, siue quis motus illos a cognoscitiuo, siue a mechanico "principio deducat. Exoptandum potius foret, vt iis ad salutem ægri diri- "gendis ars medica sufficeret, quo sic cultores eius, non obstante de principio "corporis vitali dissensu, amice morborum medelam aggredi, eamque ex "animi sententia præstare possent.*

entiæ, antiquæ & nouæ, propriæ & alienæ, rite distinguendas, perque diuersissimos praxeos casus, prudenti ἀναλογία *æstimandas, ac æquiter limitandas, meminerimus; modo denique magis magisque non hypotheses hypothesibus, sed obseruationibus obseruationes cumulemus, ac salutarem disciplinam vno animo, & sine sententiarum theoreticarum fauore aut inuidia, excolamus. Nobis, quibus hoc propositum est, æque ac excellentissimis viris,* BOERHAAVIO, *in de* honore medici seruitute *p. 5. sqq.* BERGERO, *in* physiologia, *& de* laude febris merito suspecta, HOFFMANNO, *de* natura morborum medica mechanica, *& passim alibi,* SYDENHAMIO, de morb. acut. *II. 2. in fin.* SCHELHAMMERO, *de* natura *c. 5. §. 15.* SCHACHERO, VVEDELIO, MEIBOMIO, HEISTERO, *& innumeris aliis, occulto principii vitalis sensu non opus esse videtur; sed sufficere, ad naturæ humanæ,* Φυσιος ἰητρὸς *Hippocraticæ notionem, diuinum structuræ, connexionis, & proportionum in corpore viuo, ac eius solidis fluidisque omnibus partibus, artificium, quod per fibrarum & humorum robur, directionem, ac nisum cuilibet particulæ, ad subtilissimas vsque, impressum, ad aliena sponte subigenda, atque exspumanda, apprime pronum sit: quæ & ipsa partim eodem sua sponte nitantur. Errant, qui naturam huiusmodi pro inerti habendam arbitrantur, & iccirco nihil agere, nullum salutarem scopum assequi posse censent.* Igneus est illi vigor, & cæleſtis origo: (4) *& prouisos ordinatosque habet virium defectuumque limites; licet sine propria sapientia operetur. Sapientiæ defectus in monstris, (longe sane facilius nostræ sententiæ conciliandis, quam principio sapienti suum corpus struenti) inque morborum motibus peruersis, clare apparet, dum meliora videt mens probatque, deteriora natura sequitur. Nihilominus, in ipsis etiam erroribus, ordinis diuinitus sapienter*

Monstra & errores naturæ non sine ordine.

(4) VIRGILIVS.

ter prouiſi veſtigia, & aberrationum limites, natura ſeruat, vt nociuorum etiam motuum effectus ſæpe ordinatione admirandi ſint. Ita in ipſis generationum monſtris, quæ, ob impreſſas tenerrimis neruorum fibrillis imagines motionesque corporeas, perturbatæ mentis imaginationi, pro eius corporisque commercio, reſpondentes, præter naturam naſcuntur, argumenta miranda artificii, quod prima ſtamina & fabricæ inſtrumenta diſpoſuerat, errandique ſtatuerat modum, in ipſa turbati opificii, ideoque ἀνωμαλως *procedentis,* ἀνωμαλια *apparent. Ita, ſi parua magnis, humana diuinis componere licet, ſicubi ſtaminibus, a nobilioris telæ mechanico textore artificioſe diſpoſitis, improuida hominis ignari manus, aliaue cauſſa, perturbationem aliquam induxerit, procedente dein opificio per machinas* αὐτοματους, *monſtrum aliquod* ἀνωμαλον *arte textoria fabricatum prodit, non ſine artificii, quod organa diſpoſitionemque fecerat, documentis manifeſtis, in ipſa aberratione, quæ* αὐτοματη *machinæ impotentiam, & inſipientiam redarguit, vti magiſtri ſapientiam comprobat, atque limitandi poteſtatem. Nihil eſt, quod opineris, ſpiritum plaſticum rationalem requiri, ad exprimendas propagandasque in fœtu imagines, ab imaginatione materna oriundas; niſi etiam repræſentationis opticæ & conſonantiæ acuſticæ, echus & ſpeculorum, phonurgicorumque & catoptricorum artificiorum plurium, ad quæ ignari ſtupent, animas item ſpiritales & ſapientes plaſticas ſuſpicandas eſſe rearis: quibus naturæ vel artis effectibus ſua item monſtra eueniunt, quando alicubi inſignior aliena impreſſio, aut, mutatio, fortuito admittitur. Taceo plantarum monſtroſos quaſi partus, quarum naturam genitricem qui inſita ſpiritalis indolis intelligentia liberaliter dotant, mire eam diuiſibilem, vel multiplicem in ipſa ſimplicitate, admittant neceſſe eſt, ob ex-*

pe-

perimenta hodierna culturæ & multiplicationis plantarum, per omnes fere partes seorsim, pro cultoris lubitu, aut forte fortuna, vegetantium, vel secus, & multifariam monstrose mutatarum; quemadmodum diuidant oportet, in animali regno, variorum insectorum & reptilium animas naturas, quando dissecta regulariter moueri diu continuant. Recte IONSTONVS, *in* thaumatogr. *L. 10. c. 7.* "monstra, *ait*, in omni"bus corporibus mixtis sunt." *Neque igitur ab his ad naturam genitricem sapientem concludere licet. Hæc, quasi per* παρεκβασιν, *dicta sunto, quia hodie alicubi vltra modum efferuntur obiectæ his, qui principium vitæ sapiens admittere recusant, difficultates, ex insipientis imaginationis maternæ efficacia in embryonem, & monstrorum generatione: quum eædem aduersa sentientes potius premant. conf.* obseru. nostr. *p. 301. sq. Vt e diuerticulo in viam regrediar, ea esse videtur non nostri solum corporis, sed & omnium corporum naturalium, a maximis ad minima vsque, mechanica, & legibus regularibus ad scopum conditoris ordinata, indoles; ea singulis quibusuis omnis materiæ particulis vis indita grauitans, regulari nisu, pro motus impressi vel aliunde accedentis legibus diuinis, ea nitens renitensque corporis nostri ad rerum non naturalium, præternaturaliumque, (5) quas medici*

Sapientia plus quam humana.

(5) Eleganter & solide ill. I. A. VVEDELIVS, in de *vi naturæ humanæ medica* § 16. "*Humores vitales morbosi in se continent tam particulas morbosas,* "*quam reliquas ex statu naturali residuas. Vtraque vero gaudent certa* "*definitaque actiuitate, quæ omnino motus species est, vt omnis actio. Hoc* "*equidem negare videntur recentiores quidam, & generatim motum mate-*"*riæ denegant, & actum tunc sine agente putant, si materiæ insitum motum pu-*"*temus, & ideo animam immaterialem motibus naturalibus & vitalibus* "*præficiunt, vt agens obtineant, cum materiæ actiuitatem negent. Verum,*

dum

dici vocant, vires mouendi insitas, & harum ad istud proportio, hi singulis a creatore positi efficaciæ limites; vt exinde euenientes sponte procedentesque motus, sine humana sapientia, suo gaudere debeant ordine, & non possint non, magna ex parte, ad salutarem attritum, separationem, coctionem, atque crisin, ordinate collineare. Immo vbi aberrant, aut deficiunt, quum obliqui mensura rectum sit, debent sane, per ipsa symptomatum prauorum signa, sui medelam, & regularem medendi methodum indicare. Indicatam vero ac recte applicatam reducta in meliorem tramitem natura secundat omnino, & id denique, post restitutum natiuum œconomiæ ordinem, pro perficienda sanitate, naturalibus motionibus efficit, quod nulla ars sola præstare queat. Vix ac ne vix quidem tanta spiritui humano cuicunque, licet prudentissimo doctissimoque, ab his, qui suam imbecillitatem inscientiamque rite ponderant, tribui potest sapientia, quanta in motibus non voluntariis, circa

b sani-

"dum ipsi materiæ morbidæ vim fermentationem morbosam, immo putredinem, "in sanguine excitandi, sanguinemque destruendi assignant; vbi tunc est agens, "si materiæ talis vis non competat? sine motu enim hæc nec concipi, nec "fieri potest. Necesse tunc esset peculiarem animam in corpore motuum vitio- "sorum auctorem vt statuerent, cum anima rationalis, iuxta eorumdem "sententiam, motus ad conseruationem corporis præstet, & contra hanc ma- "teriam morbosam pugnet. Materiæ morbidæ ergo dum vim & actiuitatem "tribuunt vel concedunt, caussa nulla est, cur humoribus sanis, vel eorum "partibus, efficaciam denegent." Vtrimque vero, pro ordinate insito morbosæ sanæque materiæ nisu, & proportione ad inuicem, & ad singulas corporis partes summo ordine contextas, in morbis, iisque præcipue, quibus natura feliciter medetur, ea facile ex physicis motuum legibus, diuinitus exquisitissime prouisis, ordinatorum motuum ratio indubia colligi potest, quæ humanæ animæ sapiens moderamen vel excludat plane, vel summopere limitet debilitetque, certe nulla necessitate requirat.

ſanitatis negotium, inter tot tamque varias, & omni hominis ſenſui cognito ignotas, omni meditationi imperueſtigabiles particulas motionesque, in ipſius corpore quotidie obſeruantur. Quamuis etiam liberaliter largiremur illum, quem ignoramus, ſenſum vitalem, foret tamen actio omnis inde conſequens per phyſicam neceſſitatem præſtabilita, velut in brutorum animantium inſtinctu, ſine rationalis animæ æſtimatione aut moderatione. Perplacent argumenta & ſententiæ ill. IO. ADOLPH. VVEDELII, *quibus in diſſertationibus de* principio vitali, *& de* vi naturæ humanæ medica, *docet, neque in voluntariis hominum actionibus, phyſico mentis effectui tribuendis, harmonia* Leibnitiana, *neque in non voluntariis occulto animæ rationalis, aut alius principii vitalis, ſenſu, ratione, & ſapientia opus eſſe: atque p.* 13. "vt dicamus, *inquit*, quod res eſt, non o-"mnino mentis circa hæc negotia ratio & ſapientia vn-"quam ſufficit : effectus enim maior eſſet ſua cauſſa. "Summam potius creatoris ſapientiam in his venerari "cogimur." *Enimuero non ſolum, quod ibi probatur, animæ ſufficiens iis in rebus ſcientia, prudentia, potentia deficere videtur; verum etiam, vbi aliquid circa ea, quæ naturæ tribuimus, nouit, & prouidet, & efficere valet, ſæpe ſæpius contra naturam motusque eius cogitat, eligit, agit : adeoque, ſi ipſa anima natura eſt, duos non diuerſos ſolum, ſed repugnantes, ſeu, vt dicunt, contradictorios, in vno eodemque momenti & ſollicitæ attentionis puncto, intellectus, voluntates, poteſtates habere & exſerere, hoc eſt, ni fallor, idem ſimul eſſe & non eſſe debet : id quod mihi plane* ἀκαταλήπτον, *& repugnans vniius ſimplicis animæ naturalis ideæ eſſe fateor. Ad eius igitur po-*

potius intelligentiam, ſapientiam, poteſtatemque immenſam ac certiſſimam prouocare placet, cuius conſilio & nutu naſcimur, viuimus, ægrotamus, medicamur, ſanamus, deficimus, conualeſcimus, morimur; & qui intellectui, voluntati, licentiæque & viribus animæ humanæ ſuos limites, & corporum machinis ſuas leges deſiniuit. Meibomianis *verbis breuiter meam ſententiam repetere lubet, quæ* SCHELHAMMERVS *in lectu digniſſimo libro de* natura *P. II. c. 1. §. 5. habet, vbi,* "non poſſum, *ait*, quin viri maximi, HENRICI MEI-"BOMII, verba adducam, tanto plus ponderis apud du-"bitantes habitura, quod ille eſt vir πολυμαθεσατος, & iudi-"cio pariter atque experientia inſignis." Quicquid, *inquit*, "in corpore noſtro humano a partium omnium (6) propria "conſtitutione, ſpiritibusque in primis (7) & ſanguine, cali-"doque illi inhærente, (8) vt mouentibus, dependet & fit, il-"lud a natura dependere & fieri dicimus. Naturæ nomine "complexum aliquem variarum cauſſarum (9) agentium, a

(6) In morbis vero etiam materies aliquantum morboſa pars eſt, ſed ægra, neque fibræ aut humores a naturali ſtatu deflectentes deſinunt partes corporis eſſe, & naturæ pars ſunt, ob reliquias ſtatus naturalis, & proportionum.

(7) hoc eſt, parte ſanguinis ceterorumque humorum ſpirituoſa, elaſtica, ideoque proprio motu inſtructa, & tonum inſtruente liquore encephali, medullæ ſpinalis, ac neruorum fibrarumque motricium.

(8) hoc eſt, particulis ſubtiliſſimis, ſeu æthereis, rapidiſſimo motu, vel certe niſu ad eum natiuo proprioque, ſine animæ moderamine, inſtructis, ſiue, vt ill. BOERHAAVIVS in *chemia* vocat, igneis, de quibus ſi intelligantur veterum illa de *calido innato*, & *igne animali*, a CONRINGIO peculiari libro tractata, vana omnino non ſunt.

(9) Inter illas cauſſas quodammodo eſt ipſa mens, ſed non directe. Hanc enim, ſub ordinata vnionis lege, in voluntariorum motuum inſtrumenta libe-

"deo creatore ita ordinatarum, intelligimus, eique non "tantum in ſanitatis ſtatu tam varias & pulcras actio- "nes adſcribimus; ſed etiam valetudine afflicta naturam "medicatricem, cum veteri & recenti medicorum ſcho- "la, agnoſcimus, illiusque miniſtros, & actionum eius o- "mnium diligentes obſeruatores, medici nos profitemur." "Quæ pari cum veritate elegantia nitens ſententia & hu- "manam naturam perpulcre, veluti in tabula, exhibet "depictam, & ad vniuerſalem nulla opera aptari pote- "rit."

Terrores ſine noxis, noxæ ſine terroribus.

III) *Naturæ iſti itaque debetur, vt, quum vix mortalium quisquam ſit, quin ſæpius morbis, ſeu morbidis motionibus, afficiatur terreaturque, plures tamen ex his in ſanitatem, quam in noxas, aut ipſam mortem, immo haud raro potius in ſalubritatem, ſponte tendant, deſinantque. Exempla abunde & erudite congeſſit celeb.* ALBERTI *in diſſert. de* morborum ſalubritate. *Morbi ſunt pathemata corporis humani præter naturam, ſeu illi affectus, quibus ſenſus aut facultates corporis, præter natiuam œconomiæ rationem, moleſtantur: ſed ſuperſunt, in plurimis multæ huius reliquiæ. Tot eorum genera, ſpecies, atque indoles ſunt, vt, qui omnia diſtincte enarrare vellet, lepido* Iuuenalis *ea de re elogio, prius enumerauerit*

Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.

Neque ergo, Themiſonis methodici more, generali cuidam

libere & vere phyſice agere, affectis vero ſenſuum externorum & internorum cognitorum organis vere affici, & ad motus viciſſim in iis per pathemata ſua excitandos determinari, ſtatuimus: vnde, ob organorum illorum connexiones & conſenſum cum reliqua machina, tum vitalium motuum perennitatem, ſine propria ſapientia, iuuat, tum pathematibus reflexionibusque ſuis varios in corpore motus improuida producit aut mutat.

dam notioni diuerſiſſimas ſpecies ita ſubiicere licet, vt æqui laudum & vituperiorum, ſperandæque ſalubritatis & metuendæ noxæ, limites in ſingularibus deficiant. Sunt vero morbi partim ſingularum perſonarum naturis magis proprii, iique vulgatiſſimi, quicquid pro re nata varient, qua de re ill. STAHLIVS, *peculiari diſſertatione de* infrequentia morborum perſonali, *eleganter egit, partim diæta magis excitati, vel endemii, vel maxime epidemii, quibus ſingulis infrequentia laudata paſſim in frequentiam inſignem plurium morborum ſibi inuicem ſenſim in vno corpore ſuccedentium, degenerat. Ea tamen in pleriſque eſt, diuino beneficio, naturæ bonitas, vt, quo vsque naturalis œconomiæ & niſus reliquiæ ſuppetunt, earumque robur conſtat, neque prauis cauſſis obruitur, ipſa ſe per motus, moleſtos licet, attamen bono euentui a ſapientiſſimo conditore deſtinatos, perque ſubſequentes vitioſarum rerum coctiones atque euacuationes, in integritatem reſtituat vindicetque. Recte itaque experientiſſimus* CARLIVS *in* commerc. litt. Norimb. *1733. pag. 260. vbi periodicorum exanthematum, & ſudorum chronicorum euentum critice ſalutarem eleganter docet, facta comparatione multitudinis motuum vitalitati innocuorum, cum minori mortiferorum numero,* "mul-"ta, *inquit*, ſunt, quæ terreant, pauca, quæ perimant": *licet & neque numero pauciora illa debeant negligi, & ſint plura, quæ nocent, vel damnum minantur, licet non ſtatim perimant, & illud effatum nonnunquam, pro morborum, corporum, locorum, temporum, circumſtantiarum, infeliciori indole, ita viciſſim enuntiandum ſit:* multa ſunt *in epidemiis, endemiis, ſingularibus, motibus morboſis,* quæ noceant, immo vel perimant, *ſi auxilium artis vel ignoretur, vel negligatur,* licet vix ac ne vix quidem *naturæ ni-*

mium fisos, vel morborum historiæ ignaros, terruerint. *Id enim misera passim morborum ægrorumque mortalium sibi relictorum conditione, & insperatorum funerum frequentia, & magna sæpe e contrario manifestaque medicinæ necessitate atque felicitate, toto die vbique gentium comprobatur. Ipse cl.* STAHLIVS, *postquam in de* αὐτοκρατίᾳ naturæ *c. 2. eam vim laudarat, qua natura proportionem motuum ad habitum læsionis vel imminentis, vel præsentis,* DIRIGAT & EXAEQVET, "ILLVD VNVM, *inquit*, supereſt monendum, "quod nemo neque nobis imputare debeat, neque sibi "præfigurare, quasi agens nostrum autocraticum propor-"tiones has semper ita mechanice & mathematice instituat, "vt nihil faciat, nisi quod cum obiecti, contra quod ni-"titur, conditione examussim quadret. NEQVAQVAM. "Sed tumultuatur VTIQVE SAEPISSIME, & non modo IMPETV ERRONEO agit, modo nimis TREPI-"DE, modo PRAECIPITANTER; sed etiam subinde "in specialibus ORGANIS recte SELIGENDIS aberrat, "vt per INCONGRVAS vias SECRETIONES & EX-"CRETIONES suas MOLIATVR." *add. idem in de* naturæ erroribus medicis. *Longe minus apte GOELICKIVS assecla, in de* laude febris falso suspecta, *profusus laudum & conuiciorum largitor, cui panicos suos terrores morbosamque fiduciam relinquimus. Illa vero STAHLIANA si ita sunt, atque, vti certissimum est, a priori definiri non possunt, nihil est quod practicum dissensum ex theoriæ principiis consequi debere opinemur.* Illud vnum *enim, quod STAHLIVS monet, etiam nos de natura mechanica corporea monemus, cuius salutarem* αὐτοκρατιαν *ceteroqui toties pariter agnoscimus:* & illud vnum *est, quod timori & fiduciæ medicæ limitem ponit, & omnis fe-*

re

re artis opisque ratio & regula est, & ex obseruationum ἀναλογίᾳ erui & applicari debet, quicquid de natura opinemur. Prædicanda igitur est sapientia summi rerum naturæ domini, qui medicis adminiculis iustas ad corpus humanum proportiones indidit, quibus aduersus nociuos motus eidem succurrere possint, quique fidelium naturæ ministrorum ingenia ita instruxit, vt, obseruationibus factis, ad verarum indicationum normam, vel omittere ista, vel adhibere, atque ita, vanos terrores a iustis discernendo, neque temere, neque timide artem exercere queant. Etenim vel eos ipsos morbos, ipsa ea symptomata, quæ salubritatis encomiis suo quodam merito efferuntur, variis de caussis frequenter nociua euadere, tristis experientia, & ipsa rerum naturæ ratio docet, vt tunc quidem morbus potius, quam recte adhibenda medela explorata, & contra abusus limitata, timeri debeat. Sed & illud notandum est, efficacia medicamina omnia ita esse comparata, vt nonnunquam terreant ignaros, quum nocere nequeant, noceantque abusu, vbi non terruerunt. *Quod si enim ea, sine debita obseruatione & ἀναλογίᾳ historiæ virium effectuumque naturæ & artis vsurpes, errorem potius naturæ induces, quam corriges, augebis motus eius nociuos, quam compesces, debilitabis ipsam, quam roborabis, vt necessarias arti tuæ suppetias ferre nequeat, sed tecum erret, tecum tumultuetur & labascat, noxamque patiatur, quam timere & vitare debuisses. Quisquis vero huiusmodi artificum vitiis, eorumque prauis consecutionibus, ita animo perturbetur, vt ex iis rectos vsus ipsos præiudicet; vel vltra historiæ virium effectuumque modulum, & præter aliarum caussarum attentionem, nescio quid non vndecunque euenientis noxæ in vnam generosam medelam adhibitam coniicere amet; vel denique motibus fortioribus, sed haud*

haud insalubribus, ab efficacia eius primo sæpe contingentibus, animum despondeat; næ ille ignorantiæ filiam timiditatem ita foue-bit, vt temeritatem damnosam ingeneret, qua infidos morbos & inutilia tormenta vel otiosus spectet, vel æque inutilium aut æque ambiguarum curationum experimentis augeat. Atque hæc ipsa, quæ diximus, vituperiorum ac laudum in rebus medicis omnibus limites omnino statuendos arguunt, quibus rite obseruatis, & vsus artis medicæ ab abusu, & medicus vere practicus a speculatore, experiens ab inexperto, doctior ab insciente, cautus a timido, prudens a negligente, recte agendorum conscius a temerario, distinguatur. Legatur hanc in rem celeb. HEISTERI dissert. de medico nimis timido, *item* SCHELHAMMERI *de* natura *pars II. humanæ naturæ sanæ & morbosæ, sanantis & sanandæ, conditiones illustrans atque ipsum ministerium medici, & artificium diæta eam & medicamentis seruandi, & in integrum restituendi, exhibens, regulis limitationibusque prudenter clausum.*

Vituperiis fluxuum & encomiis remediorum sistentium ponendi limites.

VI) *Elucet inter alia, vbi maxima discretione opus est, affectuum genera, fluxuum variorum, vomituum verbi caussa, alui proluuierum, hæmorrhagiarum ratio: qui sæpe quidem vitalem purpuram, viresque neruorum, nimium depauperant, aliaque mala corpori inducunt; nihilominus frequentissima salubritate alias conspicui sunt. In sauciatorum quidem profluuiis sanguineis facile suam imbecillitatem natura agnosceret, si ipsa anima sapiens esset. Neque id suæ prouidentiæ tribuendum existimaret, puto, quod sanguis ex minorum vasculorum hiatu proruens, accedente animi deliquio, & fatiscente vi cordis, sine artis adminiculo sæpe feliciter subsistat. Naturæ felicitas itidem est, quod, parte sanguinis per vulneratum locum, ante adstringentium remedio-*

rum

rum applicationem elapſa, inflammatio & ſuppuratio metuenda minuatur: quam augent ſæpe importunius ſtatim admota remedia impenſe ſtyptica. Vbi grauiora & tot aut tantorum vaſorum vulnera contingunt, e quibus anatomes ſcientia & obſeruatio docet, vires ac vitam cum ſanguine fundi poſſe, ibi naturæ labantis proſtratum miniſtrum ſe profiteri nemo peritorum audet. Sed & hos omnino audaciores iuſto eſſe conſtat, qui adſtringentia quædam, licet ſuo modulo laudatiſſima, remedia externa aut interna nimiis ibi encomiis mactant, &, quaſi anchoram ſalutis pro ſauciatis omnibus, ita extollunt, vt, quod exempla docuerunt, omiſſis vſtionibus & ligaturis maiorum vaſorum vnice certis, medicamini ſuo nimium fiſi, vitam, quam ſeruare potuiſſent, qua data porta effugere permittant. Naturæ poteſtati magis ſubſunt profluuia ſanguinis & humorum ab internis cauſſis oriunda. Laudationem quidem immodicam quorumdam haud merentur, neque tamen etiam vituperandæ vltra modum ſunt liquorum profuſiones, quas, ob alicuius ſtimuli peregrini acrioris vel ſolidioris incitationem, vti ob exiguam materiem contagioſam dyſentericam, ob fruſtulum cibi indigeſtum, ob lumbricos, molas, calculos, aut ſimilia, natura inſtituit, vbi vires nonnunquum pæne omnes prius, quam id ipſum euacuatur, quod mali cauſſa eſt, quodque ſæpe, perturbata inſuper magis, quam pro rei ratione, œconomia corporis, per ſpasmos intus magis cohibetur. Aegre vero, ac interdum ne ægre quidem, ceſſat natura a faciendo humoris innocui diſpendio, donec res aliena, vel vi ſpontaneorum motuum, vel arte educente, aut nimios ſpasmos moderante, elabatur: quo facto, incantamenti inſtar, ſublata cauſſa corporea, effectus ille tolli ſolet, perdurante licet plerumque per aliquod adhuc tempus agitatione fibrarum humorumque, & va-

riis motibus inordinatis. Nihil his rebus, & maxime etiam eiusmodi hæmorrhagiis, excluſo demum abortu aut mola ceſſantibus, frequentius eſt, neque id medicis, cuicunque theoriæ addictis, nouum, aut aduerſum: etſi ſint, qui mechanice, ſine principio ſapiente vitali, explicari poſſe dubitent. Neque vero ſapientiam arguere videtur, aut moralem principii vitalis æſtimationem; quia modum limitemque rationi æſtimanti proponendum euidenter fere ſemper excedit; ſed partium corporis ſolidarum fluidarumque, quæ per circulantis ſanguinis calidi, elaſtici, & liquoris impetum in vaſa & neruos facientis, & ipſos fibrarum elaſticarum vibrantium Mæandros iunctæ ſunt, phyſicum neceſſariumque confluxum, conſpirationem, & conſenſum, ad mechanicas, hydraulicas, hydroſtaticas motuum leges. Accedit perquam mechanica impreſſio, attractio, expanſio, apertio vaſorum propius, aut per connexionem, a re peregrina affectorum, quæ deinde, reiecta ſarcina, liberantur, ſeque proprio elatere contrahunt, & humorem profundere facile deſinunt, licet etiam excitus feruor impetusque, & perturbatio non ſtatim omnino ceſſet. His indigitaſſe liceat haud adeo difficilem ſolutionem problematis, in commerc. litt. Norimb. *1733. p. 162. mechanicæ theoriæ fautoribus propoſiti. Quamuis itaque ſapientiæ laudem principio in eiusmodi fluxibus ciendis laboranti minime tribuendam exiſtimemus, obſeruationum tamen medicarum ratio a vulgi circa eosdem terriculis immunes nos reddit, qui mortem præ foribus eſſe ſubito trepidat, niſi elabenti cum aliqua violentia humori porta ſtatim violenter claudatur. Naturæ enim bonitas reſidua tandem vel cum bonis innocentibusque ſuccis ipſum etiam id, quod noxium eſt, eiicere, ſeque deinde ſenſim refocillare, vel, fatiſcentibus viribus motricibus, motus minuere ſolet, vt quieſcat*

tanti-

tanſper materia morbida, vel blandius elabatur. Videantur, verbi cauſſa, pro limitando huiusmodi fluxuum vituperio, quæ de hæmorrhagiis ex abortu & ex ſecundina retenta, rariſſime ſponte mortiferis, notauimus in obſeru. de febr. *p.* 292. 294. *Sæpe illæ terrent, raro perimunt, etiamſi laudem ſapientis naturæ moderaminis haud mereantur: immo nonnunquam, ob nimiam ſubitamque violentiam, ſyncopen & velocia vitæ pericula corporibus debilioribus & ſenſus exquiſitioris minentur, vt medelam validiorem ſiſtentem ac ſopientem vitalis indicatio poſcat, quæ ceteris omnibus præualet. Multæ certe moleſtiæ, ſine vera corporis vtilitate, per ſanorum & innocuorum humorum eiectionem, accidunt, magna virium ſubſequitur proſtratio, varia violentorum motuum attritu gignuntur recrementa, debilitato dein corpori nimis grauia, immo & exſoluuntur ſæpe, inque motum præmaturum, inutilem, nociuum aguntur, quæ in humorum viſcerumque receſſu iam latitabant, non ita mouenda, ſi natura ſufficienti, aut qualitercunque adæquata cum ſapientia potentiaque, corpori conſuleret: quemadmodum itidem alibi de febribus probauimus, quæ etiam multa alia, præter propriam ſui cauſſam, ſæpe haud ſine periculo & noxa mouent. Neque vero laudabimus hic vberius, quæ potiori iure ac ſuo merito prædicantur, reiectiones humorum aut ſanguinis, vere abundantia peccantium, vel critice exſolutorum, quas natura toto die, cum felici euentu, præſtat, etſi cum ignarorum ſæpe terrore, ac imperitis remediorum commendationibus, vbi inutilia ſunt, vel etiam noxia. Egerunt id negotium ſcriptores varii, qui in omnium manibus verſantur, vt rem, pro ſcopi ratione, breuiter hic indicaſſe ſufficiat. Laudari inter alios meren-*

tur, pro limitandis fluxuum vituperiis laudibusque remediorum, disquisitio IO. ANDR. SCHMIDII de hæmorrhagiis aliisque fluxibus per adstringentia non sistendis, SCHRADER. *de* morbor. quorumd. salubrit. §. 4. VVEDELIVS amenit. mater. med. *L. I. Sect. 2. c. 2.* HOFFMANNI medic. system. *T. II. p. 412. sqq.* STAHLIVS *de* adstringentium cauto vsu: *eiusdem*, & ALBERTI opera *de* hæmorrhoidibus, VALENTINI nosocom. academ. *in* prax. infallib. *T. I. casu 12. quo de hæmorrhagia ab abortus moliminibus, non cessantibus, nisi fœtu extracto, curiose agitur. Caussis sane fluxuum spasmorumque potius e corpore, quantum tuto fieri potest, proscribendis, quam symptomatum curæ studendum est. Egregie, præ multis aliis euacuantibus, in vterinarum præcipue hæmorrhagiarum, sed &, si ab ipecacuanha & rheo recesserimus, in diarrhœarum ac dysenteriarum caussis variis eiiciendis, sese gerunt, immodice licet passim laudatæ, pilulæ Stahlianæ, aut similes blande aloeticæ, nisi inflammatio, aut febris magna, lenta, metuenda, siue adsit, siue instet, aut symptomata aliud vrgeant, aut caussa mali mitigationem & correctionem indicare videatur, aut non bene tolerare purgationem corporis habitus. Magnopere earum in dysenteria vsus tum passim alibi ab expertis effertur, tum a* GOHLIO *in* act. medic. Berol. *dec. 1. vol. 6. p. 42. sqq. Ipse eas auctor illustris commendat in de* dysenteria *p. 35. quamuis ibidem paullo ante p. 31.* "a stimulantibus & in primis aloeticis se alieniſſimum" *profiteatur: quod limitatione opus habet.* Aloeticas *enim esse certum est, neque per* purificationes cum aqua, & præcipitationes cum liquore acidulo, *variasque miscelas, aloe desinit esse id, quod est, aut odorem, saporem, effectum aloeticum prodere. Et optimæ illarum pilularum imitationes aqueum aloes & elleb. n. extractum re-*

recipiunt, quarum magnus hodie vbique per Germaniam celebratur numerus, in hoc ſæculo pilulari, *vti rident 1733. p. 117. cl. auctores* commercii Norimbergenſis. *Quod ſi fluxuum ſymptomata violenta & pertinaciora moderamen efflagitent, & materiæ copia exhauſta ſit, aut cauſſa tuto eiici nondum queat, fruſtraue tentetur, tunc pacare potius naturam, & ſuæ tranquillitati reſtituere fas eſt, quam expulſionem pertinaciter vrgere, quæ deinde ſæpe felicius tranquille procedit. Atque tunc, vti olim in diſſert. de* medic. ſect. method. *p. 35. ſcripſi:* "quæ blande ſpasmorum & dolorum vehementi-"am temperant, ſatisfaciunt plerumque, & violentio-"ribus, vno impetu ſiſtentibus ac ſtupefacientibus, pal-"mam præripiunt, dum hæc aut noxia in corpore reti-"nent, aut periculoſam ſæpe fibris inferunt ἀτονιαν." *Quod ſi alia minus certa non ſufficiant, minime excludimus ipſa, ſtypticis potiora, anodyna opiata, leni & lenta doſi, ad indicationis & εὐφοριας proportionem, exhibita, quæ nocere, experientia atteſtante, non poſſit, & non niſi blandè ſpasmorum ac dolorum vehementiam temperet, ſenſimque fluxiones compeſcat. Haud immerito nuper cl.* ADR. VAN ROYEN *prof. botan. Lugd. Batau. in poemate incomparabili de* amoribus & connubiis plantarum, *de anodyna illa medicina cecinit:*

Viuat Apollineis nimium ſuſpecta miniſtris,
Viuat in innumeris ſola medela malis!

Scitiſſime ill. BERGERVS *in de* vi opii rarefaciente, "nullum ſæpe, *ait*, ab alio remedio maius auxilium, *(nempe ſi recte vſurpetur)* "neque periculum in vllo re-"medio maius eſt". *(ſcilicet ſi in imperita verſetur manu) Ipſe ill.* STAHLIVS, *qui, poſt præceptorum ſuorum*, VVEDELII opiologiam, & ETTMüLLERI *de* virtute opii

diaphoretica, *limites aliomodo ponere conatus eſt per diſſertationem* de impoſtura opii, *(quo titulo quidam aſſeclæ & imitatores conuicia in hoc, aliaque remedia generoſa, eorumque rectum etiam vſum, iaciendi priuilegium ſibi datum forſan autumant) quamuis in diſſert. de* dyſenteria *pag.* 32. "opiatorum, *inquiat*, vſum in hoc caſu non quidem da-"mnamus, ſed neque laudamus," *in ipſo tamen eo caſu, paullo poſt, immo in leniori etiam malo, & primis initiis, re vera & claris verbis collaudat. Præberi iubet ſtatim mane* rhabarbarum, *veſperi opiatam* theriacam, *vel, præmiſſis* pilulis balſamicis, pilulas de cynogloſſo, *& has quidem ad granum per quinque vel ſex horas vnum, hoc eſt, opium ipſum, nulla præparatione caſtratum, ſeu correctum, indies ad dimidium circiter granum, & amplius p. 35. 36. Et appoſite quidem pag.* 35. "nos vero, *ait*, candide cohor-"tamur, vt nihil hic temerariæ opinioni quisquam tribu-"at; *(hoc eſt, ne quis, in morbo illo perquam metuendo, imbellium medicaminum laudibus nimium fidat)* "ſed re-"mediis vtatur, quæ etiam edere poſſint effectum, qui "non ſolum intenditur, ſed ab vrgente malo, neque o-"tioſas tentationes exſpectante, vrgetur." *Cauendæ omnino ſunt nimiæ imbecilliorum medicaminum laudationes, vt, verbi cauſſa, in choleris, dyſenteriis, aliisque fluxionibus violentiſſimis quibusque, blanda euacuantia, quæ ſimul aliquantum ſtringentibus particulis pollent, aut & lac, oleum, ſerum lactis, nitrum, cryſtallus, caſcarilla, tormentilla, aliaque egregie demulcentia, temperantia, præcipitantia, tonica, alexipharmaca non opiata, ſemper ſufficere prædicentur, licet ſæpe feliciter ſufficiant; opiata vero ſine limite reddantur ſuſpecta. Vnde duplex oriri poteſt*

potest noxa, vt vel, inualida molimina vrgendo, medici minus experti, & nimiis horum laudibus fisi, dum promissum iuuamen exspectant, ipsum affectum intolerandum & periculosissimum perseuerare, augescere, interimere sinant, quem, si laudum & vituperiorum limites didicissent, lenire, minuere, tollere licebat; vel, præpostero generosi medicaminis metu, multa passim alia, quasi palpando in ambiguo, minus apta, & magis sæpe periculosa medicamina hinc illinc arripiant, vel ab ægro aut adstantibus sine arte tentari patiantur.

Podagræ vituperia limitanda.

V) *Præter ipsas felices fluxiones egestionesque, etiam haud infelices sæpe sunt congestiones, quas natura, a nobilioribus partibus ad exteriores minusque præcipuas, tantisper instituit, dum materies ibi, sub circulantis humoris vitalis appulsu, fibrarumque tritu, digeratur, dissoluatur, & exspiret. Excellunt, inter eiusmodi congestiones, arthriticæ, & has inter fixæ illæ & periodicæ, quas* podagræ *nomine salutamus. Prodiit a. 1730. Marburgi perelegans, & a ludicris morborum laudationibus longe diuersa, & medicam æquamque commendationem exhibens, dissertatio cl.* D. PREISLERI, *de* podagra, *(tædioso illo tot mortalibus tormento)* corporis humani conseruatrice. *Quo labore præripuit mihi doctissimus auctor operam moderandorum vituperiorum, quæ ab aliquibus patientibus medentibusque iactantur in illud malum extremitatum, quamuis sæpe vnice bonum sit, & salutem partium corporis internarum seruet ab illo, qui per interualla turget, specifica quadam sui indole articulis debito, ibique digestionem ac exspirationem exspectante, fixæ arthritidis fomite, arte vix exhauriendo.* Furiam *tamen* podagræ *conuiciatur* DOLAEVS, *peculiari libro de ea* lacte deuicta & mitigata, tyrannidem MAIERVS, *singulari item scriptione, qua* corporis humani

ni ciuitatem liberare *ſatagit*, PECHLINVS, *in* obſeruationibus, τυραννικωτατον morborum, FONSECA conſult. 5. graue malum, in quo omnia tentanda. *Alii alia vituperia iaciunt. Neque id mirum, quum & ægri impatientes ac negotioſi medicis & arti vel faciunt ſæpe opprobria, vel meditantur, & multi ſunt medicorum, quibus ipſis id malum infeſtum eſt, & quibus nec vacat pati, nec lubet. Ipſum me hoc anno per XII dies domui affixit inſuetum, poſtquam ſeſe ante ſesquiannum, pedibus in frigida humiditate diu & valde fatigatis, primo oſtenderat, tum quidem agnoſcere ſatis nolenti. O quam impatiens tacitus maledixi podagræ, dum ipſe paſſus ſum, quam hodie nimium vituperari nolo! Solantur me laudes haud immeritæ eidem morbo datæ a viris peritis; ſolantur exempla medicorum clinicorum plurium, ingratæ illi laborum intercapedini pariter obnoxiorum, interque eos* IO. HENR. MEIBOMII, *ex cuius filia, immenſis calculorum doloribus magis excruciata, natus eſt parens meus, isque a podagra quidem & calculo immunis, quod cereuiſiæ Lotharienſis, Dukſtein, potui acceptum retulit, aſthmaticus tamen, cuius mali notisſimus eſt præ aliis cum arthritico illo conſenſus. Concinne & recte, ipſe item podagricus, ſed qui ex retrograda, per frigoris humiditatisque iniurias, aſthmaticus obiit, b.* FRIDER. SCHRADERVS, *de* morborum quorumdam ſalubritate §. 15. *ſqq.* "arthriticorum, *inquit*, cru-
"ciatus viſcerum ſæpe labes præcauere, maximo-
"rumque alias morborum materiam conſume-
"re, medicis perſuaſiſſimum eſt, vt proin artuum il-
"la debilitas viſcerum robur & ſanitas, & partium exter-
"narum detrimentum internarum incolumitas eſſe ſole-
"at. Atque hinc affectus hos, artus alias affligentes, &

dolo-

"doloribus vigiliisque immodicis vires valde debilitan-
"tes, ad longæuitatem tamen ſæpe prodeſſe videas, ſal-
"tim cum illis diu homines viuere, cum noxii eorum-
"dem beneficio humores, qui alias periculoſiores mor-
"bos excitarent, ab internis viſceribusque nobilioribus
"ad externas minusque principales partes, per interual-
"la, & certas periodos, protrudantur. Proſpicit hac
"ratione ſibi veluti natura de eiusmodi remedio, quod
"inimicam ſibi & peccantem materiam omni modo ex-
"cludat & remoueat." *Materia ea nobis nihil eſſe videtur, niſi quædam portio ſanguinis veri, cum implicitis partibus chyloſis, bilioſis, ac ſeminalibus, ſubtiliori & profundiori corruptione inquinata, & per interuallorum periodos, maturatione facta, emergens in indolem naturali magis elaſticam, calidiorem, grauiorem, ſerum inſpiſſantem, haud ſine ſtimulo inflammante acriusculo: quibus ex cauſſis per hæmorrhoidum vias ſeſe exſpumare, vel etiam potiſſimum ad extremitatum tendines & ligamenta, ſolo cetero qui limpidiori mitiorique ſero perluta, cum expanſione & irritatione, deuolui nitatur. Neſcio, an ſperandum vnquam ſit, fore, vt, quod multi inuentum fruſtra iactarunt (9), remedium vere ſpecificum reperiatur, nobis ignotum, quod fomitem & διαθεσιν ipſam, quæ connata, vel connatæ ſimilis, & ſeminalem ſanguinis partem, tenerrimæque texturæ fibras, intime ſubtiliſſimeque afficiens, & in vltima craſi extra paroxysmos fere quiescens, & vel ideo arte vix aut raro ſanabilis eſſe videtur, deſtruat & euer-*

d

(9) SYDENHAM p. m. 603. "*Si quis obiiciat, multa eſſe remedia ſpecifica "ad podagram, ego me ea neſcire lubens fateor, & vereor, ne promiſſores "iſti perinde ſint ignari, ac ſum ego.*

euertat, vt dolorosa illa cauſſæ medela non opus ſit, quam natura per ipſam podagram inſtituit. Dixerim lubens cum SYDENHAMIO *de* podagra *p. m.* 606. "therapia radica-"lis & vsquequaque perfecta, qua quis etiam a diathe-"ſi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti "puteo latet, atque in naturæ ſinu reconditur, neſcio "quando, aut a quibus, in lucem protrudenda." *Et quamuis, vti idem podagricus auctor pag. 607. dicit,* "medicos "omnes, & me præ ceteris, eiusmodi inuentum "optare fas ſit," *quum tamen, vt verum fatear, id haud ſperem, contentus ero, ſi diæta, & apta forte medicina minus ſpecifica, incrementum effectumque moleſtum inſuperabilis* διαθεσεως *refrænare licuerit, &, vbi ne hoc quidem ſatis potuero, mecum alios ſolabor emolumento, quod ex eo malo cepit proauus meus, quem dixi,* MEIBOMIVS, *de quo filius, in* de medicorum hiſtoria ſcribenda p. 8. "non pa-"rum, *inquit*, turbabant morbi & dolores arthritici, qui-"buscum quotannis ei conflictandum erat, qui tamen "ipſi aliquando, quod domo egredi prohiberent, tem-"pus commodum ſtudiis ſuppeditabant. "*Manet certe merito id plerumque podagricorum votum, non, vt plane a paroxysmis, materiem inexhauſtam, & per interualla repullulantem, a nobiliorum partium corruptione remouentibus, liberentur; ſed, vt* ἀνωμαλια *abſit, atque, ſi ſine huius metu fieri poſſit, quod* PRVDENTIVS *de ſuo igne purgatorio ſibi optat,*

vt pœna leuis clementer adurat.

Atque ideo haud ſcio, an hodie iocus ille adhuc valeat, quo princeps aliquis a medico, remedium podagræ tollendæ ſpecificum iactante, ingentem pecuniæ ſummam mutuam petiiſſe

isse fertur, quasi isto, si quo iactator polleret, immensæ diuitiæ acquiri debuissent. Neque vbique cum PECHLINO *obs. pag. 257. dicere licet:* "si vllorum medicamentorum, "certe antipodagricorum quæstuosa est venditatio." *Certe, quum empiricus quidam, ante aliquod tempus oris nostris accedens, ad plures quidem morbos sonticos, cancrum, tabem, hydropem, epilepsiam, cœcitatem, certa & arcana iactaret remedia, fidem apud quosdam inuenerunt singula, præterquam ea, quæ ad podagram exstirpandam magno hiatu promittebat, quibus nemo fidere, nemo corpus suum pro experimento subiicere, voluit. Plerique enim hodie podagrici suum sibi articulorum hospitem etiam atque etiam rite redeuntem haud immerito gratulantur, retardatum ad aliud intus hospitium concessisse metuunt, medicinæ, si qua laudetur, vel etiam sit, quæ penitus auertat, extra paroxysmos haud credunt: licet horum leuamen aliqui vndequaque oblatum forte arripiant, dum valde dolet.*

VI) *Fauet vero illa ipsa legitime procedentis morbi, & non prohibendi, aut turbandi, sed optandi secundandique sæpe naturæ nisus æqua laudatio, laudibus æquiter limitatis medelarum contra podagram anomalam, variis de caussis, immo sæpe sponte, orientem: quas præstantissime doctissimus* MVSGRAVIVS *peculiari libro tractauit. Nihil etiam refragatur dicta laudatio iusto vituperio podagræ insolenter violentæ, frequentis, diuturnæ, & laudationi præsidiorum artis caute adhibitorum, ad eamdem, præcauendo maxime, refrænandam. Nam in ipsa paroxysmorum violentia, nisi ea sit, vt febris & spasmorum insolens grauitas ἀνωμαλιαν partibus internis minata, aut longitudo ingens, leuamen artis exposcat, quod tamen in ex-*

Remedia podagræ eorumque limitandæ laudes.

ternis remediis quærere vix velim, haud ſcio an quicquam præſtantius ſit abſtinentia & quiete, cum Anglorum illo, flanel and patience, *leui tegmine laneo, & patientia, quæ tamen quibusdam ferro & igne difficilior eſt, vt dolentium pedum ſcarificationes, & moxæ inuſtiones, in ipſa acceſſionis ἀκμῇ expetantur. v. de his* SYDENHAM. *de* podagra *p. m. 206.* PECHLIN. *L. 2. obſ. 24.* KAEMPFFER. amenit. exotic. *p. 595. Venæ ſectionem, niſi quid contra indicet, pluribus commendandam putem, de qua* CELSVS *L. 4. c. 24.* "in articulorum, *inquit*, vitiis, *podagra* "*& chiragra,* vbi ſentiri cœperunt, ſanguis mittendus "eſt: id enim, inter initia ſtatim factum, ſæpe annuam, "nonnunquam perpetuam valetudinem totam præſtat". *Neque remedia nitroſa, blande acidula, antiſpasmodica, potus diaphoreticos aqueos, emulſiones calorem doloremque temperantes, pro re nata, diſſuaſerim. Optime innoxieque demulcet famoſum illud Viennenſe decoctum, ex hermodactylis, cum ſarſæ chinæque radicibus & ligno ſancto factum, ſed ſine vino, & in multo pauciori liquore, ſaturatiusque, aliorum inſtar ex lignis apozematum, coctum, parcius etiam potum, quam pro præſcripto, quod exſtat in* ephem. curioſ. *in* miſcellan. Berolin. *in* VALENTINI triga antipodagricorum, eiusdemque viridario reformato. *Immodico enim humore hauſto diuerti potius, quam exturbari, morbi fomes, fibræque vltra modum relaxari queunt. Victus vero potiſſimum tenuis non præſentes ſolum acceſſiones moderatur, ſed etiam eſt, vbi cibus ſolito ſimplicior moderatiorque, & præcipue* abſtinentia a vino *(10), violen-*

De diæta (10) Pauciſſimi ſunt podagricorum, quibus abſtemia hæc medicina, extra acceſ-

lentiores deinde paroxysmos vel auertit plane, vel refrænat, si præsertim accedat motio corporis frequens : quæ tamen & ipsa nocere potest, si immodica est, aut cum frigoris humiditatisque iniuriis sit, quæ vel solæ articulis dispositis

accessionum impetum, placet, quicquid etiam illi Luciani deæ voue- abstemia.
ant, quam diu tormentis dolorum cruciantur. Id deinde facere solent, quod CELSVS dicit L. I. c. 8. "*quum vinum concupiuerunt, deliciarum "patrocinium in accusatione non merentis stomachi habent.*" Quum vero, notante PECHLINO *obseru.* p. 277. "*vere sit nonnullis ventriculi vitium, "quod κακοστομαχιαν vocamus, & intestinorum quædam imbecillitas a fri- "gido orta, quam vinc confirmare opus sit,*" & magna consuetudinis vis, præsertim in senioribus, equidem moderato vini consueti & bene tolerati potu, extra podagræ paroxysmos, debilibus præsertim frigidoribusque, haud facile interdico, cautionibus fere solum SOLENANDRI consil. pag. 434. commendatis : "*videndum, vt purum sit, pellucidum, "defæcatum, non nimis generosum, sed mediocre, non acidum quidem, ve- "rum subadstringens: bibendum parce, neque extra sumtionem cibi, mensa "iem remota, neque vt nec interdiu, sic neque noctu longe a cœna biben- "dum.*" Addo, cauendum etiam, ne quid prandio vel cœna longiori in fraudem harum legum committatur, inuitante præsertim vini potu ciborum appetentiam, vltra propriam ventriculi famem. Vinum ex ποδαγραγωγων, hoc est, deficiẽntem podagram exstimulantium, & materiem augentium, maturantium, propellentiumque rerum numero est, quæ eo scopo modice feliciter vsurpantur, at abusu, & excedente malo, vel præcipue nocent. Noui virum, cui connata est, cum διαθεσει podagrica, nausea vini, quam vincere nequit, quicquid medici consulant, vt abstemius esse desinat. Rarissime ille podagræ dolores patitur, & per vnicum diem, quo solo a molestissimo asthmate immunis est, quod illum quotidie a multis iam annis magna noctis parte fere orthopnoicum inquietat. In hoc similibusque casibus optima forte in vino medicina foret. In declinante paroxysmo etiam pro corroboratione ex re esse potest. conf. SYDENHAM. de *podagra* pag. 581. Et est rarior experientia apud PECHLINVM *obs.* pag. 277. sqq. vbi tantillum vini, in siti intensissima, & dolorum ἀκμῃ,

podogram arceſſere aptæ ſunt, & meis euidenter conciliarunt. Conf. cl. ALBERTI *de* podagra iuniorum, *de* præſeruatione hæmorrhoidum, *&* *de* præſeruatione podagræ. *Si diæta* ex indicatione reficiendi, roborandi, & blande ſopiendi, vtiliſſime datum eſt. Addit vero ipſe auctor: "*eſſe tamen etiam, vbi vel ad pau-*
"*ciſſimas vini guttas ſpiritus protinus inflammentur, nouoque paroxysmo ſce-*
"*na inſtruatur, quotidianum eſt, ne quis temere imitandum putet, quod*
"*paucis in exemplum tranſiit.*" Ego vero, qui & ſtomacho, & viſcerum viribus, & ætate valeo, neque me vino valde adſueui, & negotioſa vita vtor, & appetitui facilius quam negotiis impero, plane mihi iam vino quouis interdixi, haud ſine aliqua ſpe, fore vt, aliis ſimul notis cautionibus in diæta adhibitis, malum non obfirmatum tuto ſatis ita eneruem, vt διαθεσις in effectum moleſtum haud erumpat. Rationes partim in indole materiæ, partim maxime in experientia antiqua colloco. Accedit conſenſus euidens cum hæmorrhoidibus, quarum equidem ſolum pauca molimina cœca ſenſi. Eorum vero motus, ſi vini aut vinoſi potus conſortio omni aliquis ſe prohibeat, & rariores ſunt, & plerumque moderatiores eſſe ſueuerunt. Haud præterea inelegantia, neque ſuo modulo inualida, ſunt argumenta theorica, quæ pro abſtemiæ vitæ vtilitate podagricis exponunt SYDENHAM. l. c. p. 581. ſqq. PECHLINVS l. c. & SENNERTVS de *arthritide* c. 2. p. m. 19. ſqq. Maioris ponderis ſunt experientiæ, quas iidem aliique afferunt. SYDENHAMIVS, "*licet*, ait, *prouerbio iactetur, vinum potans podagra*
"*laborabis, & vinum non potans laborabis podagra; extra controuerſiam*
"*tamen eſt, & variis* ποδαγριωντων *experimentis confirmatiſſimum, vi-*
"*num de facto officere.*" PECHLINVS, "*ex hydropotis*, inquit, *neminem*
"*facile reperias, qui hunc in morbum prolapſus ſit, niſi vbi hæreditarius*
"*character victus quoque moroſitatem ſuperauit - - - - -. Non nul-*
"*li vel ad odorem, aut minimam vini ſparſionem, ſtatim in hunc morbum pro-*
"*labuntur.*" SENNERTVS l. c. "*ſola abſtinentia a vino multos ab arthri-*
"*tide liberatos*" annotat, & obſeruationibus notabilibus probat. BRVYERINVS de *re cibaria* L. XVI. c. 13. "*eos, qui, inter initia podagræ, vi-*
"*ni potum ſubtrahunt, magnificum ſentire præſidium* recenſet, *ac pene di-*
"*uinum: fereque compertum, potores aquæ raro aut nunquam podagricos*
"*aut chiragricos effici.*" RONDELETIVS in *meth. cur. morb.* "*ego*, inquit,
"*multos ab hoc morbo vindicaui vel potione aquæ.*" MARTIANVS aphor. ſect.

ta minus ſufficiat, in declinatione, ſed lenta longaque nimis, ad maturandam firmandamque integritatem, & ad præcauendam reuerſionem nimis ſubitam, veterum illæ antidoti amaræ tonicæ, apud SENNERTVM, SCHNEIDERVM *de* catarrhis, VVALTHERVM *in* ſilua medica, *collectæ, quas inter præcipue ariſtolochiæ ſpecies, rotunda, caua, longa, & clematitis, memorari merentur, experientiam moderatarum laudum teſtem reperiunt.* BRVNNER. *de* pancr. ſecund. *pag.* 143. *eleganter, vt ſolet, & diſtincte,* "tincturæ, *inquit*, illius antipodagricæ, ex "rad. ariſtol. longæ, aut pilularum, aut puluerum amari- "cantium vſu per annum continuato, paroxysmi po- "dagrici in nonnullis mitigantur, in aliis penitus extin- "guuntur. Nimirum longo amaricantium vſu, acore ſto- "machi emendato, refracto, & attemperato, fructus ex- "inde propullulantes ſponte cadunt ſua. Sed & nimio "amaricantium horum vſu fermentum ſtomachi adeo debi-

ſect. 6. "*nullum efficacius remedium excogitari poteſt, pro præſeruatione ab hoc "morbo, quam vini abſtinentia - - - quo quidem præſidio nonnullos in "totum a podagra liberatos noui.*" SOLENANDER l. c. "*compertum eſt, "podagricos quosdam, qui ſponte abſtemii facti ſunt, plane vim morbi ab re- "licto vino non amplius ſenſiſſe : RHASES etiam* contin. *12. experientia ſua "id ipſum teſtatur. Noui hic viduam, quæ, cum vſum vini, quo tamen "parciſſimo & dilutiſſimo vtebatur, poſuiſſet, ab eo tempore podagra non ten- "tata, quum aliquot paroxysmos eſſet paſſa.* "Taceo plurium aliorum medicorum pares obſeruationes. Qui autem abſtemiam illam diætam mecum eligere voluerint, iis & a vinoſis cibis, a ſpirituoſis extra vinum potibus ac remediis, fortibusque cereuiſiis, & Nicotiani fumi abuſu, immo vel mecum omni huius vſu, pariter abſtinendum eſſe videtur: cuius fumi ſuctio, teſte experientia, in hæmorrhoidibus & podagra mouendis, ſua efficacitate haud deſtituitur. Et nouimus hydropotam quemdam, ſed tabaci abuſui deditum, podagra ſummopere excruciatum eſſe. Paria de abuſu potus cafe memorantur.

"debilitatum esse memini, vt nonnulli appetitum ami-
"serint, cibos non concoxerint, mortem hinc potius, quam
"sanitatem, accelerarint, malique & infausti remedii
"sæuas dederint pœnas." *Nempe spiritus vini, sulfure amaricante saturatus, qui opio haud valde absimilis est, (de cuius abusu pariter noxio v. idem* BRVNNERVS *ibidem p. 80. sqq.) & inflammans insuper, & impense exsiccans, haud satis tutus ita continuato vsu videtur. Neque ideo illam ex vini spiritu potulentam tincturam, siue infusionem, vsurpare pro eo scopo ausim, quum, licet corrigat, & aduersus paroxysmos roboret ipsum remedium amarum, ignea vicissim & elastica spiritus vini indoles materiei augendæ, perturbandæ, & visceribus incendendis apta est, ceteroqui etiam vino ipso magis incongruens. v. quæ de noxa infusionis eiusmodi ex aristolochia longa habent* ephem. curios. nouiss. *A. 3. p. 62. sqq. Ipsa vero puluerum amarorum cumulata assumtio, quamuis moderatiori, pro* εὐφορίᾳ *& indicatione, vsu tuta, stomachum tandem abusu grauat, tonumque & digestionem arte nimis diu roborare affectando, naturam tandem suum rite agere vel prohibet, vel desuescere facit, vel etiam, incenso vltra digestionis vim appetitu, diætæ erroribns accitis, in coctionis negotio fatiscere patitur. Atque haud scio an, perpetuo & nutricio quasi amaræ medicinæ vsu, quæ in alimentum corpori nata haud videtur, alienior tandem ipsis succis nostris crasis imprimi possit: licet id non fiat, si medice vtaris, & obtento scopo omittas. Pedum scarificationes menstruas, vel trimestres, nuper etiam singulari celeb.* BAVERI *dissertatione pro* certo podagræ remedio *laudatas, insigniter variis profuisse nouimus, dum alios, vbi morbi nisus pertinacior fuit, parum leuarunt; pedibus quoque subinde aliquanto robore minui visis. Hirudines hæmorrhoidibus*

apposítæ

appoſitæ, quas iam SENNERTVS, *c. 5. commendauit, remedia item hæmorrhoides blande intrinſecus mouentia, ſi naturæ niſus ſalubris & expertus adſit, & podagra violenter affligat, conuenire queunt. Renitente natura, male mouent, aut nil proſunt: podagræ regularis & moderatæ motus perturbare apta ſunt. Si materia turget, morbi nimis violenti regreſſum minans, temporis ratione, aut appetitus defectu, ventriculi roſione & flatulentia, membrorum grauitate, ſine dolore tamen adhuc, & ſine febre, tunc ex hermodactylis & ſcammoneo aromatibusque paratum electuarium caryocoſtinum* BAYRI, *de quo quidem auctor aliique nimis largiter ſentiunt, felicissime ſæpe malum præcauet. Repeti, pro indicatione, poteſt, ſingulis menſibus, aut anni quadrantibus, aut rarius. Frequenti & felici in medendi vſu illud eſt mihi, medicisque aliis noſtratibus, præcipue illuſtribus archiatris,* STEIGERTAHLIO & HVGONI. *Conf. b.* LENTILIVS miſcell. med. pract. *p.* 165. *ſqq. Nihil vero horum eſt, quod immoderatas quorumdam laudationes in praxi ſuſtineat, vt vel tollat totam podagram, vel ſufficienter vbique moderetur.*

VII) *Quin, laudum moderamine ipſa indiget diæta lactea, quæ, ſi nihil contra indicet, vltimum, &, blandiſſimum licet, ceteris tamen certius & potentius podagricorum plurimorum, licet non omnium, ſolatium eſſe, experientia paſſim docuit,* (11) *ratione facile roboranda.* Diæta lactea.

e *Ante*

(11) PECHLINVS Lib. 2. obſ. 23. de *lacte arthritidis medela*, "*podagra*" ait, *ſimplici tandem & domeſtico remedio obnoxiam ſe præbuit, &, quum* "*aliis medicinis tantum obducatur, hac vna in totum vinci ſe poſſe, PLV*"*RIMORVM EXPERIMENTO oſtendit. At, ne quis laudes hasce heri aut nudius tertius natas exiſtimet*, CELSVS *L. 4. c. 27.* quidam, *ait*, cum aſinino

Ante hos quinque, & quod excurrit, annos, podagricum, partim ex materia arthritica, partim ex colica ſaturnina vinoſa, omnibus membris paralyſi torquente exſolutum, & cum lenta febre tabefactum, lactea diæta quadrimeſtri in integrum tunc reſtitui, redeunte licet deinde podagra. Alium ſimiliter, ſimilibus de cauſſis, laborantem, & ab iſtis malis, & a podagricis, eodem remedii genere immunem præſtiti. Continuauit per annos tres, amplius; iam vero a biennio fere omiſit, ſine noxa, niſi quod leui podagra denuo afflictus eſt. Ante oculos nobis verſatur viri cuiusdam dignitate conſpicui felicitas, qua nuper, ſub prudenti directione medici ſui, cl. D. EBELL, *phyſici ciuitatis huius merentiſſimi, fautoris & amici mei ſummopere colendi, ſub ipſos nimis frequenti recurſu diutiſſime productos dolores podagricos intolerandos, cum tophis vlceratis, calcisque eruptionibus, lacteo nutrimento ſenſim morbum expugnauit, iamque, ſoluto paroxysmo, continuat, indies ſanior vegetiorque. Vt alia taceam, quæ præterea vidi partim & expertus ſum, partim certa audiui, in recenti hic memoria eſt exemplum illuſtre generoſiſſimi senis noſtratis, qui, aliis item euidentis felicitatis exemplaribus viſis permotus, immenſos podagrici mali dolores, ineunte ſenectute, eo remedio ſuperauit*

"aſinino lacte epoto ſe aluiſſent, in perpetuum hoc malum euaſerunt: "Plinius *L. 28. c. 9.* ſunt, *inquit*, inter exempla, qui aſininum biben-"do liberati ſint a podagra chiragraque. *Circumſpecte ſane, & ex vero: nam* "NON *perinde* OMNES, *ſed quosdam duntaxat hoc remedio conualuiſſe,* "*ad pudorem hodie noſtrorum, intelligimus - - - . Negari* "*non poteſt, PLVRIMIS illud naturis IDONEVM eſſe, &, in quibus reſpon-* "*det, experimentum eſſe probatiſſimum. - - - . Lac autem,* "*quando ſemel cum corpore in grãtiam rediit, non in infringendo tantum* "*paroxysmo, ſed & debellando penitus fermento arthritico, efficaciſſimum* "*eſſe, experimentis credo.*" Rationes dein cautionesque docte addit.

uit, &, ſub plusquam vicennali eius continuatione, vltra nonageſimum ætatis annum placidiſſime victitauit. Per hoc ipſum, aliaque multiiugæ experientiæ plura, excitatus, in proprio corpore, aduerſus podagram nephritidemque (12), *feliciter eamdem medelam inſtituit medicus excellentiſſimus, b.* BRVNNERVS. *v.* ephem. natur. curioſ. nouiſſ. *ann. I. p.* 272. *ſqq. add. cl. L.* CARLIVS *in* commerc. litt. Norimb. 1732. *p.* 28. *item cl. D.* CARLIVS *iun. de* ſedatiuo archei *p.* 47. *& quæ denuo doctiſſimus eius parens nuperrime monuit in* ſpeciminibus de charlataneria chemica (chimiſchen Storgerey) *p.* 82. *ſqq. Quæ de abuſibus diætæ illius, eorumque infelici ſucceſſu, iis locis monentur, laudi lactis limitem contra abuſus merito ſtatuunt; non autem in vſus recti vituperium cedere, vel laudatiſſimam eam medicinam e peritorum artificum manibus & conſiliis exturbare debent. Bene eſt, quod in laudato* commercii *loco expreſſe cauetur, ne mors b.* BRVNNERI, *poſt aliquot lacteæ diætæ vſurpatæ annos ſecuta, huic ipſi videatur imputata, quod alias lectoribus facile videretur. Mortales vna cum reliquis eſſe, & qui lacte vtuntur, & qui non vſi podagræ & nephritidi obnoxii ſunt, vtique ſenes*

(12) Dudum ad renum vlcera, tabemque renalem, commendauit, inter alios veteres, RVFFVS EPHESIVS de *renum & veſicæ affectibus* c. 12. "*biben-*
"*dum*, ait, *lac cum melle, cum primis aſininum, ſi quidem eius magnus vſus*
"*eſt ad vlcerum munditiem. Quando autem nihil amplius repurgari indi-*
"*gebunt, & pauca ſubluuies effluet, morſusque vrinarum retundentur, atque*
"*homo corpus repurgare atque pingueſcere laborabit, tunc lac bubulum obtule-*
"*ris. Dabitur vero ad duas, tres, pluresue heminas, nec cibi quicquam*
"*præterea ingeretur, quoad ſumtum hoc percoctum ſit & mitificatum.*" Notum eſt, quantopere lac proſit aduerſus cantharidum abuſus & noxas, renibus præcipue & veſicæ æque ſpecifice, ac calculoſa materia, infeſtas, ſymptomatibus etiam haud valde abſimilibus.

ſeptuagenariis longe maiores, & hos morbis, præcipue acutis contagioſis, non bene reſiſtere, certum eſt, idque fruſtra in vtiliſſimi remedii, antea feliciter vſurpati, crimen verteretur: quo pacto facile eſſet, medicamina præſtantiſſima quæuis inuiſa reddere, apud homines iuſto meticuloſiores, & quibus commodius videtur, confeſtim reiicere aliquid & damnare, quam vſum ab abuſu docta arte diſtinguere. Neque vero, quod cl. CARLIO *relatum eſt, leui dyſenteria, aut diarrhœa, quam nullam habuit; ſed graui febre continua, pluribus tunc, & præcipue ſenibus, funeſta, ab illuſtriſſimo ægroto, prope VVormatiam, contagio hauſta, obiit*

emeritus virtute ſenex,

poſteaquam quadriennium ſuaue, & liberum a prioribus ærumnis nephriticis & podagricis, viribus etiam eximie auctus, ſolo lactis vſu lucrifecerat. Teſtem huius rei inter alios habeo honoratiſſimum amiciſſimumque collegam meum, cl. D. LA ROSE, *qui ad mortem viri vsque præſens adſtitit, & experientiæ ipſius theſauris locupletatus eſt. Si qui lacteam eius diætam infeliciter imitati ſunt, quia male, propria id fecerunt culpa, non præeuntis* BRVNNERI, *aut ipſius medicinæ. Verſabantur in praxi & ore exquiſitiſſimi eius medici tum alia monita, laudem lactis limitantia, tum hoc etiam præcipue:* abſtineat a lacte, qui neſcit imperare gulæ! *Abſtineat vero etiam velim, cui podagra legitima, ſat rite periodica, & toleranda eſt, & peracto decurſu ſalubris; non per omnia membra illegitime ſæuiens, non longa nimis, aut per immodicos recurſus, & vix vnquam perfecte ſolutos, aut immani violentia ferox, tophacea, nodoſa, vlceroſa, omnemue patientiam ſubruens, aut ipſo doloris conſenſu noxas in reliquum corpus ſpargens. His ſane in caſibus, immo in ipſa re-*

tro-

trogradæ materiæ violentia refrænanda, & prohibenda noxa, eximiam, quod aliquoties experti teſtamur, medicinam affert illud remedium diæteticum blandiſſimum, & nullo pacto violentum; ſed recto, longo, & patienti vſu efficaciſſimum: quippe humorum fibrarumque latifundium ſenſim benigno nutrimento perluens, inquinamenta irritantia, & arthriticum ἐργασμον molientia, temperans reprimensque, dolores & ſtricturas mulcens, & absque exſolutione relaxans, fibras rigidas emolliens, & languentes blando robore irrorans alensque. Neque eſt, quod, vt aliqui faciunt, adeo metuas coagulum humoribus, per fermentatos & ſpirituoſos potus aliasque cauſſas alteratis, inductum iri a lacte, quod peregrinas coagulorum cauſſas tollere & impedire, extra primas vias, potius aptum eſt. Cogitent, qui talia obiectant, cibos æque omnes ſub lactea chyli humani forma & qualitate ſanguinem ſubire, & hanc fere facilius puriusque ex lacte animalium, quam ex aliis plerisque cibis, per vim naturæ in primis viis digerentem, emergere, & in vſum corporis verti, modo harum conſtitutio lacti faueat, & rite conſideretur, quid indicet, quidue ſecus. Suo igitur modulo & limite laudandum omnino eſt, non vagis aut immodicis ſuſpicionibus premendum remedii genus eximium, & tot miſere excruciatis mortalibus, quos ſolatio priuare crudele fuerit, vtiliſſimum, ſi rite adhibeatur. Hoc vero haud adeo difficile eſt, methodo & cautionibus notiſſimis, quibus, poſt HIPPOCRATEM, CELSVM, ARETAEVM, GALENVM, AETIVM, ORIBASIVM, AEGINETAM, *qui vix quicquam cauendum omiſerunt*, GREISELIVS, DOLAEVS, VVALDSCHMIDIVS, SACHSIVS, BLANCARDVS, PECHLINVS, BRVNNERVS, *aliique, vſum* ἀνταρθριτικον *per peculiares ſcriptiones limitarunt, add.* MEIBOM. *de*

cura phthiſeos per lac, HOFFMANN. *de* lactis aſinini virtute. *Laudandum, inquam, eſt, ni nauſea, ἰδιοσυγκρασια aduerſa, primarum viarum notabilis repletio, cruditasque viscida, acida, nidoroſa, aut præſens febriculoſum incendium, aut viſcerum infarctus, & prolapſa vis vitalis, aut nimis alienæ diætæ nimia conſuetudo, vel plane prohibeant, vel retardent tantisper, & ita moderentur, vt ſenſim demum, ac ſuspenſa manu, cum hac victus ratione conſuescendum eſſe videatur. Neque ſemper plena illa & perpetua, quæ requiri ſolet, adſuetudine lactis, pro cibo & potu vnico, cum pauculo pane, opus eſt; ſed, præſertim recuperata iam ſanitate integra, lacti ſenſim aliquid demere, aliis cibis addere licet: & ſuffecerit idemtidem ientaculum lacteum, cœna vel item lactea, vel certe parca & tenuis, & prandium congruens, ex cibis non multis & variis, non acribus, fermentantibus, flatulentisue, aut excalfacientibus; ſed ſat ſimplicibus, blandis, facilisque digeſtionis, neque nutrimenti nimis robuſti. Ad generoſas vero potiones, ambiguas epulas, & quemlibet, qui ſanis liceat, cibum redire eos, qui ſe lacte ſanatos ſentiunt, haud conceſſerim. Eo potius, quem dixi, modo, per totam vitam, ſine moleſtia, continuare refractam diætam lacteam queunt, eaque mulcere, opprimere, & a noxa & moleſtia retinere, fomiteque & incrementis deſtituere, διαθεσιν morboſam, quam eradicare plane forte non licet. Sunt qui, per lac ſemel curati, poſtquam nauſea alimenti infantilis corripuit, haud infeliciter illud omnino intermittunt, modo ſe exquiſitæ ceterum cautioni in victu mancipent. Alii, non ſine fructu, per menſem vnum vel alterum, circa tempora ſibi maxime infeſta, ad aſylum illud*

illud refugiunt. Εὐφορια *vbiuis attendenda eſt, & vtilitas prudenter expetita eueniens, vel ſecus. Recte vero* PECHLINVS *l. c.* "hanc ego curam hoc abſolutiorem fore confi-"do, quo lactis vſus eſt diuturnior, & diæta in ceteris "moroſior."

VIII) *Sunt & ſalubres morbi, quorum indoles neque in egeſtione, neque in congeſtione, ſed in commotione conſiſtit, quamuis aut comitari, aut ſequi ſoleat, modo excretio, modo depoſitio, ſymptomatica, vel critica. Hos inter præ omnibus memoranda eſt febris, morborum præcipuus generaliſſimusque, ſine quo mori, naturale vix eſſe videtur: immo de quo* PISO, *in proœm. de* febribus cognoſcendis, "non vulgo tan-"tum, *ait*, ſed & ſummis viris perſuaſum eſt, omnem "morbum vel febrem eſſe, vel febrem comitem habere," *quod tamen valde limitari meretur. Febrem, vera & prisca notione, dico eſſe agitationem feruidam elementorum ſanguineæ maſſæ, & partium ſolidarum hanc mouentium, a materia ad ſuum aliquem typum feruente oriunda: quam materiem & agitationem requiro, vt febris adeſſe dicatur. Hanc materiam, quam febrilem vocamus, conſtare exiſtimo ipſis naturalibus craſeos ſanguinis elementis; (præcipue etiam generalibus illis, & varia variis partibus proportione ac virtute mixtis, aereo elaſtico, & æthereo igneo rarefaciente) ſed præter naturam inquinatis, aut corruptis, & proportione emotis, inque typicum feruorem, ſeu efferueſcentiam, vel etiam nonnunquam fermentationem, actis, quibus vocabulis hanc in rem vti non dubito.* (13) *Phyſica vero*

Febris indoles.

(13) Vid. *obſeruat. noſtr. de febribus* ſect. 6. add. BIANCHI in diſſert. *de bilis naturalis in febriferam mutatione*, & de *febris natura & effectibus*, in *hiſtor. hepat.* p. 285. ſqq. 844. ſqq. & I. A. WEDLIVS in diſſert. de *febribus*, qui vim ma-

Efferueſcentia & fermentatio in febribus.

vero & mechanica neceſſitate febres, partim inteſtino illo fluidæ materiæ motu, partim excito ſolidorum attritu, motum vicissim

materiæ febrilis elaſticam, rarefacientem, efferuescentem, & fermentantem, phyſicamque & mechanicam ſymptomatum & euentuum originem, ex ſolidarum fluidarumque partium motu hydraulico & hydroſtatico, exponunt. Fermentationem equidem non ſemper, ſemper vero efferueſcentiam, clariorem, obſcuriorem, fortiorem, remiſſiorem, eminentiorem, profundiorem, de cuiusque febris eſſentia, ipſius etiam algidæ, & ſub ipſo frigore, ſub ipſa craſſiorum partium condenſatione, eſſe exiſtimo, eamque partim in ſanguine, partim in eo liquore tenuiſſimo, qui per neruorum principia impetum in fibras cordis, vaſorum ſanguineorum, ceterasque facit, de cuius exſiſtentia BOERHAAVII non dubitant, quicquid hodieque GOELICKII contra litigent. Inter res non ſolum phyſica & anatomica analogia ſumme probabiles, ſed & experimentis rationibusque demonſtratas habemus, omnes ſenſiles motricesque in corpore viuente neruorum propagines, ad minimas vsque, liquore naturaliter adæquato, ſæpe vero præter naturam craſi & motibus vitiato, repleri, qui & tonicam vim, qua ſponte ſeſe contrahant impetumque faciant, fœneretur atque conſeruet, & motus iisdem impreſſos, ad vsque neruorum principia, aliasque partes coniunctas, hydraulica confluentis fluminis, & mechanica connexarum fibrarum neceſſitate, facile deferat continuetque. Succum nutricium plantis innumeris, præſertim ſiccioribus, minimisque animantibus humorem circulantem omnem abnegent oportet, qui neruorum liquorem negatione ſua & argumentis exterminare contendunt. Quæcunque enim afferuntur, ad alterutrum certe illorum æque etiam quadrant, &, dum nimium videntur probare, probant nihil. Neque cerebri & ſpinalis medullæ, in fœtibus quibusdam viuentibus, non vitalibus, rarior defectus, quem. tantopere crepant aliqui, quicquam euincit, niſi fieri poſſe, vt, ſine plenæ molis apparatu, arteriarum caroticarum extrema id liquoris in neruulorum principia exſudent, quod debiliſſimis quibusdam ſtupidisque infantulis, vel potius monſtris, aliquantisper ſufficiat, dum ſimul ex materno ſanguine elaboratiſſimum alimentum ſuppetit. Neque ergo curamus Gœlickianas Gohlianasque contra neruorum liquorem, quum naturalem, tum a febriculoſa efferuescentia excitum, & morboſos impetus facientem, obiectiones. Neque BONTEKOEVM moramur, qui nihil in febre niſi acidum admttit, eoque ſanguineam maſſam coagulari & tardius

ſim fluidorum incitante & moderante, cum omnibus ſymptomatum, typorum, periodorum, & effectuum admirandis,

tardius ire iubet, ſine efferuescentia vlla, quamuis plerumque cum maiori moleſtiorique naturalis caloris ſenſu, pro moræ ſanguinis retardati ratione. Qua ſententia imbutus, omnia ab hac diuerſa dogmata conuiciis proſcindit, & "*fermentationem*, inquit, *relinquamus* "*vini conditoribus, piſtoribus, & cercuiſiariis, ebullitionem vero ſeu efferueſcentiam coquis*": in de *febribus* p. 45. Sunt autem hodie viri præſtantiſſimi, quibus efferueſcentiæ & fermentationis, ζεσεως και ζυμωτωες nomina dudum in medicinam recepta, aliisque plurimis hodieque probata, plane itidem ex febrium doctrina expungere placet, & nihil fere in ſanguine febrili, niſi vel ſtimulos acres, vel lentorem ſupponere: qui tamen ſæpe, vbi in ſanguine etiam venis aut arteriis emiſſo, vel per hæmorrhagias elapſo, maximus, euidentiſſimusque eſt, febrim non facit, quod ſine vera febrili efferueſcentia etiam non poſſe videtur; ſæpe etiam abeſt, vel certe ſenſum omnem æquamque coniecturam refugit, vbi febris manifeſtiſſima ardet. Hi vero, ni fallor, in ſyſtematis mechanicohydraulici conſiderationem merito intenti, ſubtiliorem hydroſtaticam, miſtorumque variis elementis liquorum motionem ac proportionem internam inferiori nimis loco poſitam habent, aut ſoli externo vaſorum ſolidorum, a lentis circulationis obſtaculis, aut acribus irritamentis, excitatorum, tritui aliquanto nimium tribuunt, quem nos, ſine efferueſcentia, rarefactione, & motu elaſtico elementorum ſubtiliorum maſſæ ſanguineæ, partim antecedente, & impetum faciente, partim intenſius conſequente, in febribus non concipimus. Immo ſenſu & experimentis conuicti ſumus, non nunquam per ſanitatem & per morbos maiorem velocioremque & fortiorem ſolidorum tritum eſſe, ſine febris vllius typo & ſymptomatis, quam in multis manifeſtiſſimis febribus; eſſe etiam e contrario, vbi euidentiſſima eſt febris, ſeu febrilis materiæ motus, eiusque typicus decurſus, dum vis attritus, in pulſatione vaſorum certe, aut parum, aut nihil naturali intenſior, immo potius remiſſior, ad ſenſum coniungitur, aut præcedit: qua de re alibi, vbi de pulſu, tamquam vno ex febrium ſignis, agetur, quod, quamuis ex præcipuis, tamen neque vnicum, neque indubium eſſe, clare doceri poſſe putamus. Prouocamus hic obiter, verbi cauſſa, ad pulſus raritatem tarditatemque, vel motum adhuc na-

tura-

dis, euenire videntur ; non morali naturæ humanæ ſentientis, & proprii corporis ſaluti per iſtos tumultus ſtudentis

ralem, in primo inſultu haud paucarum febrium, in quarumdam malignitate, in animi deliquiis febrilibus accedentibus & recedentibus, immo in pluribus febrium epidemiarum aliarumque caſibus ſingularibus, vbi cauſſam, typum, periodos, ſymptomata, curationem, ſimillima cum reliquis habent pauciores ii, quibus neque celeritas, neque frequentia, neque vis vllo modo aucta, in pulſu ſentitur: ne de declinantibus, refractis, occultatis, imperfecte extinctis intermittentibus dicam, quas, quamdiu periodos dierum ſeruant, ſeque per ſymptomata qualiacunque manifeſtant, febres vocitamus merito, quia a motu materiæ febrilis typico proficiscuntur, & febrium remediis curantur; licet pulſus celeris, frequentis, magni, fortis, indicia plane ſæpe iam tunc deſint. Tacemus pulſus inæquales, intermittentes, naturaliter diuerſos, proportione ad febriles cauſſas varios, & variis cauſſis non naturalibus & præternaturalibus haud febriculoſis ſummopere mutabiles: quæ omnia medicum, iſti ſigno, tamquam pathognomonico vnico, intentum, multis modis in febrium, earumque præſentiæ, magnitudinis, indolisque διαγνωσει, in errorem ducere poſſunt. CELSI illud haud vanum omnino eſt: "*pulſui venarum credimus, fallaciſſimæ rei.*" Noſcitur quidem febris pulſu præter naturam aucto, aut turbato, magno, forti, duro, inæquali, celeri vero potiſſimum & frequenti, licet paruo ſæpe & debili; magis autem proprie calore intenſiori perdurante, extus acri, vel ſaltim intrinſecus moleſto; maxime denique typo, periodis, & ſymptomatis, quæ ſpeciei vel vniuerſæ, vel epidemiæ, vel alias notæ propria eſſe, experientia docuit, quæque efferueſcentiæ, vel fermentationi a materia febriculoſa, quouis modo ſe manifeſtante, excitæ originem debent. Sunt qui ideo nominibus illis efferueſcentiæ & fermentationis, non in febrium ſolum, ſed & in omni putredinis doctrina, immo in toto animali naturæ regno, abſtinendum ducunt, quia confuſionem metuunt cum chemicorum efferueſcentiis ex miſto acido & lixiuo, aut cum fermentationibus eorumdem, quibus, ex ſolo fere vegetabili regno, liquores acidi, aut ſpiritus igni excipiendo apti, longiſſime ab acidis illis diuerſi, & ſine confuſione tamen ſub eodem titulo comprehenſi, gignuntur. Sed ideo, qui generalem notionem, per ſpecies effectusque, pro rerum ſingularum natura varios, bene

tis prouidentisque, æstimatione. Neque morale eiusmodi principium physicas medicasque obseruationes de typis, symptomatibus, periodis, coctionibus, crisibus, recursibus

febri-

ne distinguere nouerit, vocum eiusmodi aptissimarum & vsitatissimarum vsu prohibendus non erit. Per vocem ζεσεως siue *effervescentiæ*, ex physica & hydrostatica liquorum, ponderum, aerisque & ignis doctrina explicandam, intelligimus *intestinam agitationem, intestinum attritum, rarefactionem, & expansionem particularum alicuius corporis liquidi, vel humidi.* Ζυμωσιν siue *fermentationem exponimus effervescentiæ speciem, cum dissolutione texturæ corporis mixti, & conflictu exsolutarum ita, vel etiam per alienas particulas illatas inquinatarum particularum* ἑτερωγενεων, donec fatiscente quomodocunque, aut plane excluſa causſa, & facta dissolutarum particularum vnione, vel priscam texturam recipiat corpus fermentatum, vel nouam induat. Ita se rem in ipso multorum febricitantium sanguine habere, & in febribus, vna cum solidarum partium spasmis oscillationibusque fortioribus, aut velocioribus, plerumque manifestis, interdum exiguis & occultis, & inde etiam partim deriuandis fluidarum attritibus motibusque variis, ipsas harum effervescentias semper, fermentationes sæpe respici debere, haud negandum esse arbitramur: neque igitur erroris arguendos tot viros eximios, qui vsitatis vocabulis rite intellectis consulto vtuntur. Non enim corpus subiectum certum, aut certus effectus; sed ipsa *interna particularum commotio, ipse effervescendi, vel fermentandi actus*, in applicanda nominis notione considerari debere videtur. Ecquis, verbi causſa, medicum vstionis vocabulum, quo etiam in carbunculi & pharmacorum ἐσχαρωτικων doctrina vtimur, ad solum ignem culinarem solaremue, confusionis vitandæ causſa, ablegandum esse statuet; aut, quia vix nisi ex vegetabilibus, & mineralibus, cineres sale lixiuo fœti comburendo emergunt, ab animalibus remouebit? Paria facere videntur, qui, præter receptum inter medicos morem, effervescentiæ & fermentationis nomina ad certa corpora restringunt, aut certis effectibus metiuntur, & ideo a febrium doctrina, ipsiusque etiam putredinis expositione, immo omnino a corporibus animalium, secludere volunt. Vsus linguarum dominus est, cui definitiones, diuisiones, distinctiones ministrare debent. In re & verbis consensum inter medicos opto, qui, solis

febrium regularibus illuſtrat ; quum manifeſta ſæpe ſæpius ſit, præter moralem rationem vllam, ſymptomatum patiendorum, & ſeruandi ordinis neceſſitas. E contrario certum eſt, ſolidas fluidasque corporis partes ſummo ordine phyſico, mechanico, & hydroſtatico, textas eſſe, & ad leges motuum vniuerſales ordinatiſſimas moueri; certum eſt, ſanguinem, humoresque noſtros, & fibras, & ipſam etiam præcipue febrilem materiem, vi elaſtica & motoria propria pollere; certum eſt, aeris athmoſphæram elaſticam totam typicos, periodicos, oſcillantes, recurrentes, regulares motus, fluxus, & refluxus habere ; certum, ſubiecta ei, & connexa, & homogenea corpora elaſtica typice ac periodice ab ea affici, vt, neceſſitate phyſica, pariter agere, vel ſaltim niti, merito videantur: licet diuerſo modo, pro miſcelæ, texturæ, ſtructuræ, virium, proportionum, impedimentorum varietate, typi & periodi varient, dum reſpectus ad regulares leges, generalesque athmoſphæræ motus, ſemper aliquis manet. Si, quod aliqui hodie opinantur, æſtimatio vere ſapiens moralis, hoc eſt, præuio ſenſu aliquo vitali recondito, æqua, vti res & proportio poſceret, motuum electio, & moderatio, pro cauſſarum febrilium numero, ponderе, menſura, vi, modo, ſitu, tempore, habitu, & pari ſufficientique comparatione ad corporis organa viresque, fieri, humanæ naturæ ſapientia, poſſet ac ſoleret; tunc profecto aut valde fallor, aut parciſſima certe obſeruari deberet cauſſarum earum,

ſolis ſæpe verbis, vel re nullius momenti diſſidentes, alieniores iuſto a ſe inuicem euadunt. "*Nolo tamen*" (vt cum politiſſimo GEVDERO de fermentis p. 19. dicam) "*refragari nimium, ſi alicui, neglectis efferue-*"*ſcentiæ, fermentationis, aut ebullitionis nominibus litigioſis, generico magis rarefactionis termino, cum iudicioſiſſimo* PECHLINO, *in* de fabrica & "vſu cordis § 30. *vti potius allubuerit, aut vocem tumultuationis, commo-*"*tionis, aut agitationis, cum* BOYLEO *de* ſpecif. remed. *adhibere velit.*

earum, immo & errorum in diæta & medela admiſſorum noxa, rariſſima medicamenti cuiuscunque indicatio, infrequens febrium violentia, ambiguitas, ac longitudo, inſolita vitæ breuitas. Inſolens enim eſt, ſine febre & cauſſa febrili mori. Raro autem cauſſa & ratio errandi, trepidandi, labaſcendi, medicina egendi, ſufficiens reperiri aut coniici poteſt, ſi natura hominum ſingulorum vere ſapiens eſſe, & febriles, vti dicitur, motus ad materiei proportionem exquiſitiſſime metiri reputetur. Facile certe primis, & plerumque exigüis, febrium & noxarum cauſſis motiones ſtatim iuſtas, cum proſpero ſucceſſu, opponeret, poſſetque opponere & deberet, ſi ſatis bene æſtimaret: quas non ſentire, non quadrat ſenſui vitali laudato; negligere vero, vel iniqui terroris, aut alius animi pathematis cauſſa omittere, haud profecto indicium eſt prudentiæ ſibi conſtantis, & cui fidere a priori poſſis. Videantur hanc in rem dicta a PECHLINO, *naturæ prudentiam ſalſe ridente L. 2. obſeru. 23. Da prudenti medico, quæ animæ tribuere placet, ſenſum ac intelligentiam, vt* "vix non ſemper ſentiat & agnoſcat, "ſi aliquid noxii in vitalibus impendeat, immo quale, "aut quomodo periculum immineat;" *(quod laudat* STAHLIVS *de* tertiana vniuerſum febris genium manifeſtante *p. 36. & paſſim alibi) da mouendi pro moralis harum rerum æſtimationis proportione facultatem, quæ animæ largiſſime tribuitur, per maximas minimasque, modo has, modo illas corporis partes, easque penitus notas; raræ profecto erunt curationum infelicitates, aut nullæ. Vix enim impedimenta ſanationis, primo quoque tempore, & omni modo inſuperabilia, tanta cum intelligentia potentiaque reperientur: vixque quisquam, puto, ita affectibus perturbabitur, vt opem, quam præſtare poſſet, in corpore tutelæ ſuæ commiſſo, tamque caro, omittat, vel in eos*

errores rationis ruat, quibus infaustæ morborum successiones naturales sub illa theoria tribui debent. Ipse ill. STAHLIVS *in de* frequentia morborum in corpore humano præ brutis *th. 93. vt* GOELICKIOS *suos limitare doceat*, "licet, *in-*
"*quit*, vix vnquam sine omni caussa, aut sine omni mo-
"deramine, tale quid *(febriles, & spasticoconuulsiui, motus*
"*atque conatus)* suscipiatur; fit tamen re vera sæpissime,
"vt non solum ante, quam vere opus sit, sed & aliter de-
"inde, quam vere vsus sit, & suscipiatur, & vlterius
"deducatur vniuersum talium motuum conamen." *Quæ cum ab ipsa natura per febres, & in febribus, sæpissime fiant, vel admittantur, arte corrigenda, neque ex morali illa theoria prænosci queant; minister certe magistræ illi ita fidere non potest, nec debet, vt a priori, ex eius prouida gubernatione, argumentetur: quæ tam sæpe deficit, tam vrie hic illic titubat,* sine ratione morali sufficienti *defectus & diuersitatis. Certe ratio hæc nullo theoremate a priori ita determinari potest, vt ad prognosticam, & therapeuticam doctrinam medicam, & vsum practicum vere prosit: quicquid etiam de consensu indolis hominum moralis, quam nemo satis penetrauerit, cum morbosis motibus, doceatur, cuius consensus animique pathematum efficacia in motus corporis vitales non imperium animæ arguit, sed fluidorum solidorumque organorum confluxum & connexionem, vnde multi motus machinæ ab animæ affectibus, sine directo consilio, cientur & perturbantur. Neque ex illa moralis indolis & æstimationis theoria rite explicari potest, cur & quomodo ista, (vbique, vti docent, prælucente sensu exquisitissimo, & intellectu penetrantissimo, & decernente voluntate corporis vsibus prouidentissima) ita in morbis, præcipue febribus, fiant, quæ nos, sine humano consilio, physica*

&

& mechanica corporeæ machinæ brutarumque particularum vi motoria & proportione, necessario fieri reputamus. Explicari, inquam, rite nequit, qui fiat, vt natura febricitans, æque, quantum præscire licet, sciens sapiensque, æque certe, si ipsa anima est, spirituali facultate potens, modo mire prouida esse, modo stupendum in modum aberrare; modo occultissima scire, modo manifestissima negligere; modo admirabilia plane & difficillima posse, modo in facillimis impotens esse, haud immerito videatur: quique sensus vitalis, scientiæ, prudentiæ, & potestatis, tam diuerse sese ostendentis, termini sint atque limites, qui certe aliqui esse debent, neque a quoquam adhuc definiti sunt. (19) Determinandum

(14) Vt multas alias obscuritates taceam, nusquam adhuc clare & rite definitum esse videtur, vtrum anima natura sensum vitalem in solidarum solum fibrarum attactu, an in ipsa etiam fluidarum crasi habeat; sciatne ea solum, quæ stimulo quodam cum solidis organis communicantur, an ea ipsa, quæ in humorum recessu, præter impetum in fibras notabilem, fiunt, consortio suo penetret; prouideatne humorum quoque interiori indoli, & inde procedentibus motionibus, & harum etiam sanam & morbosam consequentiam intrinsecus sua' facultate moderetur, an extrinsecus solum, & per solas partes solidas, consilio regere possit? Ecquis vero œconomiæ corporis gnarus dubitet, æque partium fluidarum intestinas, quam solidarum externas motiones, modo sapienter prouiso fieri, æque, per sanitatem, perque morbos, præcipue febres, actiuo & efficaci fluidarum partium intrinsecus procedenti, quam extrinsecus impellenti solidarum motui, salutares & regulares, qui sapientes videntur, naturæ effectus deberi? Neque physiologiæ & pathologiæ fluidorum sufficit, si intestinos eorum motus a solis localibus, quos vocant, per solidorum impulsum contingentibus, deriuare velis. Neque peculiarem credo animam internis humorum motibus, ad salutarem scopum, propria certe vi, proportione, & conspiratione cum fibrarum impellentium virtute, tendentibus, præficient eius theoriæ doctores, qui fibras solidas vni animæ rationali omnes gubernandas concredunt. Par tamen fluidorum ius foret, si regularis, vel ad salubrem scopum progrediens in corpore motio prouidentis animæ moderamen requireret, neque diuina structura, & impressio, & essentiæ mechanicarumque motus legum conseruatio, sufficeret.

nandum enim ſemper eſt, quid, quo vsque, quando, & quare, intelligat, ſapiat, valeatque natura; & quid, quo vsque, quando, & quare ſecus; quidque in eius motibus prohibendum, iuuandum, aut relinquendum ſit: quod non niſi a poſteriori determinare licet, hoc eſt, non ex ipſa illa ſuppoſita morali theoria, ſed ex euidenti anatomica, mechanica, phyſica, medica, rerum naturæ obſeruatione, & analogia, quæ nobis ſolæ ſufficere videntur, vt ipſa theorica principii vitalis ſapientis doctrina nullo diſpendio in febribus careamus. Eam vero probare etiam nemo vnquam poterit, niſi forte, quemadmodum apud PORPHYRIVM & OVIDIVM *Pythagoras, pro probanda metempſychoſi ſua, ad propriam memoriam prouocauit, (15) ad eius imitationem dicere aliquis auſit:*

Ipſe ego, nam memini, febrilis tempore belli
Belligerans natura fui - - -

Huic vero eadem, quæ Pythagoræ, deberetur fides.

Febres non nimis vituperandæ, licet a medicis magnopere vituperari ſolitæ.

X) *Quocunque vero modo illa ſe res in theoria habeat, ſtat in experientia & praxi firmum, & attentione medici digniſſimum eſt, vti alibi, ita etiam in febribus præcipue, naturam humanam, quamuis facile & ſæpe erret, & labaſcat, ſæpius tamen medicam eſſe, motibusque febricoſis ipſis, licet morboſi eſſe videantur, ita vti, vt ſponte materiam corrigat, auertat, eliminet: fieri etiam ſæpenumero, vt, ſine medica ope, ſatis feliciter tandem, via lenta, modoue minus commodo, perque varios caſus & diſcrimina, id præſtet, quod citius, aptius, tutius, iucundius, opitulante arte efficere potuiſſet: immo fieri haud raro, vt, quemadmodum*

(15) *Ipſe ego, nam memini, Troiani tempore belli*
Panthoides Euphorbus eram.

modum alia corporis vitia ſuis motibus ſæpe excitat & producit, ita viciſſim alias ægritudines iisdem feliciter expediat educatque. Fit autem illud omne per ipſos motus naturæ, ægrotantis licet, eosque tam atterendo, alterando, & aperiendo, συγκρισιν & διακρισιν, *ſeu coctionem & ſeparationem, molientes, quam aut congeſtione ad partes ignobiliores, aut potiſſimum excretione critica, materiem morbidam remouentes. Per ipſos, inquam, fit motus, quos ſponte, natiuo ſuo niſu, moliuntur partes corporis ſolidæ fluidæque, quibus omnibus ſingulisque regularis & limitata textura, compages, mixtio, conſpiratio, motio, & mouendi vis eſt, ſeque in ſtatu ſano & morboſo exſerit, vt & alterent ſenſim mutentque intime, ſeu coquant, & promoueant, & expellant ſæpe id, quod vitioſum eſt: vt mirum ſit, ab ill.* STAHLIO, *qui motus ſine anima mouente ad ſcopos in corpore vtiles collineare non vult, naturæ tamen, in de* tertiana febris genium manifeſtante *p.* 40. *& paſſim alibi,* "vim alterationem præſtandi in febribus vt plurimum" *abnegari. Limitanda igitur omnino ſunt, pro experientiæ harum rerum modulo, quem omnis theoria admittere debet, vti encomia ipſius febris, ſeu febricitantis naturæ, ita & eiusdem vituperia, quibus peſſime apud medicos paſſim audit. Quinam limites ponendi ſint, id ſigillatim docere debet tota, quæ in febribus maxime verſatur, prædictionum doctrina, bona ſigna a malis diſcriminans, pro* ἀναλογια *hiſtoriæ morbi, & ſymptomatum, & iuuantium nocentiumque, & ſtatus endemii, & præcipue etiam epidemii, ad ſingulorum corporum habitum collata. Sæpe vero etiam ipſe demum felix euentus, vbi difficilis & ambigua prædictio fuerat, laudem*

febris poſtliminio reuocat vindicatque, vt exitu, & ſubſequente εὐφορίᾳ *comprobetur, limitanda etiam vituperia eſſe earum febrium, eorumque ſymptomatum, quæ periculo haud vacare ſuo merito videbantur; quamuis tuto a priori fidere temerarium foret. Sane medicus, qui laudibus vituperiisque ſingularum febrium iuſtos terminos circumſcribere cupit, altero quidem oculo ſemper ad præcognitam artem diagnoſticam ac prognoſticam, altero vero ad ſtatus ſingularis & epidemii indolem, & ipſam* εὐφοριαν *a quouis ſymptomate, paroxysmo,* συγκρισει, διακρισει, *congeſtione, excretione, euenientem reſpicere debet. Quo autem cunque fere inter artis medicæ auctores conuertam oculos, conuicia in febres ſpargi video.* HIPPOCRATES, GALENVS, *aliique veteres, ignis magni & ſontici nomine appellant.* CELSO *mirum videtur, aliquas febrium prodeſſe.* HELMONTIVS, *cum aſſeclis, incenſi, irati, perturbati, tumultuantis, furentis archei opus eſſe dictat: quo Paracelſico nomine principium aliquod vitale, ſeu ſpirituoſiorem corporis partem mouentem intelligit, cui ſenſum tribuit, & machinæ directionem, quam, per Adami lapſum, animæ vere rationali demtam, & huic principio ignobiliori & inſipientiori creditam eſſe, neſcio quo ſomnio monitus, opinatur, in libro de* febribus: *dum Stahliani doctores rem, quaſi poſtliminio, in integritatis ſtatum reſtituere malunt.* MVSITANVS, trutin. med. *p.* 319. "febris, *inquit*, recte morborum omnium "morbus dici poteſt, quippe, quum omnes facultates "lædat, morbos fere omnes complectitur". CAMPANELLAM, *qui febres non morbos eſſe, ſed remedium, reputauit, eleganter exagitat* SCHELHAMMER. *de* febribus

bribus *p.* 15. *ſqq. & p.* 1. "maxime omnium mortalibus "infenſas & pernicioſas" *vocat*: *vti* FORESTVS *&* LOMMIVS "malum generi humano inimiciſſimum". STISSERVS, *in* febrium conſiderationis nouæ *principio* : "ſi "*inquit*, quisquam morbus inter mortales ſæuitiam ſuam "exercet, febris eſt." BIERLINGIVS, aduerſar. *cent.* 1. *p.* 75. "febris inſtar belluæ furioſæ compagem humanam de-"populatur. "RAMAZZINVS *opp. p.* 46. " cum hydra, "*ait*, multorum capitum nobis agendum, cum febre "ſcilicet, cuius monſtri ingenium atrox & verſipelle". *Immo cl.* BVRCHARDVS, (16) *in eleganti diſſert. Roſtochienſi de* demonſtrandi ratione in arte medica *p.* 10. "febres, *ait*, per ſe nunquam ſunt conatus naturæ ſa-"lutares, vt pote, quæ in deſtructionem corporis toti-"es abeunt; ſed conatus ſalutares ſunt, qui ſoluunt, & "ad optatum finem perducunt, excretiones nempe ſu-"doris, aut aliæ, per vrinam aut aluum inſtitutæ, ac "ipſæ cruentæ, critice & cum εὐφορίᾳ euenientes." *Denique ipſe ill.* STAHLIVS, *qui tot & tanta de conatuum motuumque febrilium ſalubritate laudat*, *in de* frequentia morborum corporis humani præ brutis, *th* 92. "certum, "*inquit*, profecto eſt, febriles motus atque conatus IN-"NVMERIS EXEMPLIS magis impatiente & TEMERA-"RIO auſu animæ, ſeu naturæ, quam directa neceſſita-

 te,

(16) Digniſſimum hunc SCHELHAMMERI generum, doctrina omni, & iudicio, & ſcribendi facultate inſtructiſſimum, heic rogare liceat, vt, quas manu ſcriptas apud ipſum latere nouimus, ſoceri *inſtitutiones medicas*, LEIBNITIO etiam noſtro cognitas, & mirifice probatas, in publicum aliquando edat" ſuis obſeruationibus & acceſſionibus auctas & emendatas, quas exquiſitiſſimas orbi medico a tanto viro auguramur. v. LEIBNIZII *epiſt.* p. 188. 351. SCHEFFEL. vit. Schelhamm. p. 79. ſqq.

"te, non ſolum CONCITARI, ſed etiam PARIBVS, quibus "ſuscipiuntur, ATAXIIS CONTINVARI, & vel DIFFICVLTER AD "TOLERABILEM, vel CERTIVS AD PERDITVM EXITVM, IMPELLI. *Longe alia, & examuſſim repugnantia, nouus noſter febrium laudator*, GOELICKIVS, *aſſecla Stahlianarum hypotheſium nullas limitationes admittens; licet ipſe magiſter innumeras videat & concedat. Ipſæ febres intermittentes graue paſſim vituperium accipiunt.* SINAPIVS, parad. medic *P.* 3. *p.* 161. "quot, *inquit*, & quanti moriuntur "a febre intermittente, formaliter, qua tali!" RIEDLINVS lin. medic. *a. l. p.* 427. "nonnullis febres intermit- "tentes falſo prodeſſe creduntur." NEVCRANZ, *de* purpura *p.* 413. "febres intermittentes malignas frequentiſſimas, ſed tertianas, obſeruaui." RIVERIVS, prax. med. *L.* 17. *c.* 3. "Dantur tertianæ malignæ & peſtilen- "tes, quæ, quamuis euidentes habeant intermiſſiones, "ægrotantes tamen non raro de medio tollunt. Præte- "rea multa febri tertianæ poſſunt ſuperuenire, quæ vitæ "periculum inferre poſſunt, quamuis febris ex ſe peri- "culoſa non ſit." *Tertianæ nothæ, quæ exquiſitis longe frequentiores ſunt, niſi ab initio curentur, vel ſi error a medico aut ægro committatur, vel obſtructio viſcerum adſit, ſæpe occidere dicuntur a* GALENO, *ad Glauconem* 8. REYES *in* campo elyſio *p.* 935. "ſi, *ait*, non mortis pe- "riculo, durationis pertinacia tædioſa febris eſt, quam "tertianam notham appellamus, & intermittentem, "quæ miſeros patientes ita non raro anxie torquet, vt "illius contumaciam ferre non valeant - - . In "difficili & rebelli eius curatione multi multa proponunt "auxilia, quæ tamen omnia illius febris contumax na-

tura

"tura deludit." *Quod quidem hodie certe, deo certiorem medelam febrifugam largiente, ita verum amplius non eſt. Querelis de tertianarum facili, cum vel ſine hominum culpa, per ſtatus præcipue epidemios peiores, in acutos & chrocos affectus permutatione, pleni ſunt medicorum libri.* ANDRIOLLVS, *de* febribus & morbis acutis *p.* 117. *præter alia vituperia:* "ſæpe, *inquit*, a tertiana fit tran- "ſitus in continuam lethalem; vel diuturnitate mole- "ſtans ad hecticam trahit. Tertianæ duplices fere ſem- "per continuæ ſunt, ideo periculoſæ". RAYM. FORTIS, *de* febribus *p.* 76. *de duplici illa tertiana:* "acutus, *ait*, "morbus eſt, qui acutiſſimos, atque grauiſſimos affectus "ſecum ducere poteſt, & ideo valde periculoſus." *De ipſis tertianis ſimplicibus legitimis lepide* SOLENANDER, *medicus Duisburgenſis ſæculo XVI. inſignis, ſect.* 6. *conſ.* 3. *ad tertianam chronicam pertinacem:* "febrium, "*inquit*, iſtarum naturam & conſtitutionem noui, vt il- "læ ſolent in abſtracto conſiderari. Febris tertiana, ſi "ea exquiſita & pura eſt, tutiſſima eſſe ſolet, vt quæ "ſeptem circuitibus vt plurimum terminetur. Hinc fit, "quod Itali eam non multum auerſantur, quod per "iſtam corpus expurgari credunt, (17) quod item noſtri

(17) Præuidere non poterat bonus vir, inter ipſos Germanos GOELICKIVM aliquem, profeſſorem aliquando Duisburgenſem, ſurgere poſſe, qui omnes omnino febres, legitimas, illegitimas, acutas, chronicas, benignas, peſtilentes, laudandas vbique, non in abſtracto ſolum, ſed & in concreto eſſe, pronuntiaret, & conuicia in eos iaceret, qui febrim pro affectu præternaturali, ſiue morbo haberent, eaque carere velint, quam ſapientior natura excitet, optimum quippe ac vltimum, ſi diis placet, ad cauſſas corpori nociuas ſubigendas atque eliminandas rems-

"homines dicunt, coryzam ea laborantibus ſalubrem "eſſe. Ego tamen vtraque, vt affectibus præternatura- "libus, carere malo." *Quartanam veteres nigram, querqueram, Saturni filiam, ob tarditatem malignamque, vt* DALECHAMPIVS *ad* PLINIVM *dicit, contumaciam vocitarunt. Hibernam in morbos acutos degenerare ſolere, & facile hydropem aliosque chronicos morbos omni quartanæ ſuccedere,* HIPPOCRATES, GALENVS, *aliique conqueſti ſunt.* SOLENANDER *p. 95.* "quartanam, *inquit*, ſcri- "bunt, nulli lethalem fuiſſe vnquam;" (*quam falſo do- "ceat, cum multis*, SCHRADER. *de* febre quartana § 14) "tamen ſæpe cauſſam præbere grauiſſimis morbis, qui "poſtea hominem interimunt. Solent ſæpe ſubſequi "cachexia, aqua inter cutem, vlcera difficilia curatu, "icteri nigri, tabes, deſtillationes pernicioſæ, & neſcio "qui alii morbi." *De eadem* CRATO, *magnus eodem ſæculo*

remedium. Frequenter vero apud obſeruatores occurrunt ſtatus epidemii febrium tertianarum, quæ, dum omnibus ſignis intermittentes, legitimæ, tutiſſimæ videntur, paullo poſt, ſine vlla humana culpa commiſſa, in ſummum periculum ægros præcipitant. Exempli cauſſa, inter ipſos Italos vetuſtiores, BORELLVS, in *epiſt. de febribus epidemiis* a. 1662. ad MALPIGHIVM *ſcripta*, inter huius *opera poſtuma* p. 27. "*plerumque* "ait, *incipiunt cum typo febrium tertianarum ſimplicium, capitis grauita- "te, dolore ſtomachi, oris amaritudine: ſeptimo die febris ſit continua: "vndecimo maligna euadit, &, quibus alui fluor non ſuccedit, decimo quar- "to die & interdum citius moriuntur*". In ſectione cadauerum nihil in vllo viſcere vitii inuentum eſt, niſi quod bilis veſica inſigniter turgens, ventriculus eodem humore affluens fuit, & in aliquibus inteſtina colore eius tincta. p. 28. "*nullius*, ait, *iuuaminis fuerunt diligentia & in- "finitæ cautiones adhibitæ*". & p. 32. "*circa methodum medendi fateor, "me illam ignorare.*" Scilicet methodus omnis, omnia remedia præter corticem, cuius vſus tunc, in præcauendis eiusmodi tertianarum febrium fidarum periculis nondum ibi conſtabat, fruſtra laudari reiebantur. Candor BORELLI temerarios febrium & remediorum laudatores redarguit.

vulo archiater, *apud* SCHOLTZ. *consil. 237.* "vix vnquam, "*ait*, quartana ita discedit, quin aliquas relinquat corpori "molestias, in primis hypochondriacam melancholiam "& hydropem." BIERLING. aduersar. *cent. 1. p. 75.* "quartanæ, *inquit*, intermittentes vt plurimum in hy- "dropem degenerare solent." TVLPIVS *L. 3. c. 531.* "viscеribus inflammatis, vel aliter male valentibus, ene- "cat quartana quam plurimos, siue per aquam inter "cutem, siue ob omnimodam cibi & potus abstinentiam". "RIVERIVS *L. 17. c. 5.* "Quartana spuria periculosior est. "Senes, qui sexagesimum ætatis annum superant, febre "quartana affecti, vt plurimum moriuntur. Febris "quartana intermittens in continuam mutata vt pluri- "mum lethalis est." *Indomitam pertinaciam aduersus remedia fere quæuis, & exinde vix euitabiles diætæ errores & medicationes tumultuarias, omnium sæculorum medici conqueruntur, vt inde* PECHLINVS *L. 2. obs. 21. quartanam in ludibrium medentium transiuisse, & nunquam melius, quam inueteratam, curari animaduertat.* *Tamen* GOHLIVS, *genuinus* STAHLII *discipulus*, act. med. Berolin. *vol. 6. p. 49.* "vero quartanæ typo, *ait*, addictæ febres, inque eo "diutinum habitum nactæ, summam in medendo testa- "bantur contumaciam. Nulla sufficiebat methodus op- "pugnationi morbi, nulla, ex suppositio, medicina. "Morbi duratio omnem afflictis exhauserat patientiam: "impatientes morbi expetebant remedia, vbicunque "dabantur, famosa." *Quotidianas* GALENVS, de arte "curandi *L. 1. c. 8. pronuntiat* "longas esse, & non sine "periculo": *atque*, *cum* HIPPOCRATES, *epid. L. 1. 6.* "quotidianas nocturnas non admodum lethales, diurnas

lon-

"longiores esse, & ad tabem vergere" *dixerit*, *adnotat idem* GALENVS: "quæ videbantur nocturnæ tribui "laudes, hæ ipsæ non minus vitio vertunt, eo, quod non "simpliciter dixerit, nocturna non lethalis est, sed ad- "diderit, non admodum. Nam si non valde est letha- "lis, liquet mediocriter lethalem esse." *Raro quotidianas continuitate, neque vel ideo periculo carere, notat* AVICENNA. *Et quamuis continuæ non sint, quum ipsi sæpe vere intermittere viderimus, tamen* RIVERIVS prax. *L. 17. c. 4. obseruat* "quotidianam perpetuo longam esse sueuisse, nec peri- "culo vacare: cum in cachexiam, hydropem, lethargum, "aliosque grauissimos affectus degeneret." *Quamuis autem vera isthæc omnia suo modulo & limite sint, & frequentem artis medicæ subsidiorum necessitatem ad moderandas prohibendasque febres omnino euincant; generalis tamen regulæ instar, sine exceptione, esse, & vituperandas penitus reddere non debent. Neque vero aduersantur recte intellecta nostræ & SYDENHAMII thesi, qua febris naturæ instrumentum esse dicitur, quo partes impuras a puris secernat; licet sæpe e contrario instrumentum maioris perturbationis, noxæ, & perniciei esse,* SYDENHAMIO *& nobis abunde obseruatum sit: quemadmodum pariter, indefinita propositione, dolores & fluxus sanitatis procurandæ instrumenta dicimus, quorum tamen, pro locorum, temporum, proportionum diuersitate, noxas faciles nemo negat.* "Certum est, (*vt cum* "*celeb.* CAMERARIO *cautel. p. 203. dicam*) naturam "conatus febriles non raro ad molesta amolienda "excitare; sed non æque certum est, omnem fe- "brem, motusque febriles vniuersos, esse tales naturæ "sibi prospicientis conatus. Numerosa est febrium fa-

mi-

"milia, nec facile eſt omnes enarrare differentias." *Conſtant vero pariter inter omnes, qui nocumenta & vituperia febrium annotarunt, ipſi etiam euentus ſpontanei ſalubres & laudabiles: neque niſi in voce lis fuerit, ſi illos ipſi febri, & naturæ per febres conatui, abiudicandos diſputare aliquis velit. Solita cum concinnitate & ſapientia ill.* BOERHAAVIVS, *in* aphorismis de febribus in genere, "FEBRIS, *ait*, EFFECTVS eſt celerior liquorum expul-"ſio, propulſio, ſtagnantium agitatio, omnium permi-"ſtio, reſiſtentis ſubactio, coctio, ſecretio cocti, cri-"ſis eius quod febrem produxerat". *Addit tamen caute, ne quid nimium laudet*, EFFECTVM *etiam eſſe*, "ſanorum "mutationem in indolem morboſam." "Febris, *inquit*, "ſæpe MEDICAMENTI VIRTVTEM exercet ratione aliorum "morborum. Febris ſua vi deſinit in mortem, alium "morbum, SANITATEM." *Exempla concinne enumerat* CELSVS *L. 2. c. 8.* "Ipſa, *ait*, febris (quod maxime mi-"rum videri poteſt) ſæpe præſidio eſt: nam & præcordio-"rum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit, & in "iecinoris dolore ſuccurrit, & neruorum rigorem diſ-"tentionemque, ſi poſtea cœpit, ex toto tollit, & ex "difficultate vrinæ morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi "vrinam per calorem mouet, leuat." *Conf. de colica frigida locus* HIPPOCRATIS, *explicatus apud* LINDANVM, ſelect. medic. *p. 204. ſqq. Notanda vero quoque ſunt, quæ habet* ANDRIOLLVS, *de* febribus & morbis acutis *p. 226.* "GALENVS teſtatur, multos epilepticos "per quartanam liberatos fuiſſe, & tum a lepra, tum "a varicibus, tum a tumoribus lienis, & aliorum viſcerum. "Non tamen liberantur iſti, niſi febris ſenſim & ſenſim

"imminuatur, & tandem euaneſcat. Hoc enim ſignum "eſt maturationis, atque concoctionis materiæ morbifi- "cæ. *Et* BIERLINGIVS, aduerſar. *cent. 1. obſ. 41. de quartana, haud immerito effatur :* "bonum eſt, ſi per morbum "ſuperuenientem cauſſa prioris morbi vel conſumatur, vel "reuellatur, vel deriuetur, vel euacuetur; malum vero, "ſi ſuperueniens affectus nihil horum præſtet, ſed ante- "cedentem morbum vel foueat, vel augeat, vel maius "incommodum pariat, vel vires deiiciat." *Scilicet febres omnis generis, ſiue per ſe inuadant, ſiue aliis affectibus ſuperueniant, ſiue iunctim procedant, modo nociuæ ſunt, modo innocuæ, modo plane proficuæ, pro materiæ, ſtatus epidemii, & corporis indole; pro motuum ad vires & habitum ægroti proportione; proque ipſa maxime obſeruatione* εὐφορίας, *& effectus vel euenientis, vel per ſigna imminentis. Quemadmodum enim vbiuis potiſſimos vſus habet indicatio a iuuantibus, non iuuantibus, nocentibus, eiusque* ἀναλογία; *ita etiam eadem febrium laudibus & vituperiis, vtilitatibus & noxis, limites iuſtos præcipue ponere debet.*

Febres apoplecticæ.

XI) *Apoplexiam, eique affines morbos, cum febre infeliciſſime ſæpe iungi, niſi efficax medicina mature opponatur*, obſeruationes noſtræ *ſect. 1. § 2. ſqq. &* animadverſiones *§. 2. (18) item ill.* TORTI therap. ſpec. *p. 227. ſqq. vbi de febre lethargica, abunde docent. Addi meretur*

CAROL.

(18) Paria ibi notatis tum multi alii, tum omnes medici noſtri viderunt, videntque adhuc etiam atque etiam, licet, feliciori iam exſiſtente conſtitutione epidemia, rarius multo, quam ante quatuor, & quod excurrit, annos. Cl. D. VVREDEN, anatomes & chirurgiæ apud nos profeſſor, fautor & amicus meus honoratiſſimus, caſum eiusmodi recentiſſimum retulit, vbi inſtanti morti apoplecticæ ipſe ægrum eripuit, hoc menſe Nouembri, methodo noſtrarum obſeruationum.

CAROL. PISO, *in* obſeruationibus & conſiliis, *nuperrime accurante ill.* BOERHAAVIO *denuo editis, ſect. 2. part. 2. c. 4.* de parapoplexia ſiue febre τριταιοφυει comatoſa, *vbi etiam exempla febris tertianæ veræ, apoplectico ſopore infeliciter ſtipatæ, enarrantur: quæque idem de* ſopore & veterno graui febrium tertianarum, quartanarum, quotidianarum *habet p. 493. ſqq. &* de caro cum febre *p. 81. ſqq. Exſtant* BONETI *obſeruationes ſimiles in* ſepulcreto *L. 4. ſect. 1. obſeru. 1. §. 3. de* febre tertiana cerebrum occupante, *item* SCHNEIDERI *de* apoplexia *p. 749. vbi eam ex febre quotidiana oriundam memorat, & veram apoplexiam nonnunquam comitem eſſe acceſſionum febrilium docet. Conf. celeb.* BERNERVS, *profeſſor Duisburgenſis, in diſſert.* de apoplexia cum catarrho ſuffocatiuo, *edita cum exercitat. de* applicatione mechanismi ad medicinam *§ 13 - 16. vbi de apoplexia, comate, lethargo febrium intermittentium agit, febres etiam apoplexiæ & paralyſi ſuperuenientes, quamuis prodeſſe ſuo loco modoque queant, ſæpe tamen noxias, vel infructuoſas eſſe oſtendit, & rem ex pathologia mechanica explicat limitatque. Immo ill.* HELVVICHIVS, *(quo doctiorem ex eorum ſcriptorum numero, qui cum ipſo* Stahlianæ *ſe hypotheſi addicunt, haud ſcio an quemquam liceat reperire) in* hiſt. morb. Vratislau. *ſincere pronuntiat, quod & nos oportet adhuc profiteri:* "ego ſane, "*inquit*, inter plura apoplexiæ exempla nunquam ali- "quem vidi per febrem ab apoplexia fuiſſe liberatum, "licet multoties ſtatim poſt inſultum apoplecticum de- "prehenderim pulſum vere febrilem". *Et* RHODIVS *in* analect. *ad* Septal. cautiones *p. 269.* "in febre, *inquit*, pu- "trida per paralyſin excitata non eſt negligenda prior af-

"fectio ; maior tamen habenda febris cura, tamquam vr-
"gentioris, vi cuius possit æger interire". *Nolumus tamen aliorum non contrariæ, sed nostram deficientem supplenti experientiæ derogare, quæ non semper vituperandam, sed fructuosam interdum apoplecticis febrim fuisse, memoriæ prodidit. Ita, post veteres recentioresque alios(19), in* hist.morb. Vratislau. *de paralysi, apoplexiæ sobole, dicitur :* "quar-
"tanas *D.* PREVS emetico, martialibus, & cortice Peru-
"uiano breui curauit : idem paralysin febri superueni-
"ente solutam vidit". *Ita & haud pridem vir cl.* IO. THEODORVS ELLERVS, *in* obseruationibus medicochirurgicis ex nosocomio charitatis Berolinensi, *docte eleganterque scriptis, p. 18. sqq. hemiplegiæ per interuenientem febrim tertianam curatæ historiam enarrauit.*

Febres male curatæ feliciter reduces.

XII) *Idem doctissimus* ELLERVS *p. 15. sqq. arthritidem per sexennium inueteratam memorat, ex febre violenta primo ortam, sed denique, superueniente rursus, & moderate per tres hebdomades decurrente febre continua, plane sanatam: quo ipso exemplo, & adiecto* HIPPOCRATIS *aphorismo, qui febribus longis dolores aut tubercula artuum succedere docet, & malum & remedium a febre procedere posse, & limitandam esse quum laudationem eius, tum contumeliam, declarat. Ibidem orta ex imperite, maxime etiam per corticis abusum, suppressis febribus symptomata, infarctus viscerum abdominis, inflationes hypochondriorum, asthmata, pedes œdematosos, immo incipientes hydropes, accedente rursus febre, præcipue intermittente, feliciter plerumque sublata, recenset. Laudandæ vtique eiusmodi febres sunt, immo vel*

Ars febres excitandi limitanda.

(19) v. quæ vberrime collegit & disputauit SCHNEIDERVS in libro *de apoplexia* c. 19.

vel arte non nunquam excitandæ, vti HIPPOCRATES *epidem.* 2. "prudentis, *ait*, medici est febres nonnun-"quam accendere." *Artis tamen illius laus summopere limitanda est, sicut docent* MAIOR *de* febre artificiali, SCHRADERVS *de* morborum quorumdam salubritate §. 25. HOFFMANN. *de* salubritate febrium §. 37. *&* nostræ obseruationes *p. 126. 148. 154. Nobis quoque paria istis* Ellerianis *obtigerunt noxæ abusuum circa varia remedia febrifuga, ipsumque corticem, sed & febrium sponte sese occultantium, per redeuntes febres correctæ, exempla. Quam ob rem, si, per status epidemii & ægri corporis rationem, audere licet, febres quocunque remedio febrifugo male suppressas, vel infelici cum consequentia occultatas, reuocare ipsi arte studemus, cuius materiam medicam dictis obseruationum locis exhibuimus. Idque nos quidem eo audemus confidentius tutiusque, quo certius, si quando, vti sæpiuscule fit, vel metuendo, vel inutili, hoc est, minime laudando modo procedere regressæ videantur, remedium nobis methodusque præsto est, cuius vsu, si alia non satisfaciant, quod tamen faciunt sæpe (21), ab infidis eiusmodi febribus recidiuis ægrum denuo secure liberare queamus. Quod qui tunc nolunt, sed a febri sua omnia bona nimis fidenter exspectant, vel certæ medelæ incerta præferunt molimina, iisque acquiescunt, si nihil prosunt; næ illi ægros morbi sæpe longis molestiis, & curationum ambagibus, in grauiora pericula, atque damna acuta & chronica prolabi sinunt, propriæ omissionis, aut incongruorum tentaminum,*

(20) Limitanda hinc sunt, quæ suo tempore RHODIVS, in *analect. ad Septalii cautiones L.* 6. c. 79. monuit ex Guainerio, Hollerio, Dureto, Massaria: "*febrem excitare minus tutum, nisi diariam, peccante materia "frigida, quæ magna ex parte iam euacuata. Satius eam vitare, nisi "sponte superueniat. Non enim gradus eius in medici arbitrio.*"

& ipſius febris infidæ, & labantis naturæ culpa, quam forte deinceps ſoli remedii cuiusquam abuſui, in priori febri admiſſo, perperam imputant. Aſt eum ipſi, ſi quis fuit, reſarcire debuiſſent, &, vana ni fuiſſet opinio, haud difficulter potuiſſent. Satis enim experientia propria alienaque edocti ſumus, eſſe, vti ex immenſo reliquarum, ita etiam male ſuppreſſarum, & vel perfecte, quod in medici poteſtate non ſemper eſt, vel, quod multis haud raro diagnoſeos erroribus, ac periculis lentis anſam præbet, imperfecte reuocatarum, & cum ambiguis occultioribusque motibus recidiuarum febrium intermittentium numero, non paucas, quæ ſola medicina febrifuga, præcipue efficaciſſima illa, cortice Peruuiano, recte adhibito, iuſtam, certam, ſecuramque medicationem admittant: quod, vti politiſſimus CAMERARIVS cautel. *p. 50. dicit,* "tam "diu laudibus ſummis celebratum remedium, ſtupendæ- "que re vera ſi recte eo vti ſcias, efficaciæ, ineptus quo- "rumdam adhibendi modus, ac præiudicia aliorum, plu- "ribus ſuſpectum reddidere."

Limitanda laudatio medicinæ febrifugæ.

XIII) *Veriſſime ſcripſit b.* SCHRADERVS, *de* febre quartana § 22. "Singularis prorſus & expertiſſimæ effi- "ciæ eſt decantatiſſimus ille cortex Peruuianus. Nullis "enim antehac, quamuis exquiſitiſſimis, remediis tan- "tum in morbo hoc debellando potuimus, priusquam "herculea hæc antidotus innotuit. Sicut vero alia re- "media optima ſuas habuere vices, & mirabile experta "ſæpe ſunt fatum, vt modo in honore eſſent maximo, "modo ingloria iacerent, ſubinde reuictura; ita chin- "china modo magnis laudibus celebrata eſt, modo iacu- "it criminibus obruta". *Eſt ſane, vti* RAMAZZINVS *vocat, (opp. p. 27.)* "diuinum plane remedium ad male na-

tam

"natam febrium ſobolem exterminandam". *Sed ſi qua bene nata ſit, & medicationis fructu potior, eam exterminare non debet: & alia remedia præter ipſam plura ſunt, quæ multis febribus plane ſatisfaciunt, & ſua abuſus vitia habet, ſuos vſus terminos. Haud puto inique* SCHRADERVS *l. c.* "fides, *ait*, nec huic remedio ſemper in fuganda febre "conſtitit, ſed pro varietate morbi, loci, ſubiecti, ad "alia transeundum fuit. Eſt certe in medicamento hoc "laudando nimius MORTONVS, quando ſcribit, nun- "quam ante huius medicamenti inuentionem alia metho- "do, quamuis diutiſſime protracta, quemquam febre "intermittente laborantem ſanatum eſſe; illud vero ἱερον "πικρον eſſe vniuerſale febrifugum." *Enimuero ingenti illi laudationi* MORTONVS *ipſe paſſim æquos, explicando & applicando, limites ponit: quamuis haud ſat bene genera & indoles febrium diſtinxiſſe, ſed, per hypotheſin nimis generalem ſimile aliquod μιασμα, ſimilem antidotum, pro nimis diuerſis quibusdam febribus ſibi ſtatuiſſe, videatur. Indulſit eo magis iſti hypotheſi, quum haud multas forte exceptiones, per epidemios ſtatus, qui ex intermittentium genere maximam tunc partem fuiſſe videntur, intra ſuæ praxeos terminos reperiret, &, quod ipſe in præfatione* phthiſiologiæ *dicit*, "a "multis retro annis a legendis libris totus abſtinuerit". *Quod qui faciunt, facile vniuerſale, vel vniuerſali proximum iudicant id, cui ipſi contrarium aut nihil viderunt, aut parum. Facile etiam locorum, temporum, perſonarum diuerſitates negligunt, hypotheſeos plauſibilis confirmationi potius, quam limitationi ſufficienti, ſtudentes. Nihil vero in arte medica ex anguſta vnius aut paucorum doctorum locorumque experientia abſolute iudicari debet. Nullum inter remedia, quæ quis-*

quisquam expertus est, vel cetera, vel quæ febrifuga merito audiunt, quamuis per se & recto vsu vere innocua sint reperta, & multoties feliciter vsurpata, ita laudandum est, vt siue ipsarum virium, siue culpandorum abusuum limites, quos alio loco & tempore obseruare datur, commendatio transcendat. Appositè PECHLINVS, *in præf. libelli de* potu theæ, "est hic, *inquit*, mortalium, immo & medicorum error, "noua quæque, & subita, & peregrina, velut de cælo "lapsa, extollere, &, cum in vno alteroque remedium fe- "liciter cesserit, vniuersæ statim morborum familiæ, "velut panaceam quamdam, destinare; mox iterum, "vbi præcipiti famæ euentus non respondet, elogia in "crimen vertere, &, quod in vno alteroque casu fidem "non seruarit, velut damnosum, proscribere. Atque "illud quidem vt vulgo & idiotarum sectæ condonari "potest, ita in medicis ineptum valde, & culpæ affine "est." *Vtramque extremitatem, quod ad remedia febrifuga, eorumque præcipuum, corticem Peruuianum attinet, sollicite cauemus: ideoque merito in* obseru. de febrib. *p. 50. scripsimus:* "quemadmodum nihil eorum, quæ sanis corporibus in- "nocua sunt, vel certis morbis medentur," (*quod vtrumque de cortice illo, iusta proportione vsurpato, exploratum est*) vni- "uersim ita iuuat, vt nullam noxam, pro ratione mor- "bosæ materiæ, motuumque, sub quibus ministratur, in- "caute adhibitum, inferre possit, neque, PLINII elo- "gio, quicquam est, cuius virtutes nullo vitiorum confi- "nio lædi queant; ita idem de hoc febrium domitore "sentiendum esse, eo magis dictat sana ratio, quo mani- "festior in materiam motusque morbosos efficacia est: "neque vnum remedium pro febrium omnium vnica

solaque

"ſolaque panacea habere licet, ceteris artis præſidiis ſus-
"que deque habitis". *Vtinam autem iſti, qui, ob peruerſe vſurpatam medicinam, hoc vel illud mali ortum eſſe ſcribunt, id etiam diligenter & accurate annotarent, quæ methodi peruerſitas, quis vſus illegitimi modus, quis corporis habitus, quæ ſtatus epidemii & morbi integra hiſtoria, quis a principio ad finem decurſus, quid præterea etiam & deinceps remedii adhibitum, quæ diætæ ratio fuerit: ne, quod paſſim fieri dolendum eſt, abuſus culpa, breuiter & generatim indicata, ſilentio preſſis genuini vſus differentiis, in ipſius vtiliſſimi alias remedii inuidiam cedat, & rectus ipſe vſus apud minus peritos immerito ſuſpectus reddatur; ſed potius ipſa ars recte vtendi clarius indies eluceſcat, & ab abuſuum conſortio iuſtis laudum limitibus vndecunque ſeparetur. Vtinam quoque ii, quibus aliæ methodi, alia contra febriculoſos morbos remedia laudantur, quæ & nos vſurpamus quotidie, & ſuo merito commendamus, ſingulis iuſtos, ſine præiudicante amore vel odio, ſine vana fiducia vel metu, terminos nobiscum adſignarent, &, vbi deficit imbecillioris medicamenti vis & vtilitas, generoſioris vſus legitimos æquiter admitterent, & candide amplecterentur. Facit profecto immoderata laudatio, qua alia medicamenta minus certa certiori vni ſeu æquiparantur, contra experientiæ aſſenſum, ſeu temere, & cum illius iniquo contemtu, præferuntur, vt multi ægri ope debita careant.* Ad maleſuadam generoſioris medelæ *febrifugæ formidinem merito applicatur illud* LVDOVICI, pharmac. *diſſ. 1. p. m. 665.* "æque multi ob
"meticuloſam opiatorum & emeticorum" *(addere licet, in febribus præſertim, venæ ſectionis iuſtæ, & corticis Peruuiani recte vſurpandi)* "intermiſſionem, quam per empiricorum
"manus occubuerunt."

Cauſſæ limitationis laudum corticis.

XIIII) *Cortex Peruuianus, quo maiores vſus habet, eo etiam fere frequentioribus, quam multa alia, abuſibus, & abuſuum accuſationibus, & veris vanisque de noxa querelis, expoſitus eſt, tum ob maiorem, certiorem, clarioremque ceteris efficacitatem, tum ob febrium diuerſarum, quibus cum ſubiti leuaminis fiducia opponi poteſt, ingentem frequentiam, διαφοριαν, pertinaciam. Hinc & medicis doctis indoctisque, & varia theoria & methodo vſis, & medicaſtris, & ipſis ægris, notiſſimus eſt, & magnopere cito iuuamine paſſim abblanditur, qualitercunque vſitatus; ſed &, quocunque morbi ſuccedente euentu ſequiori, vel regreſſu, facile ſuſpectus iisdem redditur, aliisque, qui vſum ab abuſu diſtinguere aut neſciunt, aut nolunt. Febrium quarumdam, quam ſupra notauimus, ſalubritas, & ſecuritas haud paucarum ſpontanea, medicamine quocunque perperam adhibito potior eſt: vnde facile eſt iudicatu, id, quod certius ceteris in tales operatur, abuſui etiam magis tunc eſſe expoſitum, quam alia, quæ morbum per ſe inſontem fere intactum relinquunt, & parum aut nihil in eumdem operantur. Accedit facilis febrium plurimarum, vel proprio niſu, vel ſub quouis in medendo errore, ad multifaria nocumenta procliuitas: quæ iccirco ab huius, quippe notioris, vſitatioris, potentiorisque remedii febrifugi empirico & peruerſo vſu facile annotantur: quamuis & ſæpe ſæpius fallacia non cauſſæ, vti logici vocitant, committatur, idque ſoli medentis culpæ & medicinæ tribuatur abuſibus, quod morbi, corporis, diætæ, aliarumque rerum adhibitarum, vel accedentium, vitiis magis debetur. Interueniunt noxiis abuſuum cauſſis ipſa vel maxime cenſorum terricula, ipſæ auerſantium & metuentium opinationes, laudesque febrium & aliarum medelarum,*

larum, æque, ac cenſuræ corticis, immodicæ: quæ omnia variis modis rectum adæquatumque huius medicinæ vſum retardari plus iuſto, minui, caſtrari, perturbari faciunt, & methodum ab ἀμεθοδιαις diſtingui, ac rite vſurpari, prohibent. Inde potiſſimum etiam fit, vt vtilitas ſperata ſæpe deficiat, & aut oriantur ex febribus imperfecte curatis prauæ conſecutiones, aut augeantur incongruenti medela alia, atque deinceps multoties, quæ alioqui facilis foret, ipſarum abuſus noxarum per rectum vſum correctio, ægrorumque corruptorum reſtitutio, præpediatur. Non autem talia, generoſis remediis plerisque omnibus communia fata, peritum cordatumque medicum, qui frequentem rite adhibiti huius medicaminis neceſſitatem, vtilitatem, ſecuritatem perſpectam habet, ab ipſo recto vſu abſterrere queunt: quamuis ea immoderatis laudibus obicem ponere, ac imperitorum hominum & medicaſtrorum manus merito ab hoc ipſo, aliisque ad artis medicæ penetralia ſpectantibus remediis, retrahere deberent. Abuſus enim huius medicinæ, qui iſtis hominibus vix ac ne vix quidem, peritis vero facile cauendi ſunt, tunc fiunt, vbi vel intempeſtiue, vel non adæquate, vel ſine ordinata methodo, adhibetur: hoc eſt, vbi 1) in morbis morborumque circumſtantiis huic remedio non opportunis, vbi 2) vel parca nimis, vel 3) nimis etiam larga manu, extra morbi & εὐφοριας proportionem, vbi 4) tumultuarie, ſine temporum & ordinis ratione, in temporario illo & ordinato morbi genere, præbetur; 5) vbi reliquæ artis & materiæ medicæ, coniunctarumque ſæpe indicationum, iuſta non habetur ratio. Huc ſpectat ars, quæ omnino eſt, præmittendi, miſcendi, interponendi, ſubiungendi alias medelas,

ſi quæ ex methodi lege corporisque habitu indicantur, neglecta, vel 6) *ſi quæ non indicantur, temere aut timide eſſicta, & affectata, cum vſus tempeſtiui, efficacis, adæquati dispendio, iuſtæque methodi vel procraſtinatione, vel caſtratione, vel perturbatione.*

Notanda pro æquiter limitandis corticis febrifugi laudibus.

XIIII) *In obſeruationibus meis, ſectione ſecunda, & paſſim, ſatis, pro ſcopi ratione, oſtendi, quam illi aberrent & temerarii ſint, qui in omnibus febribus, ex alieno plane ab intermittentibus genere, in continuis ex alio fomite, malignis ſtricte dictis, continentibus, inflammantibus, exanthematicis, aliisque, & in morbis, vbi contrariæ indicationes ſunt, idem remedium laudibus extollant, quod generi febrium intermittentium vero, & continuis ex illo ſolo, per acceſſiones extenſas aut multiplicatas, degenerantibus, ſpecifice præcipue debetur, alius generis affectibus partim vtile* (21), *partim inutile, partim noxium. Monſtraui, quam fruſtra ſint, qui, in ipſo intermittentium genere, in eo vno ſemper & vbique omnem fiduciam collocant, neglectis ceteris methodis ac remediis febrifugis, aliisque, ſi quæ adſunt, indicationibus, præſertim impuritatis primarum viarum, plenitudinis, orgasmi, obſtructionum, & affectuum complicatorum. Memoraui præmiſſarum, mixtarum, ſubiunctarum aliarum medelarum meritas laudes, & vitanda vitia. Indigitaui formularum præbendi corticis variarum auctores, vires, abuſus, vſusque, prudentia practica ſingulariter diſcriminandos moderandosque. Notandos vero etiam præcipue duxi eos abuſus, qui vel in exceſſu*

(21) Pertinet huc, quam in addendis *obſeruationum* notauimus limitauimusque, iamque ipſi denuo bis obſeruauimus, magna vtilitas ad cohibendum ſphacelum, qua de re nuperrime ſingulari libro egit cl. D, DOVGLAS. vid. *commerc. Norimb.* 1733. p. 345.

ceſſu doſeos, vel in eius ac ordinatæ methodi defectu, extra morbi temporisque proportionem ac ordinem, & corporis ἐυφοϱιαν *admittuntur. Hi enim omnium ſunt frequentiſſimi. De reſtringenda laude corticis in morbis, vbi nihil iuuare poteſt, vel in iis, vbi contrariæ indicationes vrgent, plura dicere ſuperſedeo. Præparatio corporis, ante corticis vſum, per remedia alia digerentia, aperientia, depurantia, euacuantia, ſæpiſſime vtilis & neceſſaria eſt, neque ſine noxa omittitur, ſi ex methodo indicatur: haud raro autem egregie eſt inutilis, vbi nulla vera indicatio iubet: immo tunc damno corporis cedit, quando vltra modum laudatur & extenditur, vt vel debilitetur, vel perturbetur natura, vel per infructuoſa molimina potiori indicationi explendæ locus tempusque præripiatur. Vix enim recte dicitur, a febre & propter febrim intermittentem talia indicari; ſed propter plenitudinem, orgasmum, impuritates ue tenuiori* μιασματι *febriculoſo iunctas, aut obſtructiones febrim comitantes, eamque fouentes: licet multa, quæ præparantia, aperientia, atque expurgantia audiunt, veram vim febrifugam, cortici analogam, ſed minus certam, ſimul exſerant. Recte* STISSERVS, *in* febr. interm. conſid. noua *p.* 51. "nullus, *ait*, dubito, quin multæ intermittentes "febres, aliæque affectiones morbificæ, absque vlla ſan"guinis miſſione & purgatione, dexterrime curari pos"ſint." *Cl.* COHAVSENIVS, *in* archeo febrium fabro *p.* 38. "ipſemet, *inquit*, vltra mille febricitantes "cortice ſanaui, neque ante, nec poſt eius exhibitio"nem dato remedio purgante proprie dicto". *Immo e contrario* VVERLOSCHNIG. *de* curat. vernoautumnal. *p.* 320. "vidi, *inquit*, febres tertianas, purgantibus ex-

Vitia circa corporis præparationem.

"hibitis, mirum in modum vires deieciſſe, nulla mor-
"bi imminutione, &, cum iterarentur, ita debilitaſſe,
"vt intra xv dies a cœpto morbo ægrotus ſuccumberet.
"Verum eiusmodi exempla infinita & alii dudum nota-
"uerunt". *Certum eſt, in febribus intermittentibus validis præcipue vtilitatem neceſſitatemque corticis eluceſcere, quum mitiores aliis facile remediis cedere ſæpe ſoleant. Ibi vero impenſe cautos nos reddere debet* HIPPOCRATIS *illud, in de* affection. 5. "neutiquam fas eſt in validis
"febribus medicamenta purgantia exhibere". *Exploratum tamen eſt, conuenire omnino, vbi abundat materiæ copia, & vel turget, & exitum per primas vias fruſtra affectat, vel coctio ipſa, & ſymptomatum imminutio præceſſit, præcipue ſi tempeſtiue ſubiuncto cortice tumultus excitus compeſcatur. v. ill.* BIANCHI hiſtor. hepat. *p. 282. ſq. conf. cl.* STORCHIVS *ſeu* PELARGVS, obſeru. clinic. *anno I. p. 65. ſqq. vbi etiam eleganter agit de vanis & noxiis corticis Peruuiani cenſuris. Neque vero ipſa medicina febrifuga coniunctum ſibi, vel poſtpoſitum, aliorum eiusmodi præſidiorum vſum excludit, ſi quid indicet. Quamuis ſæpe præſtantiſſimum ſit, ante corticis vſum corrigere & eliminare humores, ſi impuritas & plenitudo vrgeat, bonos illius effectus ceteroqui prohibitura, ac obſtructa expedire viſcera, ſi obſtructio efficaciam remorari poſſit, neque illa per febriculoſa pathemata magis intendatur; eſt tamen, vbi propter vrgentia febris ſymptomata, tutius longe comitem ſibi, vel pediſſequam, aliam medicinam indicatam adſciſcit cortex: qui ipſe ad febriles obſtructiones reſerandas, ad febrilem impuritatem corrigendam atque eiiciendam, maximum operæ pretium ſpecifice facit, reſtituta ſimul naturæ medicationem omnem iuuante*

tran-

tranquillitate, eiusque functionum integritate, & virium robore. "Infringi enim hoc modo bilioſas exploſiones, & "diſperſas, inuerſas, ac depreſſas ſubſtantias febriferas ad "naturales tandem ſecretiones excretionesque compel-"li, aut emendari ſaltim, atque ad eas tranquille diſponi, "quotidiana praxis confirmat." *ſunt verba cel.* BIANCHI, *hac ipſa de re, in* hiſtor. hep. *p.* 283. *Explicata hæc ac diſtincta dederunt, quos abundanter in* obſeruationibus *adduxi, auctores.*

XV) *Quodſi vero iam febris indoles corporisque habitus ita parata ſint, vt corticis vſus ſatis ſit opportunus, neque alia amplius medela præmittenda indicetur; tunc nihilo minus, qui ignari vel negligentes ſunt, variis modis ab adæquata materiæ, motuum, temporum, proportione recedere ſolent: vnde vberrima errorum ſcaturigo diuerſo modo procedit. Exploratum vero habemus, tunc maxime, quum in motu euidenti, vel proximo ad motum molimine, conſtituta eſt materies febrilis, affici eam a remedii efficacia, ita tamen, vt, pro proportionis doſeos ratione, modo augeatur morbi impetus, modo infringatur, modo retardetur, modo plane exſuperetur. Aliqui eorum, qui corticis vſum laudant, ægrisque lubentes ſuadent, veteri more, non bene obſeruatis iis, quæ pro iſto in* obſeru. de febrib. *p. 90. 170. ſqq. requiſiuimus, ita abutuntur, vt, vna maiuscula doſi ante vnum aut aliquot paroxysmos exhibita, eiusmodi febrim fugare ſuſtineant, ad cuius impetum iſta doſis adæquata non ſit: vnde ex ſemiſopito morbo, aut etiam ex ipſo increſcente violentiori paroxysmo, facilis noxa oritur. Hinc maxima pars eorum nocumentorum deriuanda eſt, quæ a vetuſtis pluribus, & hodiernis quibusdam corticis, circa ineuntium paroxysmorum tempora, abuſibus*

Vitia circa doſin & ordinem.

Vitia vſus ante paroxysmum.

ſibus annotata ſunt, quæque febris materiæ imperfecte attentatæ, & ita, pro proportionis gradu, vel ad ſæuiores incitatæ motus, vel ad obſcuriora ſaltim, & facile aberrantia, aut recidiua molimina redactæ, debentur. In eo enim fere omnes vetuſtioris illius methodi regulæ collocantur, vt, vti decet, exhauſtis primarum viarum ſordibus, & minuta, ſi qua ſit, plenitudine, ſublatisque, quantum fieri potuit, viſcerum obſtructionibus, detur paucis ſolum horis ante paroxysmum, vel eo ipſo ingruente, ſcrupulus, vel ſedrachma, vel drachma vna, vel duæ, vel amplius, & repetatur pariter ante ſequentium acceſſionum tempus, quoad opus eſſe videatur. Nos autem non ſine inſigni limite eam methodum laudandam arbitramur, ac, niſi ordo acceſſionum ſimplex ſit & regularis, ni chronicus ſit morbus, ni violentia aliquantum deferbuerit, ni ventriculus ſat bene digerat, ni conſtent naturæ vires paroxysmo prima forte doſi exacerbando ſecure pares, ni abſint congeſtionum circa viſcera, aut degeneris continuæ febris, anomalæue metus, ab illa ante acceſſionem ita medendi ratione abſtinendum nobis eſſe putamus. Vbi vero eam commendamus, quod dictis ſub cautionibus facimus, tunc proportionem doſeos ad paroxysmi impetum adæquate moderamur, vt ſuperior potius illa ſit, quam deficiat. Conf. obſeru. de febrib. *p.* 171. *Plerumque vero, quia ea febrium ratio exquiſita, quam cautiones requirunt, rarior paullo eſſe ſolet, primum præbium (quod ceteris altero tanto maius eſſe expedit) exeunte acceſſione miniſtramus, præmiſſis quæ præmittenda fuerunt, &, per aliquot deinde horarum interualla, dimidium vel integrum ſcrupulum, aut dimidiam integramue drachmam, aut, quantum decocti, infuſi, extracti, par fere virtute ſit, pro morbi & corporis ratione, repetimus. Neque illa pondera prudenter moderata corpori*

grauia

grauia ſunt ; immo, numeroſis TORTIANIS *experimentis conuicti, longe ampliora, ad ſex vsque drachmas, vel vnciam, vno hauſtu data, tolerari ſcimus. Neque tamen non morbo, cui id remedium opportunum eſt, expugnando, noſtræ, quas diximus, præbitiones obſeruantur ſufficere, quum doſis doſin ſenſim digeſta roboret, &, per breuem temporis inter acceſſiones intercapedinem, vis medicamenti non deficiat, ſed, ſubinde vnita quantum opus eſt, morbo ſuperior euadat. Eum vero tum demum certo penitus debellat, ſi proportionem & εὐφοριαν attendas, atque eo vsque remedium continues, quo ſymptomata magis magisque ſenſim ceſſantia indicant, licet ad vnam, duas, tresue vncias, ſi opus ſit, ſenſim abſumatur ; quamuis etiam haud raro ὑστεργια inſignes effectus præſtet, quando ab eo quiescitur, vbi continuando non amplius proficit : vid.* obſ. de febr. *p. 94. ſqq. 188. ſqq. Sunt autem plures, qui de vetuſtæ methodi vitiis moniti, eo ſibi vnice ſatisfaciunt, quod quidem nobiscum, vti diximus, præmiſſis, quæ præmittenda viſa ſunt, poſt paroxysmum incipiant, &, extra paroxysmorum grauiorum tempora, per iuſta interualla repetant ; ſed certam aliquam ſibi, ex præſcripto, ſtatuant quantitatem, vt, verbi cauſſa, vnciam dimidiam, aut vnam, conſumi iubeant, nulla, aut non æqua attentione facta, ad febrium, quæ diuerſiſſimæ aduerſus medicinam pertinaciæ ſunt, differentiam, & indicationem poſteriorem a iuuante ſatis, vel non ita iuuante remedio. Hi, ſi ea vtantur fortuna, vt adæquatam iſti ſuæ doſi, vel paullo inferiorem febrim inueniant, votis potiuntur; ſin minus, iis malis quibuscunque ægrum expoſitum relinquunt, quibus, ab omni inde antiquitate, homines febricitantes, naturæ vel artis imperfecta ope vſi, expoſiti fuerunt: nempe, vt vel ingraueſcant ſymptomata, grauioresque moleſtias, aut pericula*

Vitia doſeos pondere certæ, præſtabilitæ.

acuta minentur, vel lento ſemitectoque igne corporis ædificium adurant, ſubruantque, vel in apertam denuo flammam recidiua erumpant. Ita immodicis laudibus remedii, proportione non obſeruata, triſtis experientia derogat. Recte limitantur illæ, & cauetur abuſus, ſi, pro noſtris regulis, nullus alius continuando remedio limes ponitur, quam, poſt ἀναλογιαν aliorum caſuum vere ſimilium, ipſa εὐφοριᾳ, & ſymptomatum febrilium integra ceſſatio, quousque magis magisque continuato remedii vſu obtineri poteſt. Sunt qui, quoniam dicta vitia obſeruarunt, ſat methodi ſibi eſſe credidere, modo ne nimis parca doſis offeratur, modo ingentibus ſubitisue præbiis ingruentes febrium motus ſufflaminent. At, quamuis per ea, quæ ſupra diximus, & ill. TORTI *præcipue innumera experimenta, tutius ſit, circa acceſſionum formidandarum tempora, ſi quid moliendum eſt, magnam doſin, ſupra febrilis impetus proportionem, quam nimis exiguam inferioremque præbere; immo etiam in febribus ad duplices multiplicesque paroxysmos, & continuum typum pronis, aut vbi omnia mobilia facile, peruiaque ſatis ſunt, maiuscula corticis doſis, ad plenam vsque ſanitatis integritatem, quacunque hora, tuto & cum fructu dari queat; vbique tamen digeſtionis & εὐφοριας ratio habenda eſt, neque pondere medicaminis inutili ſtomachus neruique teneriores grauari debent. Hippocraticum illud, quantum per morbi periculique conſiderationem licet, obſeruandum eſt:* contraria ſenſim induci debere. *Potiſſimum hoc ipſum animaduertimus in febribus chronicis, quæque vel obſtructione viſcerum & aliena impuritate ſtipatæ ſunt, vel certe lentiorem curationem probe admittunt. Ibi, ne quid iam de iungendis complicatorum morborum remediis dicam, niſi ſenſim κατ' ἐπικρασιν cortice vtaris, quum chronici morbi aliquanto magis chroni-*

Vitia doſeos magnæ cumulatæ.

chronicam medicinam expoſcant, ſed magno pondere motus euidentes ſubito opprimas, vel fructu optato deſtitueris, quia materiem profundius hærentem, aut alienæ impuritati implicatam, ita haud ſatis attinges, vel damna corpori induci patieris, a materiei eius imperfecte repreſſæ, & a turbatæ naturæ erroribus: qui, niſi in febrim recidiuam iuſtam & regularem tandem euadant, aliis quibusque malis, quorum ſatellitio febres male curatæ ſtipantur, miſellum corpus mulctare queunt. Vid. exemplum de colica conuulſiua, ex aberratione quartanæ febris, per corticem Peruuianum, impetuoſe ſupra præſcriptionem medici datum, ſuppreſſæ, in ephemer. *A. N. C.* nouiſſ. *vol. 3. p. 278. obſeruante cl.* BAVERO: *qui hoc epiphonema ſubiungit:* "hoc exemplo patet, corti-"cem Peruuianum, immodice exhibitum, & iuſto aui-"dius deuoratum, in febribus ſiſtendis adeo ſecure non "adhiberi; cum alias generoſum hoc remedium, caute, "partita, & moderata doſi adhibitum, ſine omni me-"tuenda noxa vſurpari queat, ſeſeque præ mille aliis com-"mendet." *Ne quis vero ſibi fingat, non morbidæ materiæ aberranti, non abuſui corticis, & proportioni haud obſeruatæ, ſed ipſis huius particulis id malum colicum deberi; legat, quæ diu ante allatum in Europam corticem, de eiusmodi colica conuulſiua, ex febribus tertianis aut quartanis diuturnis, ſubito ſine euacuatione ceſſantibus, commentatus eſt* FERNELIVS pathol *lib. 6. c. 9. edit.* BONETI *p. 515. ſqq. & quæ ibi notat auctor* enchiridii *p. 518. add.* BINNINGER. obſeru. *p. 288. 418.* PISO *de* morb. ex ſeros. colluu. obſeru. *76. 77. 91. 92. 94.* SPIGELIVS *de* ſemitert. *l. 4. c. 14.* RIVERIVS prax. *l. 10. c. 1.* LOMMIVS obſeru. *l. 2 p. 169.* LOTICHIVS obſeru. *p. 402. Paria alii multi notarunt,*

Colica febrilis.

& nos frequenter obſeruauimus, ſine vllius remedii febrifugi vſu, ex ſponte ita errante materia febrili, ſed & alia ſimul coniuncta, hæmorrhoidali, rheumatica, arthritica, ſcorbutica, ſaturnina, vinoſa. conf. obſeru. de febrib. *p. 27. Quod ibi nobis propoſuimus penſum, vt de ea colica ſingulariter in opere de febribus ageremus, eius magnam partem præcepit haud pridem auctor eruditiſſimus diſſertationis de* colica ſingulari epidemia, *quæ exſtat in bibliotheca ratiociniis inſtructa Amſtelodamenſi* (bibliotheque raiſonnée) *1732. tom. 8. 9.*

Vitia circa reuerſiones præcauendas.

XV) *Sunt alii medentes, qui ab omnibus, quos memoraui, erroribus immunes, febrem quidem præſentem recte integreque, ſine doſeos exceſſu aut defectu, curare norunt; recidiuam vero præcauere vel negligunt, quia partim non adfore putant, partim tanti vix faciunt, vt auertatur; vel haud ſatis bene præcauere ſciunt. Vtrosque vero candide monitos velim, vt & opprobria nocumentaque reuerſionum nimis quam vulgaria conſiderent, & ad exploratam præcauendi methodum rite attendant. Hanc in rem vitandæ omnino eſſe videntur, poſt morbum ſuperatum, illæ paſſim hodie vſitatæ, extra ordinem, & extra molimina recidiuorum tempora, (quæ* obſeru. de febrib. *ſect. 5. notaui) remedii* λήξιπυρετα *præbitiones, ſi ingenium febris ad reuerſiones pronum ſit. Quod ſi enim metuenda reuerſio non eſt, nocere vix poſſunt, quia ſano corpori tutum eſt id remedium; niſi quod eas moderationes, & laudum limitationes expoſcat, quas ſupra amaris in podagræ curatione ſtatuimus. Quamuis vero, quod dicto obſeruationum loco docui, ſub indole etiam recidiua, continuatio* ἀμεθοδος *ſæpe non noceat, ſæpe etiam fortuito iuuet; haud raro tamen etiam ita potius premitur, quam exſuperatur, rediturus ſponte morbus, & vel extra ordinem deinde clare reuer-*

reuertitur, vel imperfecte regressus, & non bene attentus curatusque, eadem nonnunquam inducit vitia, quæ a semisopita febri quacunque oboriri posse constat. Monendum id omnino est, vti vbertim dicto obseruationum loco fecimus. Sunt enim plurimi, qui nimiis laudibus vsum corticis afficiunt, modo post fugatam febrim etiam diu continuatus sit, nullo statuto ad febris temporumque reuersiones minantium proportionem termino (22). *Alii maiori dosi vsum ita continuant, alii minori. Vtraque vero tunc, si quid iudicamus, extra intercapedinis ordinem, ac natiuum moliminum recidiuorum tempus, inutilis, & sæpiuscule perturbando morbo apta, illa etiam teneroribus corporibus grauis, hæc vero sub ipso eo tempore noxia interdum est, quia non adæquata. Cessandum ergo est ab eo remedio, postquam id, quod primum continuato vsu potuit, iuuaminis præstitit, tunc vero exspectandum accurate, & eædem doses, iusto tempore, (hoc est, exquisite*

(22) Inter præcipuos est HORBIVS, qui in perdocta dissertatione Altorfina, de *febrifuga chinæ chinæ virtute*, vbi hanc, ex sola adstrictione explicatam, magnopere collaudat, denique p. 23. sqq. "*licet*, inquit, *iterum* "*iterumque data vna vel altera dosi febrifugi expellas morbum, tamen vs-* "*que recurret, ita, vt a* MORTONO, *vigesies licet expugnatam nihilo-* "*minus semper se recollegisse annotatum legas. Quid ergo ad hæc medici?* "*Quidam ex illis vomitoria, alii purgantia, clysmata, diaphoretica, omnis-* "*que generis alterantia porrigunt ægris, alii venam secant, vesicatoria ap-* "*plicant: verbo occupatissimi sunt remouere causas continentes febris. Quam* "*intentionem optimam licet non ex toto improbem, vtpote rationi admodum* "*conformem; de irrito euentu tamen vt conquerantur symptomatum exacer-* "*batio febrisque immorigera indoles ipsos sæpe numero cogit. Quare, nisi in-* "*dicantia adsint euidentia, missis his omnibus, suaserim potius continuare* "*vsum antifebrilis huius remedii ad aliquot insequentes dies, hebdomades, aut* "*menses, donec scilicet, mutata anni tempestate, noxios humores ipsa natura* "*coquere, vel euacuare possit.*" Accuratior nostra methodus quanto commodiora, certiora, felicioraque spondeat, iudicent periti & experti.

quisite a cessatione præbitionis numerando, in tertiano genere alterna, in vero quotidiano & in quartano tertia hebdomade) dandæ sunt denuo, adhibenturque tutissime, adstipulante experientia, quæ primariæ febri antea suffecere. v. harum cautionum *tract. II. p. 50. sqq. ibique adducta* observationum *loca.* Purgatio post corticem. *Negandum præterea non est, sæpe, post superatam penitus febrim, copiam humorum inertium, vel coctorum, colligi circa primas vias, vel eo niti, & facile catharsi expurgari, vt eo facto reuersionibus aliisque malis fomes præscindatur. Egi de catharsi post corticem, eiusque laudes & vituperia limitaui, in* obseru. *p. 152. sqq. Aptissima vero omnium reperimus salia amara cathartica, Sedlizense, Anglicum, polychrestum, Glauberianum, quorum aliquod, per biduum, vel quatriduum, quotidie ad drachmas circiter sex duabus aquæ vnciis solutas, additaque forte aquæ cinamomi drachma, pro potiuncula limpida haud ingrata præbemus, a torminibus & κακοσομαχια, ab irritatione & euacuatione nimia, obstructioneque purgationis plerumque pedissequa, hoc pharmaci genere tuti, quod his in casibus plerumque sufficit. Sicubi vero non sufficere videatur, Riuerianum illud, inter febrifuga haud postremum, ex infusione foliorum sennæ cum sale tartari, innocue surrogabitur, facileque satisfaciet, vt violentioribus, magisque stimulantibus, aut excalfacientibus, supersedere queamus: quæ passim conualescentibus, aut a febre per corticem curatis, nimis temere commendantur. Hi similesque fere sunt limites ab experientia monstrati, quos laudibus medicamenti, febrifugorum præcipui, ex abusibus obseruatis statuendos reperimus, quod, laudatissimum suo merito, laudandum extra rectum vsum ac iustam methodum non est.*

Ta-

Tacemus errores & defectus alios eorum, qui, licet idem-tidem ipſi vſurpent, tamen vix ac ne vix quidem laudant, atque, vbi bonum & innocuum eſt, tamen vel ſuſpenſo animo metuunt, ideoque retardant, minuunt, abrumpunt, quantum vllo modo fieri poſſe putant, vel verbis contemnunt, re ipſa miro ſtudio occultant, atque hominum opinioni potius, ſuæque & affectatarum ſententiarum gloriolæ, quam ægrorum & artis commodis, litant. Neque iam eorum vitia vberius percenſere lubet, qui vel ſero nimis, quando morbus iam ſatis nocuiſſe poteſt, pro motuum febrilium conſuetudine, vt aiunt, ſola prohibenda, vel etiam ea ſolum indicatione ad ſacram hanc febricitantium anchoram confugere volunt, vt impetus violentos moderentur, aut in præſens reprimant: quo facto, minuta qualitercunque, aut imperfecte ſuppreſſa febre, retrahunt manum, ægrosque aliis incertis auxiliis tentant, ac ægritudinibus, ex morbi ſemiſopiti indole ſuccedaneis, ſæpe obnoxios relinquunt. Ita vero etiam, dum laudes ipſæ vltra modum limitantur, ea vſu non adæquato committuntur vitia, quæ deinde prauos arceſſant effectus, ac laudationibus remedii eius limites alios omnino ſtatuendos eſſe ipſo facto arguant. Patet enim, non laudari debere ipſum in abſtracto, vt aiunt, medicamentum, (quod brutum eſt, & in ſe neque laudes, neque vituperia, proprie & abſolute meretur) non vſum eius quemlibet; ſed verum, rectum, innocuum, tempeſtiuum, efficacem, adæquatum. Qui ſi deficiat, malis remediis accenſeri debet, quod per ſe, & iuſto vſu, bonum eſt. Vitia varia.

XVI) *Plura de his rebus dicenda ſuperſunt, alii occaſioni reſeruata; plura etiam de pariter limitanda laude aliorum remediorum, quæ ad febres fugandas adhibentur. Anguſtiores profecto limites admittere debent, quæ a quibusdam hodie au-* Concluſio diſſertationis.

audacter æquiparantur, immo præferuntur, reclamante experientia, medicamenta cathartica, ſalina, amara, terrea, adſtringentia, caſcarilla, crocus martis antimoniatus, pilulæ Wildeganſii, aliaque opiata, & ipſum arſenicum, cui periculoſiſſimo pharmaco ſui conſtant laudum audaciorum termini, quos in obſeruat. *p. 41. ſqq. 204. ſqq. ex æquo poſuimus: quamuis, quum ipſi nunquam experti ſimus, neque experiri audeamus, (quod neque opus habere credimus, quia certiori tutiorique pollemus cortice) cenſuram etiam immenſum cum aliquibus extendere, & plane alienam experientiam damnare & conuiciari, cum aliis non ſuſtineamus, præſertim ob ea, quæ vir inclitus, b.* SLEVOGTIVS *(23), denuo a. 1719. in progr. ad diſſert. de* arſenico VVedelianam, *ex ſua experientia laudauit. Plura etiam de aliis ſimiliter fluxionibus, congeſtionibus, motibus morboſis, immo & retentionibus, actionumque omiſſionibus, de catarrhis, vlceribus, apoſtematibus, exanthematibus, tumoribus, ſpasmis, doloribus, reſolutionibus, obſtructionibus, non nimium vituperandis, deque non nimis ibi commendandis variis artis medicæ præſidiis, diſſerere liceret, ſi conſilii temporisque ratio ſineret. Conſtat vero iam ſatis ex allatis documentis ſua Hippocratico effato veritas:* Φυσιες νεσων ἰητροι, naturæ morbos ſanant; *conſtat alteri haud contrario, quod, ex Hippocraticæ medicinæ ſtatore* BAGLIVIO, *in ſecundi harum*

(23) Hic idem ipſe videtur fuiſſe *amicus Ienenſis*, quem ill. STAHLIVS in *obſeru.* menſe *5.* id pharmacum tentaſſe memorat, qua ipſa ſcriptione quemdam alium archiatrum celebrem, anchiatri nomine, ob eiusdem arſenici præbitionem, fugillat. Iſte vero archiater famam & opes curatis febribus acquiſiuit, non illius veneni, ſed feliciori electuarii cuiusdam ex cortice vſu, quo ipſo a fautoribus periculoſi iſtius ſalis mineralis certior tutiſſimi corticis efficacia comprobari videtur. Add. ill. HOFFMANNI diſſert. de *recto corticis chinæ vſu in febribus* §. 7. ſub finem.

rum cautionum tractatus titulo ſcripſimus : remedia ſanant; *conſtant iuſti vtrique limites ; conſtat denique, ſi quid iudico, ſua meo de natura dogmati claritas, congruentia, & rebus ſufficiens æquabilitas : dum, cum eodem* BAGLIVO prax. *L.* 2. *c.* 1. *dico,* "naturæ nomine non in-"telligere me ſapiens quoddam phantasma, conſilio ſin-"gula dirigens ; ſed complexum quemdam generalem "cauſſarum naturalium, quæ, licet conſilio deſtituantur, "effectus tamen ſuos pariunt ordinate, iuxta leges a ſummo "creatore inditas: *ſiue, vt concinnis doctiſſimi* PREISLERI *verbis, in de* podagra corp.hum. conſeruatrice *p.*2. *definitionem naturæ humanæ denique adhuc complectar,* "eſſentiam "corporis humani vi actiua prædítam." *Perinde tamen nobis eſt, vtrum quisquam ita nobiscum vim naturæ actiuam ad res mere phyſicas referat ; an archeum ſibi, vel animam, morali ratione naturalia agentem, perſuadeat : modo qui ſint naturæ & artis virium & defectuum limites hiſtorice habeat perſpectum, & ad ſimilium diſſimiliumque caſuum iudicium prudenter applicare norit. In ſtudio hiſtoriæ & ἀναλογιας naturæ & remediorum excolendo, & cautionibus genuinis ac dilucidis exquirendis, vnanimi conſenſu laborare deberemus ; non ſerram theoricæ phyſicæ potius, quam medicæ controuerſiæ, de eo, quid demum illa ſit natura, reciprocando, ipſam artem diſſecare, vt ſuum ſibi ſigillatim quisque ſyſtematis ædificium ſtruat, atque, eo operoſe munito, ſe ſuosque labores alter ab alterius conſortio quaſi ſecludat. Hinc ſæpe fit, vt, ſi quid boni alius atque alius ex diuerſorum ſyſtematum cultoribus in ipſa vera naturæ & artis hiſtoria inuenerit, id ipſe quidem eo vel potiſſimum applicet, vt ſuæ phyſicæ ſententiæ munimentum qualecunque inde elaboret ; aduerſarius vero id ipſum vel negligat, vel inimi-*

ce auerſetur, vel plane omnibus telis ſubruere ſtudeat: quum ab opinionum contagio ſeparare, & inuento frui, poſſet ac deberet. Sat infeliciter medici, quibus in re, quantum ad artem ſalutarem ſpectat, conuenire non nequiret, nomen naturæ, cuius miniſtri audiunt, eiusque philoſophicam ideam, pomum ſibi Eridos fecerunt. Legi & meditatus ſum, ſine partium ſtudio, pro virium mentis meæ tenuitate, ſingulorum ſententias: neque vero a me impetrare potui, quin id perpetuo ſentirem, diſſenſum, quantumuis in philoſophica theoria, eiusque ad medicam applicatione, maximus appareat, nullum in pragmatica diſciplina neceſſario conſequi; ſed quemlibet proprio de natura ſenſu tuto abundare poſſe: modo ne vltra ſuos limites extendatur hypotheſis, & in obſeruationes ipſas dominetur. Equidem non niſi confirmatus examinando ſum in inſtillatis a iuuentute, circa id argumentum, præceptorum meorum ſuperſtitum venerandorum placitis: præcipue in philoſophica diſciplina, πολυμαθεσατε TREVERI, *eclectici iudicioſiſſimi; in medica, virorum philoſophica medicaque ſapientia excellentiſſimorum,* MEIBOMII & HEISTERI; *in mathematica, ſolidiſſimi* VVIDEBVRGII, *mechanicæ quoque corporis humani theoriæ cultoris præſtantiſſimi, ac plurium aliorum medicorum, mathematicorum, ac philoſophorum inſignium, quam ſupra expoſui, meamque feci, declaraui, ac probaui. Aliis vero, qui modo pragmaticam medicinam mecum vnanimi conſenſu candide colere volunt, ſuam naturæ notionem, ſua illi ſuperſtructa ſyſtemata, ſuas practicarum veritatum theoricas explicationes, lubens amiceque relinquam; meas ſeruabo libere, quamdiu his meliores non agnoſcam; ipſorum inuentis cum experientia euidenti congruentibus grato animo vtar, meamque vicisſim ſymbolam cordate ac ſincere in commune conferre pro virili porro ſtudebo.*

CAVTIONVM MEDICARVM
TRACTATVS SECVNDVS
SIVE
ANIMADVERSIONES
DE
LIMITANDA FEBRIS LAVDE
ET CENSVRA CORTICIS PERVVIANI
QVIBVS
OBSERVATIONES DE FEBRIBVS
ILLVSTRANTVR
DEFENDVNTVRQVE ADVERSVS CENSVRAM
DISPVTATORIS
DE LAVDE FEBRIS FALSO SVSPECTA.

Contra morborum violentiam nil valet, terrore diſputationum pugnare. Remedia ſanant.

BAGLIVVS prax. med. Lib. II. c. 11. §. 9.

)(

VIRIS
ILLVSTRIBVS CLARISSIMIS EXPERIENTISSIMIS
MEDICIS HANNOVERANIS
OMNIBVS ATQVE SINGVLIS
PATRONIS COLLEGIS FAVTORIBVS AMICIS
OB MERITA ET DIGNITATEM
OB DOCTRINAM ET EXPERIENTIAM
OB BENEVOLENTIAM ET CANDOREM
HONORATISSIMIS CARISSIMIS
TRACTATVM HVNC
DE
OMNINO LIMITANDA
LAVDATIONE FEBRIVM
ETIAM INTERMITTENTIVM
ET EX ILLARVM GENERE CONTINVARVM
QVAS
MVLTOTIES MVLTISQVE MODIS
INVTILES INFIDAS PERICVLOSAS NOXIAS
IPSI OBSERVARVNT
AC DE RESTRINGENDA OMNINO
CENSVRA CORTICIS PERVVIANI
QVEM
VSV RECTO TEMPESTIVO EFFICACI ADAEQVATO
CERTVM INNOCVVM VTILEM NECESSARIVM
MVLTIPLICI SVA EXPERIENTIA
CONFIRMARVNT
FELICITATEM OMNIGENAM APPRECANS
OFFERT
AVCTOR.

ELEN-

ELENCHVS.

§. I. *Obseruationes nostræ de febribus.* Earum occasio, problema L. IOERDENS: huius in nostram resolutionem consensio, item D. HEISTERI, & multorum aliorum. Dissertatio elegans de *medico nimis timido.*

§. II. Obseruationes febrium laudem & censuram medelæ febrifugæ limitantes. CAMERARII dissertatio de *apoplexia cum febre.* Prouerbium: vis sine febre mori? Brutorum animantium febres. Raritas affectuum soporosorum sine febre. Obseruationes CAMERARII de febribus soporosis & apoplecticis, & curationes, nostris conspirantes: item LOEVVII, & nostratium medicorum, & nostræ posteriores. SPIGELIVS de febre semitertiana apoplectica & soporosa. Affectus febrilis soporosus singularis, *timor* dictus.

§. III. Libellus GOELICKII de *laude febris falso suspecta* cur nostri censorius? Priores eius immoderatæ dissertationes in *obseruationibus de febribus* modeste refutatæ. Hinc fremitus eius & conuicia.

§. IIII. Eadem censura alios premens, aliisque pluribus debita. BERGER. de *laude febris merito suspecta*, & COHAVSEN. *archeus febrium faber*, eodem libello lacessiti. STENTZEL. contra febrium laudes. CAMERARIVS de *nequitia febrium.*

§. VI. Iudicium de censura exspectandum a medicis sinceris, cuicunque theoriæ addictis. STAHLII ipsius, & aliorum Stahlianorum limitationes, & merito exspectandus nobiscum consensus. APINVS cortice Peruuiano vero, ad nostras indicationes, felicissime vsus, approbante STAHLIO; licet hic cascarilla vsum putauerit.

§. VII. Febres corticem præcipue indicantes: vbi non adhibere medico indignum.

§. VIII. Epicrisis de censura illa generalis. Triga disputationum. Quadriga sine plaustris exspectanda. Character malæ caussæ, & præceptæ opinionis dominantis. Promissio ad censorem.

§. VIIII. Transitio ad examen speciale. *Ipsa censoris verba integra.* Horum sigillatim facta refutatio per notas indicata.

§. X. Præmonitum. Neque ego, neque censor, malo animo scripsimus: ego pro obseruata veritate; ille pro præiudicato errore.

§. XI. Dissertationes academicæ inaugurales, lusu ingenii, & exercitii caussa scriptæ. Dissertatio Marburgensis de *purgantium remediorum ex foro medico proscriptione.* VVALD-

SCHMIDII de illa iudicium : noſtrum de ſimilibus proſcriptionibus quibusuis. Cur Gœlickianas diſſertationes luſus ingenii reputauerimus ? Solida Erfurtenſis STAHLII diſſ. de *dubia atque ſuſpecta hæmorrhoidum laude*, febrium ſimul laudes limitat.

§. XII. Ira cenſoris : hinc dicta contumelioſa, eorumque occaſio innoxie a nobis data. Migrare ad barbaros iubentur.

§. XIII. Votum cenſoris de emigratione corticis : ſalus ægrorum id effectu deſtitui iubet. HEISTERVS de limitanda corticis cenſura, & de noxio eius metu.

§. XIIII. Excuſatio noſtra ad viros graues, quod luſus ingenii leues paſſim inter ſeria grauiora refutauerimus. Ceterum excuſatione nulla pro refutationibus noſtris opus habemus.

§. XV. Remedii febrifugi cenſura non limitata inexcuſabilis. Temeritas, timiditas, negligentia, pertinacia medica. Vis corticis ad ſphacelum. Scommata tenue cenſoris de ſancta ſimplicitate. Sententia noſtra de ipſo.

§. XVI. Tam vſus omiſſio & criminatio, quam abuſus ipſi, non excuſanda. Logica cenſoris in reſpondendo. Culpa medica commiſſionis & omiſſionis. Febres ſine cortice ſanabiles, vel ſecus.

§. XVII. Corticis laudes a nobis datæ nec nouæ, nec hyperbolicæ. Expertus ſit oportet, qui iudicare velit. CAMERARII experti iudicium de guſtu quorumdam deprauato.

§. XVIII. Febris qua limitatione inſtrumentum naturæ vtile dicatur ? (quæ SYDENHAMII, prudentis magiſtri ad corticis vſum, theſis eſt) Limitatio noſtra, BERGERI, HOFFMANNI, CAMERARII, ipſius CAMPANELLAE, veteris febrium laudatoris, cui febris non morbus, ſed bellum ſpiritus contra hoſtem in propria ciuitate eſt.

§. XIX. Laus medicinæ eclectiçæ. Apes eclecticorum imago. Animantia vni plantæ inhærentia, & inde nominata. Formicæ, araneæ, apes medicæ. Quid eruditionem eclectici abſoluat?

§. XX. Curatio per corticem probe congruens noſtræ ſententiæ de febre naturæ inſtrumento. Notio noſtra vocis natura. MEIBOMIVS de eius *viribus in conſeruanda & reſtituenda ſanitate*, deque *animæ ad reſtituendam impotentia*. Errores naturæ, quamcunque notionem ſeruemus, ob cauſſas plurimas. Remedio corrigente indigent. Ars naturæ miniſtra. Comprehendunt peritiores, quod cenſor ſe non comprehendere dicit.

§. XXI.

§. XXI. Methodus noſtra corticem adhibendi diſtincta. Exſpectatio & præparatio, modo vtilis, modo noxia. Citior medela indicata. Superſtitioſus naturæ errantis & labantis cultus. BERGERVS de vſu corticis maturo, deque præparatione corporis vtili, & noxia.

§. XXII. Recto vſu materia febris in corpore non cohibetur. Cortex vere corrigit & euacuat materiam febrilem. Diſſertationis ALBINIANAE de *febre quartana* auctor CHÜDENIVS. Corticis modus agendi non plane perſpectus.

§. XXIII. Haruſpices, ſpeculatores, extiſpices medici. Vbi deficit doctrina de modo agendi, ſufficiunt regulæ de recto vſu. Conſentit STAHLIVS,

§. XXIIII. Monita circa coniecturas de modo agendi. Vis adſtringens cortici non ſolitarie ineſt: neque eſt vitio vertenda. SPIESSII, PITCARNII, HOFFMANNI iudicia, de adſtrictione corticis ſalubri.

§. XXV. Virtus ſpecifica febrifuga, quo ſenſu, qua limitatione dicta? IACOBAEI dubitatio de virtute hac fundatur in exceptione, ex vna hiſtoria epidemia Londinenſi. Obſeruationes IACOBAEI. Febres, ſine vlla regulari periodo, corticem non indicant. Vbi indicatur, vſus debet eſſe adæquatus. Febres recidiuæ præcauendæ. Conſenſus GLADBACHII, LAHRII, aliorum, in noſtras de reuerſionibus obſeruationes. Petitio noſtra ad plures obſeruatores iterata. BOHNIVS de febribus aduerſus corticem rebellibus. Talia ſpecificæ virtutis notioni medicæ non aduerſantur. Specifici titulus ignorantiæ phyſicæ innoxiæ aſylum, cordatis medicis vſitatum. STORCHII conſenſus, STAHLII ſpecifica. Comicus cenſoris iocus. Aſyla ignorantiæ alia, nobis non accepta.

§. XXVI. Oleum & opera cenſoris perdita. Medicinam bene docere & bene facere conſentanea ſunt. Aſt eruditio ex cathedræ non limitantis ſubſelliis diuerſa a clinica: ſecus, ſi limites rite doceantur. Præſcientia cenſoris iactata circa obiectionem dudum factam: non niſi expertum iudicare poſſe. Reſponſio eius mirifica. Medicamentum non doloſum, ſed fidum & exploratum, qua tale, experiendum. GOELICKII *corpus medicinæ mutilum* a STOERIO refutatum.

§. XXVII. Votum STAHLII de licentia corticis vſurpandi recte limitatum. SPIGELII monitum ſimile de puluere Cornachini.

§. XXVIII. Allegata ex alienis erroribus experientia manca. Notata circa hiſtoriam ex STAHLIO ad HARVEVM, de abuſu corticis alicubi aliquando noxio. Paria nobis aliisque obſeruata vſum rectum non tangunt. SCHRADER. *de V. S. vſu & abuſu in febribus.* Alia vtilia remedia & methodi contra febres. KERGERI febrifuga. Eius nepos ALISCHERVS de his, & de cortice magis certo. Febres multæ cortice opus non habent; ſed hæ contra ceteras nil probant. TORTI monita ad cenſores, arti vitia artificum imputantes.

§. XXIX. De argumentis a priori. Theoremata de anima natura, deque cortice per ſolam adſtrictionem operante, neque demonſtrari, neque, licet vera eſſent, noſtris regulis aduerſari queunt. VVEDEL. de viribus corticis præter adſtringentem. GOELICKII diſſert. de *phlebotomiæ in variolis vſu & abuſu* laudata, ſine ironia. Ironiæ cenſoris. Hippocrates de ratiociniis a priori in medicina.

§. XXX. Concluſio tractatus. Interdicta varia remediorum non limitata vana. Limitanda febrium laudatio, ſuadente ipſo STAHLIO. BOHNIVS de tertianis periculoſis haud infrequentibus. Mirabilis animæ laudatio Gœlickiana. Anima medicus inuitus. Generalia cenſoris edicta, generis humani experientiæ aduerſa, de febrium ſalubritate. Mirus παραλογισμος ex noxio corticis abuſu, & eius corporibus delicti, vel quaſi, contra vſum rectum. Prouocatio a cenſore præiudicante ad iudicantem. TORTVS de terriculis contra corticis vſum priſcis excuſandis, hodiernis ſecus. Quid probandum cenſori incumbat, ſi a febris laude & cenſura corticis ſibi temperare adhuc nolit? Febrifuga alia comparata. Cortices aurantiorum hæmorrhagiarum & febrium inſigne remedium. NIGRISOLII obſeruationes de iis, item de nucum cupreſſi vi febrifuga. Epicriſis ad eius auctoris, item LANZONI notata. Emetica, puluis Cornachini, mercurius dulcis, febrifuga eximia ANDRIOLLI. Corticem ipſi omnes certiorem reputant. Febres cum malo aphrodiſiaco complicatæ noxiæ. Καλομελι & electuar. mundificans. Periodorum recidiuarum regularis ratio. Obſeruationes ea de re noſtræ confirmatæ. Prouocatio ad experientiæ rationalis tribunal. Moderamen frugiferum. Petitio æqua, & cenſuræ iniquæ reiectio. Edi-

§. I

Edidi ſuperiori anno *obſeruationes de febribus, præcipue intermittentibus, & ex earum genere continuis, & de earum periculis & reuerſionibus prænoscendis, & præcauendis, per medelam tempeſtiuam, efficacem, adæquatam, candide & perſpicue propoſitam.* Scripſi librum illum ad politiſſimos vtiliſſimi commercii litterarii medici & phyſici Norimbergenſis auctores, quippe qui, in anni primi hebdomade 24. problema aliquod ea de re propoſuerant. Medicus nempe Curiæ Variſcorum clinicus, doctrina, experientia, & candore inſignis, *L. CHRISTIANVS FRIDERICVS IOERDENS*, communicauerat cum ipſis obſeruationes ſuas de febribus intermittentibus, quæ, dum tutæ credebantur, & adhuc per initia ſolum exſpectabatur naturæ auxilium, ſuperueniente ex improuiſo ſopore & apoplexia, ſubito fuerant exitio. Perterritus inexſpectato morbi exitu, & laudibus ſalubritatis, quæ febribus hodie alicubi generaliter tribuuntur, diffiſus merito, & de metuendo ſæpius ſimili euentu ſollicitus, alienam etiam experientiam per laudatiſſimum illud commercium implorauit vir cordatus, atque, vt cum orbe medico communicarentur, ſi qua aliis ſimilia obſeruata eſſent, ſique ſigna prænuntia aut medelæ ſuppeterent, publice rogauit: add. *commerc. litter.* ann. 1733. hebd. 10. Quum autem haud adeo infrequenter, a pluribus inde annis, nobis ſimilia obſeruata, & apud auctores veteres recentioresque lecta ſuccurrerent, officii noſtri eſſe duximus, vt, quæ circa ſigna & medicinam notabilia habebamus, ad ſol-

Obſeruationes noſtræ de febribus, aſſenſu præſtantium virorum firmatæ.

uendum, pro tenuitate noſtra, problema illud, euulgaremus. Natum inde eſt, additis aliis obſeruationibus pluribus, leuidenſe iſtud volumen, quod & celebratiſſimi illi commercii Norimbergenſis, (anno 1733. hebd. 3.) & aliarum relationum litterariarum variarum auctores, multa cum beneuolentia commemorarunt: quoque ipſe cl. L. *IOERDENS* omne ſibi, quod de iis morbis dubium fuerat, ſolutum, & ſeſe in methodo ceteris febribus ſibi relictis medendi confirmatum eſſe, officioſe eodem in commercio hebd. 30. teſtatus eſt. Acceſſere viri eximii complures, qui partim coram, partim datis ad patronos amicosque meos, aut ad me ipſum, litteris, obſeruationes regulasque noſtras, ſua approbatione atque experientia vnanimi, confirmarunt: quos inter nuperrime publice calculum ſuum adiecit præceptor meus venerandus, celeb. *HEISTERVS*, in diſſert. elegantiſſima de *medico nimis timido pag. 14.* Quam ob rem ſingulis illis fautoribus meis experientiſſimis, adeoque cenſori vni non experto, & certas ob cauſſas infenſo, fidenter opponendis, maximas ago gratias, ac continuandum, pro viribus, quod beneuole probarunt, ſincerum in artis commoda ſtudium ſpondeo, voluntate certe propenſiſſima tantos fauores, quantum potero, demereri allaboraturus.

§. II.

Obſeruationes noua concordes de febribus ſoporoſis & apoplecticis

Præter adductos in iis obſeruationibus ſect. I. §. 2. auctores, reperi adhuc alios, qui affectus ſoporoſi & apoplexiæ febri intermittenti veræ ſuperuenientis caſus, plane iis ſimiles, quos problema a me enodatum exhibet, itidem obſeruarunt, & eodem, quod ego in ancipitibus iſtis præcipitibusque, & aliis metuendarum febrium periculis, expertus ſuaſi, remedio generoſo auertere iuſſerunt. *b. RVD. IACOB. CAMERARII* egregia de *apoplexia cum febre* diſſertatio prodiit anno huius ſæculi decimo ſeptimo. Incipit

cipit auctor cum vulgato eo: *vis ſine febre mori?* & modum mortis naturalis frequentiorem obſeruari ſolitum recte docet, vt *vix ſine* febre, ſed *cum*, vel *ab* ipſa febre, moriantur homines, (p.3.) ſed & cetera animantia febrim veram, certe prope mortem, pati ſoleant. (p. 13.) Oſtendit, apoplexiam ipſam haud raro cum febre eſſe. Vlterius proceſſiſſe inuenio virum experientia magnum, b. *VVEDELIVM*, qui opiolog. p. 26. "*ſe nunquam affectum ſoporoſum vere talem vi-*
"*diſſe, affirmat, vbi non ſimul adfuerit calor præter naturam*": quod tamen nobis generatim ita affirmare non licet. Triplici vero modo apoplexiam febri adeſſe notat b. *CAMERARIVS*, vt vel continenti, remittenti, intermittenti, ſuperueniat; vel quaſi comitatæ inuadant; vel denique febris ſymptomatica ſit, apoplexiæ ſuperueniens: (p. 9.) atque hanc ipſam longe rarius medicam, quam periculoſam, immo nociuam plerumque eſſe, docte demonſtrat. (p. 14. ſeqq.) Recenſet febris intermittentis ſoporoſæ & apoplecticæ exempla: (p. 7.) "*ſenem*, ait, *litteratum, viribus*
"*fractum, vndecimo ſeptenario maiorem, cum æſtas impenſe*
"*calida tertianam ferret epidemiam, fuiſſe etiam correptum,*
"*& in paroxysmis profundo ſopore oppreſſum, toties a dome-*
"*ſticis pro apoplectico habitum; cum tamen ab iis ad ſe redierit,*
"*& euaſerit, non hemiplecticus: obdormiuiſſe pariter in ter-*
"*tianæ paroxysmo tertio vel quarto ancillam ruſticam, adeo gra-*
"*uiter & ſuſpecte, vt, poſtquam vi magna fuiſſet vtcunque exci-*
"*ta, non niſi obſcura ſenſus mentisque præbuerit indicia, ia-*
"*cens aphonos, trunci inſtar immota, in magno æſtu, nec alio*
"*cum pulſu; liberatam tamen & hanc fuiſſe, cum fine paroxy-*
"*smi, nullo reſolutam latere. Non tamen*, pergit, *omnes, quos*
"*cum ſingulari ad caput raptu vehementer inuaſit famoſa illa*
"*febris, ita dimiſit; ſed & vnum atque alterum, grauioribus*
"*prius acceſſionibus iam tum male habitum, importunior tandem*

"*paroxysmus funeste oppressit, modo, vt videbatur, apoplectice a-*
"*cutissimo*". In curatione commendat" MORTONIANAM, vt ait, *antidotum, febris proteiformis domitorem corticem, si-*
"*quidem requisita exhibitioni concedantur interualla*": quod id ipsum est, quod nos in obseru. p. 19. 62. 66. 81. sqq. vberius de-
Loevvii. duximus. Alterum allego *b. ANDREAM LOEVVIVM*, qui in elegantissima historia epidemia Sempronienſi, ephem. nat. curios. nouiss. volumini I. subiuncta, variis locis affectum illum enarrat. P. 78. memorat febres erraticas æstiuas anni 1708. cum diris symptomatibus incipientes, sed circa diem fere septimum in tertianam ordinariam transire solitas. „*Adhibui*, ait, *venæ sectionem, diaphoretica, præcipitan-*
"*tia: quam primum vero notaui tertianas, aut tertianas dupli-*
"*ces, exhibui statim* chinata *cum arcano duplicato, optimo cum*
"*successu*". Narrat ibidem historiam alicuius, qui, accepto tristi & ingrato nuntio, territus, ex ista febre derepente inciderit in soporem profundum, &, licet clysmatibus & vesicatoriis intra XV horas excitatus, omnium tamen rerum insciius, vix loqui valens, eodem die relapsus, &, accedentibus conuulsionibus, sine febre comatosus fatis cesserit. Pag. 83. febres æstiuas & autumnales grauissimas anni 1709. primo continuas, deinde die demum quinto transeuntes in *intermittentes exquisitas*, commemorat. "*In duabus*, ait, *personis, vna XVII. altera XXX*
"*annorum, obseruaui, his* febribus *superuenisse* apoplexi-
"as *fortissimas lethales*". Laudatis ad epidemias istas febres remediis blandis diaphoreticis, &, post tertium paroxysmum, die a febre vacuo, laxantibus, salibus amariusculis & lixiuis, & terreis alcalicis: "*omne*, ait, "*fere punctum absoluit decantatissimus* cortex Peruuianus,
"*cum salibus mixtus*". Post editas obseruationes nostras, quamuis prior epidemiæ febrilis violentia longe iam gene-

neratim remiſerit, ter tamen rurſum obſeruauimus ipſi, ſanauimusque præſcripta ibi methodo, febrem eiusmodi, etſi tertianam duplicem intermittentem veram, cum horrore incipientem, attamen ſponte dein ſumme ſoporoſam, apoplecticæ haud diſſimilem: vnam in ſutore, alteram in opifice chirothecario, illo quinquageſimum annum parum, altero nondum ſupergreſſo, quorum vterque plane ante febrem ſanus fuit, & curata ſaluus eſt; tertiam in viro nobili ſexagenario, qui ante annum inſultum apoplecticum ſuſtinuerat, quem caſum celeb. *D. GOETZIVS*, vir multis meritis orbi medico carus, & mihi fautor apprime honorandus, in commerc. Norimb. h. a. p. 172. ex litteris meis iam excerpſit. Hi autem ſinguli, quum primum aduocarer, caro vero, id eſt ſine ſenſu & motu, iam tum ſopiti erant. Omitto alios multos, quos comate, aut modo inſtantis ſoporis ſignis, aut eo febris ſymptomate, quod *SPIGELIVS* in de ſemitertiana (opp. Tom. II. pag. 28.) *timorem* vocari notat, quodque comatis ſpecies eſt, correptos, a graui discrimine imminente, per noſtram methodum, poſt editas obſeruationes, præcauimus, & incolumes præſtitimus. Curioſam *SPIGELII* obſeruationem, quacum conferri velim, quæ de ſemitertiana in noſtris obſeruationibus p. 7. 9. 51. 61. 63. annotata ſunt, huc adſcribere liceat, quia & *apoplexiæ* veræ, & alterius morbi ſoporoſi, alibi haud diſtincte memorati, inter febris ſemitertianæ, quæ partim certe ex intermittentium genere eſt, ſymptomata, mentionem facit. "*Cum ipſa*, ait, *febris ſemitertiana ſola per ſe apta ſit vires magnopere deiicere; tum multo magis proſternuntur, cum morbi ſuperueniunt acuti, quorum magna pars per ſe periculoſa eſt, quidam etiam maxime lethales, quales ſunt* apoplexia, "*paroxysmus epilepticus, catochus forte AETII, & ali-*

SPIGELIVS de febre ſemitertiana apoplectica & ſoporoſa.

"*us quidam morbus, in Germania & Pannonia frequens,* "*quem Auſtriaci, Moraui, ac Stirii* timorem *appellant, inter* "*apoplexiam & epilepſiam quodammodo ambigens. Cadunt enim* "velut apoplectici ſine ſenſu, non tamen motu *priuantur,* "*neque tamen conuelluntur, vt epileptici: aliquando ſtertunt,* "*nec tamen diſcuſſo morbo paralyſin alicuius partis incurrunt*". Affectum huic dicto *timori* ſoporoſo plane ſimilem, ex febre tertiana duplici continua, ſeu ſemitertiana ſpuria, hoc ipſo, quo ſcribimus, quoque febres augeſcunt, & paſſim indolem peiorem induunt, motusque metuendos moliuntur (1), menſe Septembri, bis obſeruauimus: in matrona plus quam ſeptuagenaria, & in Iudæo iuuene. Perierat in acceſſione vltra νυχθημερον, ſenſus omnis; ſed membra quaſi anxie iactabantur. Sublata ad noſtram methodum febre, curatus eſt morbus, neque rediit, aut noxam reliquit, conſulente mecum priori in caſu illuſtri HVGONE, poſteriori experientiſſ. VVOLFFIO, archiatris regiis, fautoribus meis eximiis. Ita, his aliisque modis, vera obſeruationum noſtrarum ἀναλογια, & conſtans regularum ſucceſſus, ac medicinæ febrifugæ præ multis febribus ſecuritas atque præſtantia, indies magis magisque experiendo, & præſtantium medicorum practico aſſenſu, elucescit.

§. III.

Libellus de Surrexit vero nuper cl. *D. ANDREAS OTTOMARVS GOE-*

(1) Hac ipſa hebdomade obiit ex caro, a tertiana non medicata, mulier ſexagenaria, ante vegeta, nec diætæ vitiis addicta, referente cl. D. *CHAPVZEAV*, collega meo honoratiſſimo amiciſſimoque, ad moribundam arceſſito. Litteræ aliunde allatæ mortem iuuenis generoſisſimi, ex eodem ſymptomate, febri tertianæ ſuperueniente, referunt. Recte ſane olim *AEGINETA*, "*carus*, dixit, *frequenter febrium acceſſionibus ſuperuenit*:" et *HIPPOCRATES GALENVS*que: *carus ſemper malus eſt.*

GOELICKE, profeſſor Francofurtenſis. & diſſertatione, *de laude febris falſo ſuſpecta*, menſe huius anni Iunio euulgata, famoſam illam deam febrem, in cuius ſacra, quaſi ipſa Hygeia eſſet, iuraſſe videtur, contra librum meum defendere, & eius medelam, quam expertus propoſui, proſcribere inexpertus attentauit. Nempe plures quidem eo noſtro opuſculo alias, de febribus & remediis variis, obſeruationes; ſed maxime etiam febricoſorum motuum, licet ſæpe ſalubrium, metuendas tamen ſæpe noxas, & naturæ ibi errores lapſusque frequentes, & genuinam indicatæ, in ancipiti potiſſimum ſtatu, medicinæ, inter febrifugas efficaciſſimæ, corticis nempe Peruuianæ, vſurpandæ methodum, eiusque generoſi medicaminis vſus inſignes, & vitandos abuſus, ſincere deſcripſimus, & propria alienaque multiplici experientia roboratas regulas ſuppeditauimus. "*Non potui ſimul*, quod in præfatione dixi, "*quin idemtidem erroneas quo-*
"*rumdam perſuaſiones, de febrium indole perpetuo tuta, & quaſi*
"*ſacroſancta, ſuſpicionesque, quibus id medicamen premitur,*
"*modeſte refellerem, ac huius demonſtrarem, ſub legitimo vſu,*
"*innocentiam, neceſſitatem, vtilitatem, & vniuerſalem fere*
"*aſſererem medicorum vere experientiſſimorum, a longo inde tem-*
"*pore, per regiones conſtitutionesque plurimas, ſtabilitum iis*
"*in rebus conſenſum: quem ſunt, qui ob diuulgata paucorum,*
"*leuibus ex cauſſis diſſentientium, vel diſſenſum affectantium,*
"*theoremata, effata, & ſchediasmata, & vagas male-*
"*uolorum, aut aberrantium ſermocinationes, ſibi ita*
"*non perſuadent, vti re vera eſt*". Inter iſta ſchediaſmata præcipue fuerunt diſſertationes duæ, cl. *D. GOELICKII* præſidio ſuffultæ, altera de *impoſtura corticis*, altera de eius *vſu noxio*, *licet recto*. Prior corticem, quicquid

laude febris falſo ſuſpecta, cur noſtri cenſorius?

quid agat, per impoſturam agere, & nunquam eſſe vtilem, ſed plane ex medicina proſcribendum; poſterior, ipſum rectum eius vſum noxium eſſe, inde eruerere conatur, quia febris animæ rationalis inſtrumentum ſit, &, vti vult ſua indole ac motibus, ſemper ſalutaris, ſemper ſapienter directa & moderata, nunquam noxia, ſed vltimum naturæ ſapientis præſidium, ad corpus a noxa & interitu vindicandum, atque adeo nunquam ſine noxa cohibendum corticis febriſugi vſu, quamuis recto. Has diſſertationes, tum ob probroſum ſcribendi genus, & dicta mordacia, quibus ſcatent, in omnes, qui ab iſtis cantilenis diſcordant; tum ob παραλογισμὸς eximios; tum ob laudationes febrium, & criminationes medelæ, plane immoderatas, ad iuſtum pondus, hoc eſt nullum, argumentis & experimentis redegi: id quod haud ſine ſale, & viuida refutatione, fieri debere, ob eas ipſas aliasque cauſſas, videbatur. Sine ſtylo tamen immodeſto diſputaui, immo ne declaraui quidem auctorem, ſed excuſaui, quaſi dubius eſſem, præſesne, cui doctrinæ & claritatis elogia vbique largiter tribui, an alius quicunque, vti in academicis diſſertationibus ſæpe fieri ſcio, libellos elaborarit, & quaſi fortaſſis exercitii tantum ac diſputationis gratia editos putarem, forte alio ſcripto limitandos, aut corrigendos. Legantur velim, & ponderentur iſta ſchediasmata, iunctis obſeruationibus noſtris, præſertim p. 11. in nota (c) p. 42. (b) 43. (d) 46. (h) 57. (h) 95. (c) 116 (h) 181. (a) 187. (e) 200. (i) 222. (b) 225. (d). In iſtorum ergo fœtuum ſuorum degenerum vltionem, indulgentiſſimus parens, ſurrexit iratus aduerſus mearum obſeruationum librum, in præfatione, & p. 28 -- 32. eiusdem *de laude febris falſo ſuſpecta* libelli. Verbis fere *BORRICHII*, ex præfatione

ad

ad librum de *Hermetis ſapientia*, rem breuiter iterum liceat explicare. Vir clariſſimus, cenſor iam meus, aculeato & iniurioſo ſchediasmate de impoſtura corticis Peruuiani, artem eo febres inutiles, vel nociuas ſanandi, ex imis ſedibus ſubuertere anniſus eſt. Multi viri periti cenſuræ illius indignitatem paullo ægrius tulerunt : eosque inter ill. *HOFFMANNVS*, edita *de corticis vſu recto* diſſertatione, artem ipſam a criminationibus vindicauit. Contra ille nil ſolidi moliri, neque moderatius agere; quin &, edito in vulgus iterum dentato ſcripto de ipſo *recto corticis vſu noxio*, inſiſtere ſubinde ferocius. Nos, vrgente in obſeruationibus noſtris occaſione, vtrique libello cenſorio iuſte reſpondimus, ſine felle tamen, ſine ſtomacho.

Nam mihi nunquam
Bilem, ſæpe iocum, tales mouere tumultus.

At ille, aſper monitoribus, cum parili rurſus diſputatione *de laude febris falſo ſuſpecta* in cathedram aſſurgere, in fremitus & conuicia deſpumare, immo ne puncticulam ferre aciculæ, qui ipſe ante in iugulum tot præſtantiſſimorum virorum infeſto mucrone deſcenderat.

§. V.

Eadem cenſura alios impetens, aliisque pluribus debita.

Hanc tertiam diſputationem titulo quidem, et aliqua parte, deſtinauit refutandæ qualitercunque ill. *BERGERI* diſſertationi ſolide doctæ, *de laude febris merito ſuſpecta*, & vindicando loco quodam *VEIGAE*, medici veteris Luſitani, de naturæ febres excitantis ſapientia, quem ill. *BERGERVS* & ſuppeditauerat, & confutarat; partim vero impugnando cl. *COHAVSENII* libro, quem is inſcripſit *archeum febrium fabrum*, quoque febres motus

naturæ, ſiue archei, vt cum *HELMONTIO* & aliis loquitur, plane violentos, & ſæpiſſime inutiles & noxios eſſe docuit, vt cortice præcipue Peruuiano cohiberi debeant. Refutare forſan æque conatus eſſet febrium laudator, ſi ad manus ipſius iam peruenisſent, quæ contra ſapientiam naturæ, cauſum, petechias, hecticam, ſimilesque febres inducentis, acriter haud pridem diſputauit celeb. *STENTZELIVS de glandularum in plurimis viſceribus abſentia* p. 31. Ignoraſſe etiam videtur editam ſuperiori anno elegantem celeb. *EL. CAMERARII* diſſertationem *de nequitia febrium*, qua appellatione, ex *CAELIO AVRELIANO* deſumta, idolum illud itidem profanauit vir vere ἐκλεκτικος, & a medica ſuperſtitione alieniſſimus. Multos prætermitto alios, qui, quotidie haud abſimilia ſcribentes, laudibus febris immodicis derogant. Quod ſi in omnes, quibus illa laudatio ſuſpecta eſt, calamum ſibi ſtringendum eſſe cenſor putet, generi humano eamdem, quam nobis, litem propediem denuntiatum iri ſpero, niſi ipſo iam facto ſit denuntiata.

Iudicium de ea exſpectandum a medicis ſinceris, cuicunque theorie addictis.

§. VI.

Ex meis obſeruationibus pauca quidem, & ad ſententias maxime theoreticas ſpectantia loca, cenſura ſua vexauit, &, ſola auctoritate ſuæ theoriæ, & recoctæ illius mutilæ ex alienis erroribus experientiæ, ſine examine legitimo reiecit, immo magnam partem ne intellexit quidem, aut intelligere noluit. Conferatur velim viri diſputatio cum integro meo tractatu, addita & perlecta prius diſſertationum biga, vti auctor vocat, *de impoſtura corticis Peruuiani*, & de eius *vſu noxio, licet recto.* Tertia, de *laude febris falſo ſuſpecta*, trigam perquam æquabilem nunc compleuit

pleuit. Frænum vero & moderamen deeſt. Vtrumque dare conabimur, per moderatas haſce animaduerſiones. De iudicio inter nos lectorum eruditorum, expertorum, ac non præiudicantium, ſecuriſſimus ſum: quamcunque etiam foueant theoricam opinionem. Nam, ne de verbis inurbanis dicam, nulli diſciplinæ probandis; ex ipſa, quam profitetur, theoria *Stahliana*, ne quidem rite concludit. Refellitur enim immoderatus febris panegyricus, ac remedii contemtus, ipſis limitationibus illuſtris *STAHLII* ceterorumque ex eius diſciplina doctorum, de natura varie & ſæpe in ratione modoque motionum ſuarum errante & labante, de motibus febrium excedentibus, peruerſis, imbellibus, hoc eſt, de ipſius febris effectibus non laudandis, ipſiusque, ad motus inutiles aut nociuos compeſcendos, tonumque roborandum, corticis vſu. Hunc præterea illuſtris *STAHLIVS* iisdem plane ſcopis, quibus nos, ceterique, quos vbertim expertos obſeruationes noſtræ oſtendunt, commendamus, recte & vtiliſſime adhiberi, tot curatiſſimis candidiſſimisque obſeruatoribus eo minus negare poteſt, quo maiorem iam ea in re fidem inter illos ipſos b. *APINO* adhibuit, quem caſcarilla putauit vſum eſſe, & hanc, ob præſtitos, iſto auctore teſte, in febre epidemia ſpecifice compeſcenda effectus, voce & ſcriptis ſæpius laudauit. Nos autem verum corticem Peruuianum *APINO* vſurpatum probauimus, non ſpurium ſeu caſcarillam, obſeruat. p. 69. ſeqq. Conf. ill. *STAHLII* colleg. pract. c. not. cl. *STORCHII* edit. nouiſſ. p. 766. ſqq. Neque eidem theoriæ obſeruationes noſtræ practicæ repugnant, quippe cuiuis hypotheſi plauſibili facile conciliandæ, & ex ſola veraciſſima multiplici experientia propria aliena-

que natæ. Explodi mereretur theoria & hypotheſis omnis, quæ vel vnico experimento euidenti ita aduerſaretur, vt conciliari non poſſet.

§. VII.

Febres medelam febrifugam indicantes.

Iterum iterumque dico, quod, inconcuſſis artis & experientiæ fundamentis nixum, in obſeruationibus meis p. 208. ſincerus ſcripſi. "*Laudo ipſam methodum STAHLIANAM, quæ mihi, quamuis cum illa theoretica opinione non conuenire fatear, egregie tamen ſæpiſſime haud abſimiliter ſuccedit. Verum, ſi qua eſt periculum minitans, vel intoleranda, vel pertinax paroxysmorum violentia; ſi nihil vtilitatis inde, & a reliqua medicatione in corpus redundat; ſi functiones naturales, & habitus corporis, non obſtante methodica curatione, in deterius degenerant; quæ omnia, pro febris & corporis indole*, (nec artis, neque artificum culpa, ſed propter febris ſæuitiem, monſtri multiformis, quod ratiocinia noſtra perſæpe eludit, *vt ait RAMAZZIN. opp. p. 52.) facile fieri, expertum quemlibet teſtor: tunc nolim equidem, & nolint ipſi illi doctores, febrifugæ medelæ vnice certæ vſum iſtis cancellis* (ſolorum, vt docent, motuum ſine materia in fine morbi cohibendorum) *includi, & ſecurum ac vtile medicamentum morbo haud ſecuro vel inutili; roborans debilitanti; craſin & tonum partium corporis conſeruans diſſoluenti ac deſtruenti; medicamentum, quod nihil moleſtiæ, niſi ſapore, creat, morbo moleſtiſſimo; id eſt, dei beneficium ſupplicio, poſtponi*". Vides, *lector candide, cuicunque theoriæ addictus*, quibus caſibus, quibus indicationibus medicamentum ληξιπυρετον vnice certum, quo vſque certum quid in arte eſt, præcipue ſeruem: vbi ſane illud non adhibere piaculum eſſe mecum arbitraberis, ſi opem omittere, quam ægro-

ægroto ſecure erre potes, æque mecum abhorres, qaum committere quicquam, vnde noxam homo capere queat. Salus ægrorum, non hypotheſeos fauor, ſumma lex eſto!

§. VIII.

Regulas & cautiones, prudenti haud difficiles, pro tempeſtiuo iuſtoque vſu ſuppeditaui, & propria alienaque roboraui experientia, ad quam non expertus cenſor lepide reſpondet: "*quid opus eſt doloſi medicaminis "vires proprio marte experiri*"? Vſum remedii ab abuſu diſtinguere, & veritati manus dare, intemperanti diſputatori nondum lubet; rationibus genuinis, & ſincera experientia pugnare ipſi hac in re non licet. Bilem ergo ſolum atram, in præfatione maxime, crude in librum meum exſpumat: quod quidem homini, præiudicatis opinionibus alte inhærentibus ægrotanti, eo lubentius condono, quia pharmaci effectus eſſe videtur, quod ipſius ægritudini, ex prioribus iſtis diſſertationibus clare apparenti, deberi reputatum, medice per noſtrum illud obſeruationum opuſculum propinaueramus. Optamus ſperamusque bonam ὑγιεργίαν, & vbi ſanis, id eſt, attentis & haud perturbatis oculis, meliora intuitus & expertus fuerit, in practicæ veritatis partes tranſitum. Quod ſi ita fiat, & vel profiteatur id cenſor, vel tacitus acquieſcat, acquieſcam & ipſe, tacitusque gratulabor non mihi, ſed veritati, de viri docti cordata aſſenſione, vel de eius contradictione poſthac omiſſa. Quod ſi ex aduerſo denuo in certamen aſſurgere, atque vlterius contra me, quique mecum ſentiunt, viros experientiſſimos plurimos, diſputare placeat, iungat, per me licet, trigæ ſuæ diſputationum quartam, & qua-

Epicriſis de cenſura generalis.

drigis in exploratiſſimas veritates inuehatur, plauſtra vero conuiciorum in ſtabulo relinquat velim, ſi ſine iis certare poteſt: quod poſſe vix ſolent, quibus mala cauſſa eſt, & præcepta opinio dominatur. Habebit me ſemper ad iuſtam, ſi qua opus ſit, reſponſionem, ſed & ad quæuis officiorum genera amice paratiſſimum, & ceteroqui perſonæ, dignitatis, meritorumque ipſius, quæ cum erroribus & effectibus affectuum animi haud confundo, æſtimatorem ſincerum.

§. IX.

Tranſitio ad examen ſpeciale.

Ibo breuiter per ſingula, quæ cenſor tetigit loca, &, ſedatiſſimo animo, ad omnia & ſingula, quæ dixit, reſpondebo. Ipſa vero prius eius verba, quibus meum opuſculum impetiuit, integre omnia hic inſeram, vt, collatis ſubſequentibus reſponſionibus noſtris, facile lectores prudentes iudicium, tum de vtriusque noſtrum moderatione, tum de cauſſæ bonitate, ferre poſſint. In præfat. p. 2. *ſqq.*. ita ipſi lubuit loqui:

Ipſa cenſoris verba integra.

"*Qui de diſputationibus academicis, inprimis inauguralibus, idem*" (quod de diſſertationibus ludicris, in laudem *podagræ, formicæ, anſeris, elephantis. pediculi, immo ipſius plane aſini*, vti auctor, lactis forte aſinini non amans, cum emphaſi dicit) "*ferret iudicium, haberet iure, quod* "*metueret, ne prudentioribus laute deridendum, immo exſibilandum ſeſe* "*præberet, vel, ſi candidius mentem explicare mihi liceat, animi ſui mali-*"*gnitatem manifeſtis plane indiciis proderet. Id tamen citra exſpectationem* "*omnem haud pridem fecit auctor obſeruationum de febribus, qui non minori* "*audacia, quam impudentia, auctori diſſertationis de impoſtura corticis Peruuia-*"*ni imputare haud erubuit, quod neutiquam ſerio egerit, ſed exercitii tantum* "*cauſſa, figuris rethoricis & variis luſibus circa artes dialecticas, luxuriante in-*"*genio eundem criminatus fuerit, (1) imo ſuſpicatur idem, optare prædictæ* "*diſputationis auctorem, quisquis demum ille fuerit, vt Americanus cortex* "*migraret in Americam, niſi conſilium eius effectu deſtitui ſalus reipublicæ iu-*"*beret (2). Verum præcipiti ſuo iudicio non ſatis fiſus, alio epiſtolaris ſuæ diſſer-*"*tatio-*"

(1) Vid. ad hæc omnia reſponſio infra. §. 11.
(2) Vid. §. 13.

"tationis loco ſubtimide ſeſe excuſat, virosque graues rogitat, vt ipſi igno-"ſcant, quod ſcripti illius, dum ſeria aguntur (quaſi iocoſa & ludicra eſſent "omnia, quæ dicta in diſſertatione ventilantur) aliquoties mentionem fecerit. "Fando enim ſe accepiſſe memorat, eſſe ex his, qui de hoc remedio (cortice Pe-"ruuiano) male informati perperam iudicant, qui ſolo titulo audito, & non "lecta, aut certe non ponderata, opella ipſa, aut re non ſatis intellecta, neſcio "quid eximii aut ſolidi inibi eſſe debere præſtituerint, & arrepto paſſimque "pronuntiato odioſo illo & indigno impoſturæ nomine, nullis rationum momen-"tis ſuffulto, ſuos aliorumque auxerint errores, cum detrimento ægrotantium. "Quibus ex verbis vnicuique colligere facile licebit, nouum hunc Thraſonem, "(qui prima vice in eruditorum theatro comparuit, ac peſſimam animi ſui in-"dolem eo ipſo ſtatim prodidit, dum non ſatis ſui compos, in quoſuis obuios, mo-"deſtia omni, qua in viros ſe multo doctiores & in praxi clinica longe peritio-"res decebat poſthabita, ingenti procacitate irruit) peſſime ſibi conſcium fuiſſe, "nec iniuria metuiſſe, ne, ſi in medicorum artis ſuæ peritorum (quos ſolos com-"petentes iudices agnoſco & admitto) manus inciderent, illique rationum ibi "adlatarum momenta rite expenderent, non ſolum calumnias, quin diffamatio-"nes manifeſtas maligni cenſoris agnituri, ſed & pari loco famoſum corticem, "i. e. noxium generique humano ſumme exitialem, eſſent habituri (3). Sed nec "hic ſatis præſidii atque ſecuritatis inueniri poſſe ratus, ſerio, ſancta ſimplicitate "deluſus, circa addendorum finem veretur, ne, qui diuinum illud beneficium "(corticem Americanum) calumniari & ſuſpectum reddere, & medicos, ægros-"que, quantum fieri poteſt, ab vſu eius abſterrere ament, deo, medicinæ dato-"ri, difficulter rationem reddituri ſint, an vanæ timiditatis, an præfractæ in "morborum impetu permittendo temeritatis immitisque in omittendo miſero-"rum ægrotantium leuamine pertinaciæ? (4) Id vero in ambiguo relinquit. "Quaſi vero grauiora iudicia eorum ceruicibus non immínerent, qui ſci-"entes volentesque infidi, immo manifeſte damnoſi remedii abuſui non ſine ſum-"mo generis humani detrimento inhærent, immo abunde licet moniti non tamen "reſipiſcunt, ſed indies potius cœpto in tramite pergendo, miſeros ægrotantes "ſperatæ ſanitatis loco in ſtatum ſumme ærumnoſum præcipitant (5).

In ipſa diſſertatione p. 28. ſqq. "*paucis* inquit, *placet adhuc examinare "ſcriptum DD. Pauli Gottlieb VVerlhofii, nuperrime editum, in quo quidem obſer-"uationes de febribus, præcipue intermittentibus & ex earum genere continu-"is &c. eruditis pollicetur, eundem tamen cum Cohauſenio ſcopum ſibi propo-"ſitum habuiſſe videtur, vt, quod alii ante ipſum modeſtius fecere, febri-fugum*

(3) Vid. § 14.
(4) Vid. § 15. vbi verba noſtra & ſententia integre exponuntur.
(5) Vid. §. 16. addatur ad totam præfationem noſtra notatio §. 12.

"fugum Americanum, quod munus vocat prouidentiæ diuinæ, remedium generosum "cui nihil adhuc ſuppar vel natura vel ars æmula exhibuerit, nouis & plane "hyperbolicis encomiis exornaret (6) atque extolleret, commodamque eo ipſo nanci- "ſceretur occaſionem inuehendi in auctores bigæ diſputationum, quarum altera "de impoſtura corticis Peruuiani, altera vero de vſu eiusdem noxio licet recto "agit, quamque poſtremam is diſputationi Halenſi de recto corticis chinchinæ "vſu oppoſitam eſſe argute ſuſpicatur. Qua tota in opella nihil in maiorem me "admirationem rapuit, quam quod ſententiam Stahlianam de natura & eſſen- "tia febris ſuam facere auſus fuerit, parum interea ſollicitus, an etiam cum re- "liquis ſuis ſpeculationibus theoreticis & inprimis cura febrium, quas ille corti- "ce Æmericano tuto & certa efficacitate ſuperari poſſe exiſtimat, conciliari ſeſe "patiatur (7). Verum deſii mirari, poſteaquam opella, fugitiuo tantum oculo "perluſtrata, animaduerti, honori ſibi duxiſſe VVerlhoſium, vt apum more ex "celebriorum medicorum ſcriptis ſuum in apiarium congereret, quicquid roſtro "ſuo abblandiri videbatur, (8) cumque hypotheſin Stahlianam phænomenis febri- "libus concinne & concatenata ſerie explicandis inſeruire probe obſeruaret, eam "adoptare nullus dubitauit, atque adeo ſponte cum illo agnoſcit, febrim in ſe "& abſolute ſpectatam nihil eſſe, niſi motum naturæ, per ſecretiones & excre- "tiones materiæ nociuæ, ad conſeruationem corporis tendentem: additque, ne "quidem mereri febrim, vt pro morbo habeatur, immo, ita docuiſſe omni æuo "hodieque ſentire ac docere vbiuis medicorum prudentum ſcholas. Id quod, ſi "ſic ſe habeat, vti veriſſimum eſt ſic ſe habere, non comprehendo, quomodo "id cum cura febrium artificiali per corticem Americanum inſtituta conſiſtere que- "at? (9) Si febris eſt motus naturæ, quo materias nociuas per ſe & excretiones corpore "emouere molitur, vel, vt Sydenhamius, magnus ille Anglorum practicus, loqui "amat, inſtrumentum naturæ, quo pura ab impuris ſecernere ac poſtmodum eua- "cuare contendit, methodus VVerlhoſio aliisque, cum quibus ſentit, conſueta, "qua ſtatim in principio febrium, nulla expectata coctione vel præparatione ad "excretionem, corticem exhibet, (10) naturæ æmula dici nequit. Rurſusque: ſi "febris eſt motus naturæ, ad conſeruationem corporis tendens, hic vero in pri- "mis ſtatim initiis ſupprimatur atque cohibeatur, euidenter conſequitur, o- "mnem nociuam materiem in corpore febricitantis concluſam manere, id quod "vero cum bona illa atque ſalutari naturæ intentione conciliari iterum nequit, "niſi probatum eant amici & fautores decantati huius febrifugi, quod & vim "alterantem, humoresque præparantem, &, hac peracta, euacuantem quo-

que

(6) Vid. § 17.
(7) Vid. §. 18.
(8) Vid. §. 19.
(9) Vid. §. 20.
(10) Vid. §. 21.

"que efficaciam possideat. Ceteroquin ingenue confitetur, modum quidem ope-
"randi non adeo esse perspectum, interim tamen naturam cortice roboratam
"partim humores coquere seu digerere, partim vero digestos sponte per vias com-
"modissimas excludere, & modo aluum subducere, modo vero diaphoresin vel
"diuresin ciere, modo salutares sanguinis fluxus, modo plane criticam saliua-
"tionem excitare, modo alia miraculosa opera exequi. Quæ omnia si corticis vi
"& efficacia in corpore humano vivo fieri vana credulitate sibi persuadeat, im-
"posturæ plenum esse, cui tantum tribuit fidei, corticem fateatur necesse est.
"Verum licet hoc modo reum habeamus confitentem, modum agendi excellentis
"ac generosi huius febrifugi nondum satis peritis artis perspectum esse, mauult
"tamen ille ingenii sui vires, quas sane non mediocres esse, quiuis intelligens
"facile ex hoc specimine sibi imaginetur, experiri, dum haruspicum more (qui,
"dum sese mutuo contuentur, in risum prorumpunt) huc & illuc incerta sua
"opinatione oberrando, tandem forte sic habere sese posse operandi corticis mo-
"dum hariolatur, (11) nempe vel agere eundem more aliorum vegetabilium ama-
"rorum, leuiter aromaticorum, & pariter austerorum, vel tonicam efficaciam
"exerere eundem, quam fibris aliquando laxioribus ventriculi potissimum, in-
"testinorum ductuumque & glandularum, &, euidentissime omnium, ductuum
"bilariorum, ceterorumque vasorum sanguineorum, lymphaticorum, neruorum-
"que, fibrarum & ductuum, præcipue in hepate, pancreate, mesenterio, liene,
"renibus, vtero, ipsisque plane partibus seminalibus &c. communicet; vel, si
"hæc forte adsensum vel adplausum apud incredulos non inueniant, in eorum
"gratiam comminiscitur vim plane balsamicam, qua chyli, sanguinis, humo-
"rumque inde deriuatorum crasis, præcipue, si exsoluta illa fuerit, coerceatur,
"vel denique, quasi portentosarum pollicitationum finem nullum inuenire queat,
"sulphur aliquod leniter anodynum sibi effingit, quod fibras & neruos vndecun-
"que irritatos demulceat, & quæ sunt eius generis figmenta plura, quæ lau-
"dato suo antipyretico liberali manu triluit (12). At vero hisce manifestis qua-
"si virtutibus corticis parum confisus, summorum virorum (quos inter disputa-
"tor certe non postremum sibi vindicat locum) vestigia sequi, & cum ipsis ad no-
"tissimum illud physicæ theoreticæ ignorantiæ asylum, quod nempe tota sui sub-
"stantia specificam febrifugam virtutem exereret, confugere maluit. Doleo vero
"vehementer Mollierii comici Gallici elegantissimi tempore non vixisse eximium
"hunc disputatorem; is enim sine dubio examini candidati sui hanc quæstionem,
"cur cortex peruuianus habet vim fugandi febres? vna cum illius responsione:
"quia habet virtutem febrifugam, comico illi actui inserturus fuisset. Ouum e-
"nim ouo non potest esse similius, quam quæstio illa Mollieriana: cur opium fa-

(11) Vid. § 22.

(12) Vid. § 23.

"cit dormire? & respondetur: quia habet vim dormitiuam. Ex vngue leo-
"nem (13). Vnum vero adhuc est, quod obiici posse prævideo: neminem de noxia
"corticis vi dignum ferre posse iudicium, nisi qui frequenti eius vsu ac sæpius
"repetita experientia prauos effectus ipse sua in praxi obseruauerit; ita quidem
"opinari cathedrales, non æque vero clinicos; constare multiplici summorum in
"arte medica peritissimorum virorum, quorum longa series exhibetur, expe-
"rientia, nihil ab istiusmodi methodo, & continuato efficaciter repetitoque cor-
"ticis vsu, si prudenter, & tempestiue fiat, damni emergere, & quæ sunt eius
"farinæ plura. Anne vero satius est, fieri alieno periculo cautiorem? Quid opus
"est, dolosi medicaminis vires proprio marte experiri? anne numerosa exempla
"eorum, qui corticis vsu male mulctati aliorum, febres methodice sine china
"curantium auxilia implorare coacti sunt, sufficientem habebunt vim, de noxia
"eius efficacia conuincendi eos, ad quos confugiunt? suntne incompatibilia, ar-
"tem docere & simul facere? Quid inter cathedrales & clinicos interfit discrimi-
"nis, in methodo nouimus. Error ingens est practicorum, sibi persuadere, pro-
"fessores artem quidem docendam, non æque vero exercendam aptos esse; Qua-
"si vbique in academiis Germaniæ non reperiantur, qui pari adplausu & doce-
"ant & faciant eamdem. Proinde oleum perderem, & operam, si vanis tali-
"bus commentis remouendis prolixe vellem immorari (14). Denique p. 35.
"mirifice, ait, mihi placuit consilium medicum, quod illustris STAHLIVS pe-
"titioni altiori satisfacturus de vsu vel abusu corticis Peruuiani hoc modo suppe-
"ditauit: nempe quod, quicunque practicus non didicerit, febres intermitten-
"tes etiam sine chinchinæ empirico vsu, methodo & medicamentis, nihil damni
"inferentibus, percurare; illi etiam huius corticis exhibitio non libera relinqui
"& concedi meretur, in cuius vsu minus cauto facile sit grauiter offendere.
"Neque vero interpretatio horum verborum eum patitur sensum, quem superius
"allegatus scriptor illis adfinxit. In cuius rei pleniorem luculentioremque con-
"firmationem, illud insuper memoratu dignum iudicauit prælaudatus STAHLI-
"VS: quod practicus ille, qui contra chinchinæ vsum insurrexerat, eodem tem-
"pore, 18. mensium ambitu, ad ducentorum ægrorum catalogum produxerit, qui
"eodem illo loco a tertianis & quartanis in sanitatem & integram & constan-
"tem restituti fuerint, ipsius consilio, methodo ac remediis; dum ex alterius
"manu, e numero paucioribus, plus quam viginti dimissi, hectici, phthisici,
"œdematosi, spastico asthmate oppressi, qui a febre in tales affectus prolapsi erant;
"quorum potior pars decedebat. Talia vero, qui legerint matureque perpende-
"rint, nec tamen ad meliorem mentem reduci sese patiantur, vix digni esse vi-
"dentur, quibus verbulum amplius dicatur. Malunt enim plena meridie cœcu-
"tire, quam semita, toties ab aliis calcata, tutius incedere. Soluant interim
hac,

(13) Vid. § 24.
(14) Vid. § 25.

"hæc argumenta, ſi poſſint, (15) dum ea, quæ a priori petita ſunt, admittere re-"cuſant. (16).

§. X.

Ignorat, vti apparet, cenſor me meumque animum atque ſtudium, quo commoda hominum, & ægrorum præcipue, & medentum, inter quos ipſe eſt, amanter, pro virium tenuitate, quærere per totam vitam propoſitum habeo, eo ſolo, nulla propria vtilitate, nulla ambitione, ad ſcribendum excitus. Legat velim, quam fugitiuo forte oculo præteruidit, præfationem obſeruationibus præmiſſam, ſubiunctamque epicriſin, vbi mentem intentionemque meam nudam ſincere pinxi, in iſtorum gratiam, quibus ignotus fuero. Agnoſcent me facile, qui norunt. Mentem intentionemque eamdem attenti lectores pernouerunt, quibus ſolis obſeruationum paginis innotui: quos inter cl. *IOERDENS* in commerc. litter. Norimb. h. a. pag. 135. ex quauis tractatus pagina cordatum meum animum, veræ ægrorum vtilitatis ſtudioſum, ſibi patere profeſſus eſt. Ipſum ego cenſorem neque malum reputaui, neque adhuc reputo; ſed ob theoricas hypotheſes nimis generaliter definientes, & ob errores alienos abuſusque cum veris medicinæ vſibus confuſos, errantem, & opinionum mordicus tenacem, nimiaque erga illas propenſione, in affectus animi abreptum, atque ideo in iudicando ſcribendoque præcipitem. Recte ita me exiſtimare, nimis quam dilucide ex his, quæ modo vberius excutienda ſunt, appariturum confido. *Præmonitum.*

(15) Vid. § 26.
(16) Vid. § 27.

§. XI.

Dissertationes academicæ exercitii caussa scriptæ.

Ludibrio bonum illum virum non habui: multo minus me cuiquam sagaciori *deridendum* aut *exsibilandum*, quæ vocabula *censoris* sunt, propinaui, quum in *observationum de febribus* pag. 11. 181. 226. disputationes academicas, immo inaugurales, *de impostura corticis*, & de eius *vsu recto noxio*, quæ ex eodem fonte profectæ, eiusdemque viri nomine, quo noua ista febrium laudatio, insignitæ sunt, non serio, sed luxuriante ingenio, & exercitii solum caussa scriptas esse, conieci. Prodiit superiori sæculo Giessæ disputatio academica inauguralis, *de purgantium remediorum e foro medico proscriptione:* de qua *VVALDSCHMIDIVS* in *epistolis amœb.* p. 37. haud valde absimile tulit iudicium. Sane regulæ instar esse potest, generalem proscriptionem remedii alicuius generosi seu efficacis vel errorem damnatoris semper arguere, vndecunque profectum, vel luxuriantis ingenii lusum. Hoc vero de censoris mei disputationibus ideo me coniicere voluisse, quilibet videt, vt iniurioſorum istorum libellorum auctorem aliquo modo excusarem, & subridens innuerem leniter, quod verum est: ludicro eos scriptore, quam serio, digniores esse. Quæ res, an mihi derisioni esse possit, iudicent lectores serii, immo & si qui sint, quibus deridere placeat. Hi etiam, quod gallico prouerbio dicitur, a meo latere stabunt puto. *Les rieurs seront de mon côté.* Sed seriæ vtilesque veritates practicæ sunt, quas proposui. *Luditur* sane nimium quam sæpe, luxuriante ingenio, in dissertationibus & theoriis academicis. Alterum

quod

quod me opinari de ſeſe non patitur cenſor, haud pudet præſtantiorum diſputationum inauguralium auctores, præſertim earum, quibus virorum inclitorum ſententiis contradicitur, profiteri, ſe non niſi *exercitii cauſſa* ſcripſiſſe. Ea, verbi gratia, eſt modeſtia ſcriptor elegantis pariter ac ſolidæ diſſertationis inauguralis Erfurtenſis *de dubia atque ſuſpecta hæmorrhoidum laude*, ſub præſidio celeb. *IVONIS IOANNIS STAHLII* hoc anno habitæ, (quicum illuſtr. *GEORG. ERN. STAHLIO* confundi non debet,) vt ipſe dicat, ſe dubia *exercitii* magis, quam tantis viris, qui in laudes fluxus hæmorrhoidum, & naturæ eum molientis, vel nimias profuſi erant, contradicendi ſtudio, oppoſuiſſe. Quem libellum ideo potiſſimum præ aliis huc adducimus, quia ἀναλογως ad hanc controuerſiam ſpectat, ac, quæ ill. *BERGERVS* ſingulari illo de febre ſchediaſmate oſtendit, de hæmorrhoidibus ita demonſtrat, vt rationum earumdem pondere nimia febrium laudatio vel magis ſubruatur. Refellat, ſi grauiſſimo ſtudio poteſt, cenſor, quæ, *exercitii cauſſa*, ſed ſine luſu, illius diſſertationis auctor, contra nimis laudatam naturæ, in ægrotante corpore, ſapientiam, atque vim præpotentem attributam, diſputauit! Vtcunque cenſorium ſupercilium contrahat, ludet ſpero operam in impugnandis iſtis, quemadmodum in noſtrorum argumentorum oppugnatione, quibus ipſum in corticis cenſura luſiſſe probauimus.

§. XII.

Excandeſcit iccirco, & ira, quæ, vt medici aliqui dicunt, febris breuis eſt, turbatus, eo ipſo, quod *Dicta contumelioſa* diſpu-

hinc relegat.

diſputationes academicas, immo *inaugurales*, alia mente, quam ſeria, ſcribi potuiſſe reputaram, *animi malignitatem* indicari conuiciatur, & me peſſimæ indolis in quoſuis obuios irruentis accuſat : nempe vt cruda iniuria vlciſceretur vel locum *SYDENHAMII*, non meum, *obſeruat. mearum* p. 240. adductum, vbi oſoribus corticis ringentibus animus probroſus imputatur, vel ea, quæ, de animo quorumdam eius remedii criminatorum, verbis *BORRICHII* & *LVCRETII*, p. 214. ſqq. moderatiſſime, ſine vllius iniuria, monueram. *Malignitas*, & *peſſima indoles*, merito febribus (2) in quosuis irruentibus a probis medicis ſæpe tribui ſolent ; non viris honeſtis, qui, artis & ægrorum commodis ſtudentes, contra aliorum theorias & obiectiones, medicamentum aliquod vtile defendunt. *Audaciæ* deinde & *impudentiæ* me inſimulat, vt ea impudentis temeritatis macula immeritum afficeret, quam oleo & ſale blande abſtergere ab ipſo conatus eram, *obſeruation.* pag. 11. *Ingentem* mihi etiam *procacitatem* obiicit, quod, modeſtia omni exuta, in *viros me longe doctiores*, & *in praxi clinica peritiores*, vt ait, *irruam.* Se puto intelligit, quod non inuideo. Neque vero irrui, neque modeſtiam exui ; ſed, rationes probe meditatus, & rem rite expertus, iuſte, & longiſſime quam ipſe in controuerſiis ſolet moderatius, contra ipſius errores & iniurias diſputaui. Quis autem metiatur illam ſcribendi in quosuis opinanti cenſori obuios licentiam, qua viri probi, & artis incrementa candide quærentes, acquiſitaque retinentes, *impoſturas* & *fucum facere* ;

(2) *Malignitatem in febribus merito & falſo ſuſpectam* limitauit nuper Altorfi *D. FLACHVS* peculiari diſſertatione.

re; qua', qui febrim pro morbo habent, *inepti ſpeculatores*; qui liquorem aliquem neruorum admittunt, *infatuati* dicuntur; &, vt ipſi arti medicæ bellum quaſi indicatur, *rectus* ipſe remedii alicuius vtiliſſimi, ac præcipuis per omnes regiones medicis conſueti, vſus perhibetur *noxius?* & quæ ſunt eius furfuris plura. Non *prima* illum *vice*, quod de me ab ipſo, quamuis non omnino vere, dici lubens patior, *in eruditorum theatro comparuiſſe*, ſat ſcio, & ſciunt ſatis, qui vel ſolas recenſiones librorum ipſius, & ſcriptas poſt ipſum hiſtorias medicinæ & anatomes, & oppoſitas ipſius operibus ſcriptiones variorum virorum doctorum varias, legerunt. Verbis contumelioſis virum clariſſimum pugnare poſſe non negaui, neque nouo illo experimento opus fuit. Specimina eius rei præfat. p. 3. & 4. iterum iterumque dare omni ſtudio ſatagit. *Compotem me mei non ſatis eſſe*, incomta obiurgatione pronuntiat iudex nequaquam competens, idque forſan ideo, quia, ſi ſerio effrænem illam diſſertationum de cortice bigam in orbem emiſiſſet, animæ ſuæ, quæ ipſi *natura* audit, errantis, & *affectibus turbatæ* miniſtrum ea in re fuiſſe, moderata loquendi formula, conieceram in *obſeruationibus meis* p. 181. Vter noſtrum oſtenderit, animum ſe ſuum regere, vel ſecus, iudicent lectores! *Cenſoris* etiam *calumniantis* ac *diffamantis*, & *Thraſonis* titulum, a me itidem longiſſime alienum, (quo ipſum obſeru. p. 225. condecorare moderate caueram) munifica manu mihi largitur. Quæ munera omnia, quippe nullo mihi modo congruentia, ne quidem opus eſt in ipſius ſinum refundere. Neque ego quid eiusmodi aduerſarium de ſe viciſſim pro talibus legere,

gere, ſed quid ſcribere me deceat, ob oculos habebo. Inania iſta verba æque me talem reddere nequeunt, ac mulierculárum iracundarum voculæ ſagas aut magos conuiciando creare. Migrent talia a controuerſiis litteratorum in Americam, ad barbaros, vltra corticis Peruuiani patriam, populos!

Votum cenſoris de emigratio, ne corticis quomodo limitatum?

§. XIII.

Pag. 11. non *ſuſpicatus* ſum, (vti præfat. p. 3. cenſor male me intelligens putat,) ipſum voto ſuo impotenti de migrare iubendo in Americam cortice limitationem addidiſſe. Ego addidi, quum ipſe in laudatione febris & criminatione remedii nihil limitet. "*Migrabit*, dixi, "*cortex; niſi conſilium effectu deſtitui ſalus rei publicæ iube-*"*at*". Et iubet ſane effectu deſtitui plurimorum ægrorum ſalus: quum adhuc nullam Europa medicinam poſſideat, æque pro indicatione febres reprimendi certam & adæquatam. Neque ſolum in ſubito metuendis febrium ex intermittentium genere periculis, & vbi iſta vrget indicatio, haud ſine formidando ægrorum detrimento, & plurium pernicie, eo medicamine carituri eſſemus, qua de re præcipue in obſeruationibus ſcripſimus; ſed veriſſimum inſuper eſt, quod alii dudum oſtenderunt, & nuper, in diſſertatione præſtantiſſima de *medico nimis timido* p. 13. neruoſe dixit celeb. *HEISTERVS*, vir doctrina, ſapientia, experientia grauiſſimus: *ſi debitis cautelis, debitoque victus & vitæ regimine adhibeatur, nullum prorſus, inde malum ſiue incommodum, ſed quam plurima commoda & vtilitates, in ægros inde re dundant. Nam a febribus contumacibus eos ſatis cito liberat, quæ per alia a timidioribus medicis commendata remedia ſæpiſſime tolli nequeunt, & quibus contra ſæpe efficiunt*

unt, vt ægri febrium harum diuturnitate præter incredibilem earum moleſtiam, viribus exhauriantur, & vel in cachexias, vel hydropes, vel febres lentas hecticas coniciantur, qui breui & absque periculo a moleſtiſſimis his morbis, legitimo vſu, liberari potuiſſent.

§. XIV.

Quæ pag. 225. dixi, rurſus non capit, ſed eo, longiſſima aberratione detorquet, quaſi *ſubtimide me excuſarem*, meoque *iudicio non bene fiſus*, vel *malæ cauſſæ conſcius*, *metuerem*, ne legeretur opuſculum de impoſtura. Clarum vero ex ipſo loco meo eſt, optime me æquiſſimo meo iudicio, & optimæ cauſſæ confiſum, rem ſuo pondere æſtimaſſe, idque ipſum petiiſſe, vt probi iudices *perlegerent* iſtam diſputationem *ponderarentque*, neque *nudo* illo, nullius rationum momentis, quod paſſim oſtendi, ſuffulto, & odioſo, & indigno impoſturæ *titulo*, ſeduci ſe paterentur: quod aliquos, incaute præiudicantes, cum damno variorum ægrotantium, quibus inanem illum titulum deinde occinerant, feciſſe fando acceperam. Hanc ibi cauſſam, quum plures ſuppetant, allegaui, cur illud ſcriptum recte trutinandum, & critico ſale modeſte fricandum, duxerim. *Veniam a viris grauibus petii*, non ob iudicium meum, ſed *ob id ſolum*, quod opellæ tantilli momenti inter ſeria aliquoties fecerim mentionem. Neque vero eius iudicii, vel vllius alterius cauſſa, veniam a quoquam petere opus habeo, qui neminem volens offendi. Si vsquam a viris doctis diſſenſi, quod, pro rei publicæ litterariæ liberta-

Excuſatio noſtra ad viros graues qualis?

te, hic illic factitaui, id decenter, & cum debito meritorum cultu, feci, modestius longe, quam alii, quos hic nominare nolo; immo longe moderatius multis viris præstantissimis, quos passim in obseruationibus adduxi, pro meis sententiis pugnantes: vt aut lectionis, aut attentionis defectum ostendat illa censoris imputatio: (p. 28.) *alios ante me modestius* id feciſſe. Nulla in me est censendi cupiditas, fastus nullus; sed medicinam ab omni sectæ cuiuscunque iugo liberam, & ægrorum salutem, rectumque ideo medicaminum generosiorum vsum, vitatis abusibus, sarta tecta volo. Ista re si qui offendantur, eos cordatus nemo dignos iudicabit, a quibus venia petatur.

§. XV.

Remedii febrifugi censura non limitata inexcusabilis.

Verba mea ex pag. 335. denuo non assequitur. *In ambiguo* me ibi nescio quid *relinquere* dicit, vbi plane nihil dubitaui: an illud num difficulter deo rationem reddituri sint, qui damnant & calumniantur munus ipsius, remedium tot ac talia, quæ demonstraueram, præstans; an vero, num id temeritate, an timiditate, an pertinacia faciant? quod quidem perinde est. Temeritas est, timore & neglectu medelæ, pertinaciter permittere morbi sæuitiam. "*Apage temeritatem a medicina, apage timiditatem, apage negligentiam!* sunt verba ill. *STAHLII* in propempt. ad dissert. de *curatione æquiuoca.* Ego, dicto loco, post descriptum, additamenti instar, candide, & ex experientia aliena luculenta, antehac per Germaniam non euulgata, nouum insignemque corticis vsum, ad perniciosissimum sphacelum cohibendum, (de quo add. commerc. litter. Norimb. a. 1733. p. 174.) his verbis colophonem libello

lo obſeruationum impoſui, quæ iterum iterumque inculcare non piget. "*Sufficiat heic vires medicinæ eius ſummo-*
"*pere in morbo nocentiſſimo* (ſphacelo) *innocuas & eximias, ex*
"*aliena maxime experientia, adnotaſſe, quæ in tam deſpera-*
"*tis caſibus, tanto ſucceſſu beata eſt, vt & imitatione pru-*
"*denti digniſſima ſit, & vel ſola hiſce ſilentium imponere de-*
"*beat, ſi qui adhuc diuinum illud beneficium calumniari, & ſu-*
"*ſpectum reddere, & medicos ægrosque, quantum fieri poteſt,*
"*ab vſu eius abſterrere amant*". Nempe ſi id, pro illaudabili deſiderio, obtinuiſſent, ipſa illa vis ad exitioſum ſphacelum haud fuiſſet detecta, & periiſſent, qui ſeruati ſunt. Pergo "denique: *næ iſti, vereor*, (numquid hoc verbum dubitatio-
"nem arguat?) *ne tandem deo, medicinæ datori, difficulter*
"*rationem reddituri ſint, vanæ dicam timiditatis, an præfractæ*
"*in morborum impetu permittendo temeritatis, immitisque in*
"*omittendo miſerorum ægrotantium leuamine pertinaciæ?* (hoc cine eſt in dubio aliquid relinquere, vbi omnia locum habent?) *niſi*, inquam, *abunde moniti, meliora acceptare,*
"*& acceptata candide profiteri, aut ſaltim, donec vſum mul-*
"*tiplicem ab abuſu rite diſtinguere didicerint, tacere diſcant*". Hoc ſolum *niſi*, hanc limitationem addidi. Si hoc eſt *in ambiguo relinquere*, reliqui tantiſper, dum pateat, an ſpes mea meliorimpleatur. Sique hæc ſcripſiſſe *ſancta*, vti cenſor tenui cum acumine ludit, *ſimplicitas* eſt, non me huius pudet. Modeſte de ipſo ſentio, dum non niſi ob præiudicatarum opinionum, tamquam ſacroſanctarum, cultum, & factorum haud expertorum ignorantiam, non autem ex profana, quæ ſanctæ ſimplicitati opponitur, verſutia, non ſcientem prudentemque, diuinum illud munus, quod nec expertus eſt, nec adhuc vult experiri, condemnaſſe;

tandem vero propediem, quum velum ab oculis fuerit remotum, vt vſus rectos ab abuſu diſtinguere queat, probaturum eſſe exiſtimo atque ſpero. Caueat velim, ne fruſtra ſperem.

§. XVI.

Tam vſus omiſſio & criminatio, quam abuſus ipſi, non excuſanda.

Abuſus, contra quos, loco reſponſionis, declamat, ad id, quod quæritur, non ſpectant. Nam, per veſtram lectores fidem, quænam iſta eſt reſponſio? quæ logica? quæ diſputandi ratio? Experientiis demonſtraui, omiſſiones iuuaminis a deo dati, immo criminationes, ab iis profectas, qui vſum remedii toties ſalutaris, toties vnice iuuantis, & morbis, quibus certo medetur, longe tutioris, e manibus medicorum excutere allaborent, inexcuſabiles eſſe, niſi illi meliora moniti acceptare, aut tacere diſcant. Reſpondetur mihi: *quaſi vero abutentibus grauiora iudicia non immineant?* Quid hoc ad ipſum vſum? quid ad excuſandas remedii criminationes? Gra iiora iudicia cui immineant, is decidere poterit, qui exploratum ſigillatim habebit, cuius latior hic illic culpa fuerit, abutentis, an omittentis: nam dolum, impoſturam, malitiam, neque abutentibus, neque iis imputo, qui vſum omittunt; ſed vtrosque bono animo errare confido. Num quid vero commiſſio abutentium, quam & ego culpo, eos excuſabit, qui vſum rectum, vbi eo opus eſt, reiiciunt? Commiſſionis & omiſſionis delicta, ſi a medicis fiant, qui rectos vus ab abuſibus diſtinguere poſſunt & debent, perinde noxæ ſunt. Sed neque hoc ſolum eſt, quod monui. De medelæ, contra tot pericula & ærumnas, tot locis temporibusque, a tot ac tantis medicis, vtiliſſimæ repertæ criminatione

one dixi, quæ, vndecunque proficiſcatur, nullo colore, nulla theoria, nullo de ſancta ſimplicitate ſcommate, nullis in abuſus declamationibus, & particularibus de horum noxa exemplis, quibus lubens ſubſcribo, excuſanda eſt, aut, in hodierna experientiæ luce, apud æquos iudices, ſine latiſſima culpa defendi poteſt. Moneat cenſor mecum, vt retineatur recte diſtinctus vſus, abuſus vero omittatur; limitet ad ſinceræ experientiæ normam! ſed deſinat ipſam criminari medicinam, vbi innoxia, vtilis, neceſſaria eſt; deſinat rectum eius vſum pro noxio tamen venditare! & habebit me votis monitisque ſuis plane concordem. *Aliis trita* dudum *via*, *aliis remediis* præter corticem, immo ſola exſpectatione, multas febres *tuto* ſanari, nemo vnquam negauit, & ego propria alienaque multiplici experientia probaui, & ſincere clareque ipſa remedia methodosque oſtendi paſſim, in obſeruationibus. Multas vero febres eſſe, quæ nec certo, nec tuto æque, ſine cortice curentur, immo eſſe, aduerſus quas nulla, extra ipſum, methodus ſufficienter valeat, demonſtrat longa per plures regiones experientia. Quænam vero illæ febres ſint, ſatis in praxi iudicabunt prudentes, qui ad illa rite attenderint, quæ ſupra p. 12. ex obſeruationum noſtrarum p. 208. repetiuimus. Hæc ad *GOELICKIANVM* proœmium reſpondiſſe ſufficiat. Add. *noſtra ad has animaduerſiones præfatio.*

§. XVII.

Corticis laudes an nouæ & hyperbolicæ?

In ipſa diſſertatione, ſine vlterioribus conuiciorum floſculis, ſed æque ſine fundamento, diſputat. P. 28. exprobrat mihi *nouas* & *hyperbolicas corticis laudes*. Vellem aliquid in obſeruationibus meis nouum eſſe. Sincere enim clareque ſcriptæ ſunt, & in ægrorum ſalutem directæ. Lau-

des vero iſti remedio me vllas dediſſe, quæ a me primum profectæ ſint, lectorum nullus, niſi qui (quod cenſor de ſe eadem pagina, pro egregio accuratæ cenſuræ argumento, dicit) *fugitiuo tantum oculo ſcriptores luſtrauerit.* Nihil enim laudaui, quod non expertiſſimorum doctorum teſtimoniis ooroboretur. Reſpondeat iis, qui nouitatem in poſterum crepabunt, *LANCISIVS*, de noxiis palud. effluu. pag. 308. *Semper*, ait, "*noua erunt re-*
"*media*, *etſi vetera*, *apud parum peritos medicos*, *qui recens*
"*autumare ſolent*, *quod ipſi non vſurparint*". Hyperbolicas eſſe laudationes, quas, ex ipſa experientia plane fluentes, regulis, explicationibus, limitationibus, contra abuſum muniuimus, quomodo inexpertus iudicare poteſt? Perlegat librum attente, &, ſine præcepta opinione; euoluat auctores; experiatur curate & plene; deinde candide iudicet! Teſtor rem ipſam, & viros experientiſſimos plures, qui ſuum mecum, ob propriam experientiam, conſenſum, poſt editas illas obſeruationes, vel publice, vel coram, vel litteris datis, beneuole teſtati ſunt, & lectores non præiudicantes omnes, me omni modo hyperbolicas laudationes ſollicite cauiſſe. Oſtendat, ſi poteſt, *hyperbolen*, hyperbolicus febrium laudator! Neget, ſi adhuc audet, *munus* hoc remedium eſſe *diuinæ prouidentiæ!* (quamuis ob oculos ſint verba, quæ, ſub finem p. 8. diſſertationis de impoſtura corticis, temere, vt molliter dicam, calamo elabi permiſit, ſpongia & obliuione poſthac detergenda. Confer. adducta *in obſeru. noſtr.* p. 240. *TORTI* & *SYDENHAMII* loca.) Neget, ſi medicorum omnium ſtylum forte eiurauit, corticem *generoſum* eſſe remedium, hoc eſt, quod magna efficacia o-

pe-

peretur, ab abuſu tamen caute muniendum ſit ! Nam hæc exempla hyperbolicæ laudationis adduxit : quod corticem dixerim *diuinæ prouidentiæ munus*, & *præſidium generoſum*, obſeruat. p. 31. & quod *nihil adhuc ſuppar natura vel ars æmula exhibuerit*, nempe, vti addidi, quod cenſor omiſit, quantum ad adæquatam, certam, ſimulque tutam efficacitatem attinet, ad febres ex genere intermittentium profligandas : obſeruat. p. 32. Monſtret orbi medico, quod par ſit, & gloriam inuentionis ad omnes poſteros habebit ! Nos cum omnibus, quos p. 35. & paſſim toto libro adduximus, auctoribus ſinceris & expertis, & certum id febrium earum remedium merito diximus, & nihil adhuc ſuppar potuimus reperire. Expertus ſit oportet, qui iudicare velit. Solide celeb. *CAMERARIVS* cautel. medic. pag. 428. "*Optimum medicamenti* "*effectus explorandi modum* dicit, *ſi ſeorſim, nec aliis mixtum,* "*in vſum ducatur, & quidem per certum & longum tempus,* "*& idem medicamentum ſimili in caſu, iisdem correſponden-* "*tibus circumſtantiis, non ſemel, ſed crebrius in vſum tra-* "*hatur. Exemplum*, ait *præbere queat cortex Peruuianus,* "*quem, poſt innumera magnæ virtutis ſpecimina, formidare ali-* "*qui & ſuſpectum reddere non deſinunt. Sic ne optima qui-* "*dem remedia certa euadent ac tuta, quantumuis ſuis nobili-* "*tata effectibus, niſi quorumdam guſtui deprauato arride-* "*ant*".

§. XVIII.

Maxime ſe *miratum* p. 28. dicit cenſor, (idque mihi mirum non videtur, quia ſententiam peruerdit) quod *Febris qua limitatione, inſtru-*

p.

mentum naturæ vtile dici mereatur ?

p. 131. ſqq. ill. *STAHLII ſententiam de natura & eſſentia febris meam facere* auſus ſim, & me *non curare* putat, quomodo cum *ceteris meis ſpeculationibus theoricis, & præſertim cum cura febrium per corticem Peruuianum, conciliari poſſit.* Veneror virum illum, ob multa in rem medicam meritorum nomina. Diſſenſum vero, qui in praxi parum aut nihil momenti habere debet, ab eius theoria, & ſententia de natura & indole febris, modeſte iis ipſis paginis, & p. 303. ſqq. declaraui: quem ipſe ægre non feret. Neque meam ego theoriam cum iſta theoretice conciliare optaui, aut opus eſſe ratus ſum. Practicum vero deſideraui ſperauique cum viris ſinceris, iſti theoriæ addictis, conſenſum, & id dicto loco oſtendi, "*quamuis etiam concedam, febrim, abſolute & in ſe*, generali conceptu, *ſpectatam, motum eſſe naturæ, per ſecretiones & excretiones materiæ nociuæ, ad conſeruationem corporis tendentem, immo, ſi a conſueta notione*, "(quam nos tamen ſeruamus)" *ſecedere lubeat, ne quidem morbum vocari merere; attamen illam febricitationem, quæ, abſolute ſpectata, motus erat ſalutaris, ſi in concreto, quod dicunt*, (hoc eſt, in corpore ægroto, ſub variis humorum, vaſorum, fibrarum, locorum, temporum, materiæ morbidæ, motuum nimis violentorum, aberrantium, deficientium, criſeos imperfectæ, errorum naturæ, diætæ, medicationis, quibus ægros vbique ac ſemper medici prohibere non poſſumus) "*conſideretur, multa ipſam pericula, moleſtias nimium graues, longas, recidiuas idemtidem induce*". Quæ quando ita fiunt, tum ego neque naturæ, neque febri, quæ ipſius inſtrumentum eſt, (vti cum *SYDENHAMIO*, prudenti corticis dandi magiſtro, dixi,) confidere, neque effrænem aut

Limitatio noſtra.

aut labaſcentem ducem ſpectator in foueam ſequi, neque æmulari volo; ſed confugio ad remedium, quod inutiles & nociuos motus, recto vſu, adæquate compeſcat atque corrigat, naturamque in ſanitatem & functionum integritatem, vere naturalem, & febrili motu certiorem, reſtituat, reſtitutamque roboret. Recte, puto, ill. *BERGERVS* in elegantiſ- *Bergeri.*
ſima diſſertatione, de *laude febris merito ſuſpecta* § 23. "*quam-*
"*quam*, ait, *quæ natura duce fiunt, quam optime fieri dicuntur; ta-*
"*men nulla* προαιρεσει, *nulloque conſilio, ſed potiſſimum motus ſolida-*
"*rum & liquidarum partium diuino artificio conſtructarum, & ſe*
"*mutuo agitantium, miniſterio, automatice*, nec raro *ita fiunt*,
"*vt id, quod a* natura *exſpectatur*, auxilium, *nunc* lentum
"*ſit*, *nunc* dubium; *cum contra illud, cuius copiam* medici-
"na *facit*, *remedium*, *a prudenti iudicio arbitrioque noſtro pen-*
"*deat*, *&* iuſto tempore ac modo *adhiberi queat*". Idem ſane deus & naturam humanam, & labantis errantisque auxiliatricem medicinam condidit, & limites virium vtrisque poſuit, quarum obſeruatio artem medicam genuit, &, ad iuſtas regulas, vel exſpectare medicum, vel agere iubet, multa quippe præſtare potentem, quæ natura nequit, ſcientem multa proſpicientemque, quæ natura, etſi ſapiens proprie dici mereretur, tamen ignoraret, vel proſpicere non poſſet. Confer. quæ idem vir excellentiſſimus § 3. & 4 de confeſſa multarnm febrium ſalubritate, & e contrario § 20. ſqq. de ipſorum motuum febricoſorum in ſolidis fluidisque partibus noxa facili, egregie diſputat, nec refutata a cenſore, nec vnquam ſolide refutanda: quod idem dictum eſto de illuſtr. *HOFFMANNI* diſſert. de re- *Hoffmanni.*
cto corticis vſu §. 32. 33. qui huc itidem ſpectant. Iun- *Camerarii.*
gantur, quæ egregie ad ill. *STAHLII* obſeruationes de

ſalubritate febrium notat celeb. *CAMERARIVS* cautel. medic. p. 514. ſqq. item p. 202. Idem p. 212. "*vtiles*, ait, *vulgo dicuntur febres, & origo quædam nouæ ac conſtantioris poſtea ſanitatis: nec negandum eſt, frequenter febrim cruciens naturæ motum, noxia expellentis, eorumque mole corpus liberantis; ſed nec id negandum, frequentius in corpore, ſub decurſu febris, præſertim diuturnioris, eam gigni ſuccorum prauitatem, ea cacochymiæ ſtamina, quibus tollendis, fortiori ſæpe cuneo opus ſit: ita vt facilius ſit, ſub febrium tumultu gigni obſtructiones, quam tolli, oriri viſciditatem particularum, quam corrigi, cumulari cruditates, quam abſumi, vt non niſi caute circa iſta febrium commoda deceat ratiocinari*". Ipſe *CAMPANELLA*, qui febrem non eſſe morbum, ſed remedium, in medicinal. Lib. 7. p. 60. ſqq. diu ante cl. *STAHLIVM*, paribus argumentis defendit, ſuo illi remedio non bene fiſus eſt, quod probauimus per locum, ex eodem libro, in obſeruationibus noſtris p. 15. nota (g) adductum. Comparat alibi, p. 633. haud ineleganter, bellum febrile ſpiritus, vt vocat, contra hoſtem, ſeu naturæ contra materiam morboſam, & damna corporis inde ſæpiſſime oriunda, cum bello in propria ciuitate, eiusque effectibus. "*Qui*, ait, *in propria domo & ciuitate bellum gerunt, accipiunt vulnera, & minuuntur viribus: item ipſorum domus & ciuitas multis affligitur damnis, tum abello illatis & commiſſis, tum ab omiſſis functionibus ad gubernatum pertinentibus.*" Felix, qui mature bellum domeſticum, vbi neceſſarium non eſt, aut periculoſum, pacare in perpetuum, tumultuumque cauſſas tranquilla poteſtate enerare, & turbatores, re publica exire paratos, eiicere ſine

Ipſius CAMPANELLAE veteris febrium laudatoris.

ſine certamine nouit, neque moroſe tergiuerſatur, aut martios imitatur conſiliarios, qui, turbis delectati, ancipitem ferocis pugnæ euentum placidæ certiorique pacificationi adæquatæ temerarii præferunt. Sapienti ſatis.

§. XIX.

Gratias politiſſimo iam quidem cenſori ago, quod, in eadem pagina, elogio me mactare voluerit, quod lubentius ipſi, quam male dicta ſuperiora, retribuerem. "*Ani-*
"*maduertiſſe ſe* dicit, *honori me mihi duxiſſe, vt, apum*
"*more, ex celebriorum medicorum ſcriptis, meum in apia-*
"*rium congererem, quicquid roſtro ablandiri videatur.*"
Enimuero, cum vnius hominis, aut paucorum, quicunque illi ſint, theorica ſcientia, & propria experientia multis ſemper imperfectionibus laboret, & facillime aberrationem a vero admittat, non moror ea, quæ cl. *GOELICKIVS* in præfat. periodi quintæ hiſtor. medic. vniuerſal. contra medicinam eclecticam, quam curioſo titulo ſectam vocat, & contra celeberrimum virum, qui ἐκλεκτικον ſe profitetur, duriter diſputat; ſed, memor *CASSIODORIANI* illius, "*nemo iuſtius aſſidue legit,*
"*quam qui de humana ſalute eſt ſollicitus,*" medici genuini id officium ex præcipuis eſſe arbitror:

Impiger in medicos æui veterisque nouique
Se diffundat agros, vt florilegusque popellus
Mellifluas epulas in publica commoda condens,
Germina quæque legat, nec ſeſe mancipet vlli
Totus, at omnigenas per docta volumina fruges
Blanda ſalutiferæ decerpat pabulamenti.

Laus medicinæ electicæ.

Inhæreant alia animantia vni ſoli, per totam vitam, plantæ, & inde ſolum, reliquis ſusque deque habitis, & nu-

triantur, & nomen adſciscant! qualia paſſim hiſtoria naturalis memorat. Mihi apum & mos, & labor, & fructus placent. Placet quoque candidum celeb. *CAMERARII* ad ipſos artis medicæ profeſſores monitum, in præf. cautel. medic. "*Abſit, vt ii, qui fideliter aliis artem tradere* "*ſaluberrimam allaborant, ſe mancipando ſectæ cuiusdam* "*principiis, ſeruituti eidem ſuos quoque diſcipulos inuol-* "*uant.* Eleganter etiam *BAGLIVVS* prax. l. 1. c. 12. §. 5. "*formica*, ait, *colligit & vtitur, vt faciunt empirici, qui* "*hinc inde experimenta venantur, iisdemque, nec obſeruati-* "*one repetita confirmatis, nec dilucido examinatis ratioci-* "*nio, paullo poſt indiscriminatim vtuntur. Aranea ex ſe* "*fila educit, neque a particularibus materiem petit: ita fa-* "*ciunt medici ſpeculatiui, ac mere ſophistici. Apis deni-* "*que ceteris ſe melius gerit: hæc indigeſta e floribus mella* "*colligit, deinde in viſcerum cellulis concocta maturat, iis-* "*demque tamdiu inſudat, donec ad integram perfectionem* "*perduxerit*". Sane & lectione multifaria, & ſelectorum digeſtione, & maturatorum perfecta applicatione medici γνησιως ἐκλεκτικὸς eruditio abſoluitur.

§. XX.

Curatio per corticem probe congruens noſtræ ſententiæ de febre naturæ inſtrumento,

Neque vero de intelligentia cenſoris mei ſollicitus ſum, neque id curo, quod pag. 29. dicit: *ſe non comprehendere, quomodo cum cura febrium artificiali per corticem conciliari poſſit ea ſententia*, dum, (indefinita propoſitione, quam pro regula probe digerenda, ac exceptionibus, præſertim quod ad effectum moliminis, maturanda, *apum more*, vt ait, ſelegi) *febrim* ipſam, quamuis toties noxiam, ſtatui *eſſe naturæ inſtrumentum, quo partes impuras a pu-*

a puris ſecernat v. ſupra præfatio noſtra. Hoc dixi ſemper docuiſſe prudentum medicorum ſcholas; non, quod ille mihi affingere videtur, ſuæ ſcholæ proprium humanæ animæ rationalis, aut cuiuscunque naturæ, intra corpus humanum intelligentis & moderantis, conatum, propria ſapientia æſtimatrice, & libero pro ea arbitrio, nixum: quam ego hypotheſin nunquam in meam theoriam adoptaui. Aeque eam adoptare recuſant doctores exteri pæne omnes, & Germanorum longe quam plurimi, & ipſe illuſtris auctor pro demonſtrata atque neceſſaria nemini obtrudit. Naturam humani corporis non ipſam animam rationalem, neque, quem ignoro, archeum eſſe, arbitror; ſed mechanicum & hydroſtaticum ſolidarum fluidarumque partium diuerſiſſimarum artificium diuinum, cum ſingulis particulis primitus impreſſo, & ad naturales motuum leges procedente niſu, motu, & directione, partiumque corporis ita ſtructi proportione, tum inter ſe, tum ad ceteras naturæ vniuerſi partes, a quibus vel extrinſecus afficiuntur, vel intrinſecus: nempe intra ipſum hominem, partim ab anima corpori iuncta eiusque affectibus, partim a particulis corporeis motibusque intra hominem enatis; extra, a corpore naturali quouis, quod in humanum agere queat. Hæc natura, quæ mihi ſufficere videtur, certiſſime exſiſtit, & ſeſe euidenter exſerit in motibus non voluntariis, quos ab anima ſapienter moderamen accipere nemo in ſe ſentit, neque quisquam probare poteſt. Huius *naturæ* dico eſſe inſignes *in conſeruanda & reſtituenda ſanitate vires*, quod peculiari de illis diſſertatione ſolide præter alios demonſtrauit medicus excellens, multis mihi nominibus parentis inſtar

venerandus, *BRANDANVS MEIBOMIVS*, qui & alia dissertatione aduersus *animæ potentiam ad restituendam sanitatem* docte disputauit. Addant vero illi, quam diximus, naturæ nostræ, si sufficiens haud videatur, alii archeum, alii occultam animæ rationalis sensibilitatem, atque vim, sine nostra conscientia, sciendi, æstimandi, agendi. Nolo contradicere, si ita lubet. Ille tamen spiritus, illa anima, si qua sit eiusmodi vi instructa, tamen tum propter res corporeas quam plurimas, quæ in ipsius potestate non sunt, tum propter sua pathemata, suam ignorantiam, (quamuis scientia mirabilis, quasi intuitiua, ex statu innocentiæ & geniorum natura arcessita, gratis tribuatur) facile & aberrare & labascere posset. Remedium itaque, quod naturæ subueniat, & ipsius molimina erronea corrigat, corporeaque vitia auertat, omnino optandum est, neque, vbi inuentum est, damnandum, sed, datis per signa indicationibus, experiendnm caute, & contra abusus muniendum. Nos naturam sæpe sponte sanare, vel sanationem iuuare, per ipsam structuræ, motuumque, etiam febrilium, & proportionum rationem physicam, cum omnibus medicis agnoscimus; errare vero, vel labascere, & medicinæ moderamine indigere; in febrium, aliorumque morborum motibus, fateamur necesse est, quando sponte, ex ipsa structuræ, motuum, proportionum ratione physica, inutilis ægritudo, vel periculum quodcunque consequitur. Atque tunc ea mala non per naturæ sapientiam, quam proprie vllam esse non liquet, & quæ erranti, qua tali, ne quidem affingi potest; sed per medicam artem, diuinum illud munus, perque opem medici, qui naturæ & reme-

remediorum vires, & quo vsque illæ ſe extendant, doctrina & experientia ſolida edidicerit, auerti, pro acquiſitis artis progreſſibus, poſſe ac debere, recte profecto arbitramur. Sapienter vero celeb. *MEIBOMIVS* in *de naturæ in reſtituenda ſanitate viribus* p. 34. "*morbo-*"*rum*, inquit, *ſolutiones, quæ arte miniſtra, ſiue interueni-*"*ente artifice fiunt, etiam naturæ opera cenſeri debent, &*"*ſic etiam ſolutiones naturales non male forſan vocari poſ-*"*ſunt: immo ipſa curatio morborum medica nihil aliud no-*"*bis eſſe videtur, quam naturæ a medici prudentia adiuta &*"*directa operatio*: & p. 40. *naturæ motus quales ſint re-*"*ſpicere medicus debet, &, nunc fræno nunc ſtimulo vſus, ni-*"*mios ac turbulentos pacare & cohibere, languidos promoue-*"*re, inſufficientes ſupplere, aberrantes a via in illam redu-*"*cere, inordinatos ordinatos reddere, imperfectos perfe-*"*ctos facere conabitur: coniunctis ſic cum natura viribus o-*"*peratur medicus.*" Comprehendunt ergo ſatis peritiores, quod cenſor non vult comprehendere vid. ſupra adducti auctores incliti, *SYDENHAMIVS, BERGERVS, CAMERARIVS*, quibus addi poteſt *TORTVS* in therapeutica ſpeciali, vbique febres depurantes a noxiis diſcriminans, & ſæpe inutilem, ſæpe vtilem, ſæpe neceſſarium corticis vſum oſtendens, item, ſi lubet, obſeruationes noſtræ ſect. 2. §. 7. ſqq. ſect. 5. §. 8. 9. ſect. 6. §. 1. 2. & innumeri alii medicorum libri. Piget fere in re clara amplius diſputare, & ſophismaticos cenſoris ſyllogismos operoſius deſtruere, qui ſponte iam coruunt.

§. XXI.

Quam fruſtra pag. 29. generaliter, poſt factam fugitiuo oculo lectionem, dicat, *methodum mihi conſuetam eſſe, vt* *Methodus adhibendi diſtincta.*

vt ſtatim in principio, nulla exſpectata coctione, vel præparatione ad excretionem, corticem exhibeam, patet cuiuis, qui attente legerit, quam caute & diſtincte ea in re procedendum doceam, pag. 57. 64. 73. 139. 198. ſqq. 200. ſqq. & patebit longe vberius ex opere, quod de febribus molimur, ampliori. In obſeruationibus enim illis, quamuis cetera quoque clare docuerim, potiſſimum tamen problema de febribus ſubito periculoſis, corticis opem expoſcentibus, reſpicere debui, in quibus longas exſpectationes ſibi proponere abſurdum foret, quia, vt *LANCISIVS* de noxiiis palud. effluu. p. 308. de eiusmodi febricitantibus, ibique procraſtinato corticis vſu dicit, "*non ægro-*"*tum, ſed reſolutos pæne illius cineres curandos ſuſciperes*". In iſtis caſibus merito attenditur, laudatum a *b. STISSERO*, in *febrium conſid. noua* monitum *PALINGENII*:

cito curam adhibe, tenuis dum morbus adhuc non
Aſſumſit vires, nec ineſt penetralibus hoſtis!
Ignis ab exigua naſcens extinguitur vnda:
Sed poſtquam creuit, volitantque ad ſidera flammæ,
Vix putei, fontes, fluuii ſuccurrere poſſunt.

Quando ergo citiori methodo ſine exſpectatione opus eſt, quam cenſor *naturæ æmulam* non credit, nempe quando nulla longioris præparationis exſpectationisque genuina indicatio adeſt, & periculi metus vrget, tunc febricitantem hominis ægri naturam ſuperſtitioſe colere nolo. Vniuerſæ potius naturæ, quatenus ad humanam referri debet, atque adeo medicamentorum etiam vim & indolem complectitur, miniſtrum me profiteor, atque illius theſauros, in labantis naturæ humanæ ſubſidium natos, arceſſo, & hanc, facta, vbi opus eſt, præparatione, ac dato medicamine

ne efficaci, quod ipſum coctionem materiæ euacuationemque præſtat, & naturæ robur addit, in rectum tramitem quam primum reuoco, ſanamque factam, & ſuas functiones, ſine noxia perturbatione, recte peragentem, vel ſibi relinquo, vel iuſto tramite progredientem, ſi opus eſt, miniſter adiuuo. Perlegi meretur elegans *b. BOHNII* diſſert. de *præmaturiori intermittentium fuga* ſæpe falſo *ſuſpecta*. Pertinet eodem, quod ill. *BERGERVS* de inflammat. pag. 31. experientiſſimus profatur: "*febri-*
"*um intermittentium tutiſſimum pariter & fortiſſimum*
"*remedium eſt cortex Peruuianus, cuius vſum qui principio*
"*illarum diſſuadent, ægrosque febre aliquamdiu vexandos*
"*cenſent, antequam illum adhibeant, nihilo plus ſapiunt iis,*
"*qui hydropis, febres illas excipientis, culpam in eumdem*
"*conferunt. Nam ſatis præclara ſuarum virium exem-*
"*pla prodidit in debellandis non ſolum nouis, ſed etiam in-*
"*ueteratis, iisque cum œdematoſis pedum tumoribus, & a-*
"*qua intercute febre collecta, coniunctis, itemque continuis*
"*ipſis, nulla omnino vomitione, aut ſanguinis miſſione, aliaue*
"*exinanitione ſenſibili adhibita, quarum aliam atque aliam*
"*interdum quidem neceſſariam, ſæpiuscule autem inutilem*
"*ac perniciosam exiſtimauerim.*

§. XXII.

[Quod deinde cenſor *euidenter ſequi* dicit, id ego conſequi omnino nego & pernego: *ſi febris*, ait, *eſt motus naturæ, ad conſeruationem corporis tendens, hic vero in primis ſtatim initiis ſupprimatur, atque cohibeatur; omnem materiem in corpore febricitantis concluſam manere.* Con-

Recto eius vſu materia febris in corpore non cohibetur.

trarium paullo ante adductis obſeruationum locis clare demonſtraui. Legat illa attentus, &, quod nequit, refellat cum ratione & experientia, aut id faciat, quod ſuaſi pag. 118. quodque omni diſputatione præſtantius erit: rite experiatur, & probet! Ipſe iam fatetur, falſam fore ſuam conſequentiam, *ſi vim alterantem, humoresque præparantem, &, præparatione peracta, euacuantem in cortice eſſe, euictum fuerit.* Euici vero rationibus in experientia propria & ſummorum virorum, quam allegaui, fundatis, paſſim, & præſertim pag. 232. ſqq. Reſpondeat contra iſtam experientiam, hoc eſt, oculis clauſis lucem & colores neget, non expertus, neque experiri volens, immo alios ab experientia prohibens cenſor! cui iſta, quorum præcipuam partem omittit, dum nihil plene excerpit, *miracula* videntur, quæ experientibus quotidiana ſunt. Quod de ſaliuatione critica notaui, non meum experimentum, ſed *HELVVIGIANVM* eſſe dixi. Exſtat aliud ſaliuationis criticæ a quartana exemplum in *hiſtor. morb. Vratisl.* p. 224. Cetera his oculis vidi. Si ab iſtis omnibus etiam receſſero, quæ ad ſenſibus obuias ſubitasque excretiones criticas, a cortice euenientes, pertinentia oſtendi, ſufficere vel ſolum poteſt, quod ſubiunxi & probaui: ab adæquato iuſtoque eius vſu "*colorem, vigorem, appetitum, & integram redire ſanitatem*" (1). Hæc vero ſigna ſunt certiſſima reſtitutæ perſpirationis inſenſibilis, & motus tonici,

(1) Noto obiter, diſſertationem de febre quartana *ALBINIANAM*, ex qua hæc ipſa verba l. c. excerpſi, auctorem agnoſcere reſpondentem b. *D. IOH. IAC. CHüDENIVM* Soltquellenſem, qui, doctrina eximius, magnoque in praxi applauſu

nici, & æquilibrii naturalis, quo facto deinde omnes excretiones rite procedunt. Atque adeo, si non κρισις subita, λυσις tamen morbi, & lentior morbidæ materiæ eiectio, blande a cortice sequetur, vel medicina alia facile præstari poterit, quod l. c. vberius deduxi. Varietas effectuum ab vno eodemque remedio, si, vt innuit censor, impostura arguit, accuset oportet impostura pilulas *BECHERIANAS*, ipsius scholæ acceptissimas, & sexcenta alia, & naturam ipsam, & laudatissimam suam febrem, quæ indole & effectibus Proteus est. Frustra ad speculationes de modo operandi in corpore viuo delabitur censura, qua de re mihi ibi sermo non est, qui de factis expertis, & de obseruata efficacia remedii loquor, quæ, pro vario corporis habitu, diuerso modo salubris est. Natura sapiens an mechanica remedio roborata, an ipsæ etiam magna ex parte particulæ remedii, eos effectus, partim specifice materiam febrilem alterantes, partim, pro materiæ nisu, & viarum διαθεσει, euacuantes, partim fibris & humoribus tonum & crasin reddentes seruantesque, præstent, perinde est, dum modo ea fiant, quæ fieri, si quid est in arte nostra certum, recte administratis omnibus, certissimum est, quod experientes sciunt.

§. XXIII.

Ingenue me confiteri, quod pag. 30. exprobrat censor, *Modus a-modum gendi non*

applausu vsus, præmaturo fato, ex vomica pulmonum in Italico olim itinere contracta, decessit anno 1698. Accepi hæc ex eius fratre, fautore meo honoratissimo, medico summopere docto, experto, & boni publici studioso, *D. CHRISTIANO FRIDERICO CHüDEN*, physico veteris Marchiæ regio, auctore libri elegantissimi vtilissimique, quo noua methodus ad atrophiam infantum, & caussæ medelæque periculorum, quæ puerperis accidunt, docentur. Sperat ab eodem res publica medica optatque continuationem actorum medicorum Berolinensium, quam promisit.

plane perſpectus.

modum agendi generoſi huius remedii artis peritis nondum ſatis eſſe perſpectum, nequaquam pudet. Ea in re ſocios habeo, quicunque cautius pronuntiant. Si eius ſententiæ reus ſum, *confitentem* me, vt ait, reum profiteor. Atque hoc ipſo, tantum abeſt vt quicquam ipſi largiar, vt potius labefactetur omnis theoretica contra illud remedium disputatio. *Hariolandum* vtique, quod noſtrum verbulum cenſor captat, id eſt, dubitanter coniiciendum in re tam recondita, neque ſcitu neceſſaria, & ad experientiæ amuſſim ac ἀναλογιαν praxeos methodum ordinandam eſſe; non e tripode quaſi Apollinis ſententiam decretoriam, propter theorias de modo agendi imperfectas, pronuntiandam, recte profecto exiſtimo. Quam apte talia ad haruſpicum vanitates ablegat auctor, qui ipſe nihil fere niſi coniecturas crepat theoricas, quas pro certis veritatibus liberaliter elargitur, & e quibus omnia, quæ ad earum normam non quadrare ipſi videntur, experimenta aliena euidentia præiudicat & condemnat! Haruſpices vero veterum non ſcapham ſcapham appellabant, quod ego feci, qui coniecturas coniecturas, experientiam experientiam vocaui; ſed cerebri ſui theoremata ſuperſtitioſo populo propinabant, tamquam cælo delapſa, ſacroſancta & indubitata. Quod ſi iſti haruſpices veteres, ſeſe inuicem intuentes, riſum, vti cenſor dicit, retinere vix poſſe, ob ſpeculationum ſuarum vanitatem, *CICERONI* viſi ſunt; numquid clariſſimo diſputatori, ſique aliquis ipſius hypotheſi addictus obuius fiat?, eclecticus quisquam eminus acclamet: *riſum teneatis amici?* vbi in mentem venerit, quod p. 12. ipſe theoreticus curioſus de laude febris immerito ſuſpecta indignatur: *ſpeculatores quosdam febrim pro mor-*

morbo inepte declarare. Declarant ſane aptiſſime communi & medico loquendi vſui, qui non ſpeculantur, ſed *ſentiunt* pathemata febriculoſa. Neque *ſpeculatione* eam in rem opus eſt quæ, profecto adhiberi debet valde a ſenſu mali abſtracta, ſi medicus ipſe, dum febre laborat, hanc bonum opus animæ ſuæ, non morbum eſſe, perſuadere ſibi velit, quem omnia ſæcula, omnes populi id vocant, quo præter naturam corpus affligi, & eius functiones lædi, ſentimus. Medici vero genuini, nequaquam haruſpices vani, licet exta ſedulo conſiderent, dum intima humani corporis viſcera, & penetralia materiæ medicæ, probe rimantur, teneritudinem partium, abditamque plurium ſubtilitatem mortalibus adhuc imperueſtigabilem, & medicorum omnium iccirco in magna theoriæ phyſicæ, phyſiologicæ, & pathologicæ parte ignorantiam clare perſpiciunt, & modum operandi remediorum plurimorum, præſertim ſpecificorum quæ audiunt, non plene intellectum, nec pro partium diuerſitate ſatis determinatum eſſe, agnoſcunt: quamuis in aliquibus prope ad ſcopum pertingere, & varia clare noſſe, liceat. Quantumuis vero ſæpe magis minuſue deficiat iſta de modo agendi theoria, ſufficit tamen regulas de recto vſu, experientia perfecta ſtabilitas, præſto eſſe: v. qui hac in re plane nobiscum ſentit ill. *STAHLIVS* in de alterantibus & ſpecificis p. 30. ſqq. & 38. item de lumbr. terr. c. 2. p. 13. 14. Iungatur ſectio obſeru. noſtr. 6. §. 1. 2.

§. XXIV.

Quas ego de corticis modo operandi coniecturas feci, ex manifeſtis qualitatibus effectibusque ſenſui obuiis de- *Monita circa coniecturas de*

modo agendi. ductæ ſunt, & pro partium elementorumque ratione diſtinctæ, nemini vero obtruſæ. Iſto coniecturæ nomine ibi caute & ſincere vſus ſum, dum inquirenda prius, quam decidatur, p. 259. enarrata, alii loco ſeruaui, vbi, quod dixi, oſtendere conabor, quo vſque ars in ea perueſtigatione peruenerit. Obſeruationes ſcribere, non, quod alibi facere propoſitum eſt, theoriam integram nectere, mens fuit. Coniecturas vero illas meas, quas, partim a cenſore omiſſas, pag. 260. propoſui, & ibi ſuo ordine legi cupio, iunctim volui ſumendas, vt ſingulæ iſtæ virtutes, pro varietate partium remedii & corporis humani, cortici haud abnegentur. Neque vaga mihi eſt, vti cenſor imputat, opinatio, nec vagum illud *vel*, *vel*, quod inſerſit, vsquam adſcripſi. Neque finxi quicquam, aut commentus fui; ſed, quæ omnia ante me viri eximii, phyſico, chemico, medico examine nixi, itidem coniecerunt, indigitaui, &, quod neceſſum eſſe arbitror, quodque longe curatius ſubtiliusque facere licuerit, diſtinxi. Quæ de vaſorum ſpermaticorum tono per id remedium roborato ſigillatim monui, quæque cenſor miratur, eo ipſo, vt plura hic omittam, ſat manifeſta fiunt, quod de vſu corticis in hæmorrhagiis vteri ſæpe refrænandis, roborandisque aduerſus abortionem grauidis, multorum auctorum teſtimonio, & vera experientia, euictum eſt. De vi balſamica in ipſis iam obſeruationibus, pro re nata, ſatis diſputauimus: ſulfuri anodyno *HOMBERGIANA* experimenta chemica cauerunt, ne quis, præter cenſorem noſtrum, vir doctus ad eius mentionem obſtupeſcat. Conſpirat eminentior aliorum medicaminum febrifugorum, præſertim amaro-

rorum, chamomillæ, nucis moſchatæ, caſcarillæ virtus anodyna. Oſtendi vero præcipue, quod potiſſimum volui, vim eius remedii, quod natura, vt ſolet, ex variarum partium miſcela formauit, quoque tam ſingulares præ omnibus aliis effectus præſtantur, ad ſolam adſtrictionem, præſertim nullo diſtinctam modo, aut ad partes corporis diuerſas reſpectu, temere adſtringi: quum longe latius medicamenti proprietatem atque vim patere, & multas alias etiam qualitates ei ineſſe, partim ex diuerſitate particularum, & effectuum experientia manifeſta, partim coniecturis probabilibus inde collectis, & nulla demonſtratione refutandis, probari queat. Appoſite ill. *BERGERVS* in dein flammatione p. 32. iudicat: "*rationi conciliatur corticis efficacia, cum vis non minor* "*aperiens & diſſoluens ac diſſipans in minima lentorem febrilem,* "*quam corroborans, in ea inſit: ſecus atque opinantur, qui ob-* "*ſtructiones inde, febres duplicatas, & cachexias metuunt',* "*naturæ tanti remedii ac vſus, indolisque febrium ignari.* Coniectura mera eſt, & haud ſufficiens, quod ſtringendo febres fuget, id quod in obſeruationibus noſtris, præſertim pag. 46. ſqq. 256. ſqq. & indicatis ibi auctoribus pluribus, ſatis dedimus demonſtratum. Adſtringat vero, & agat adſtringendo, quod & nobis videtur! non tamen nihil præterea agit, nec id ipſum ita eſt comparatum, vt vitio verti queat. Veriſſime vir profecto experientiſſimus, b. *IO. CAROL. SPIESSIVS*, in progr. Helmſtadienſi de corticis Peruuiani virtute & modo operandi: "*adſtrin-* "*gendi,* ait, "*virtus, quæ communiter in cortice accuſatur, non* "*tanti eſt, vt inde aliquid noxæ metui debeat. Secretiones* "*naturales nequaquam impedit, ſed potius promouet, ſicut hoc* "*rectiſſi-*

Vis corticis adſtringens.

"*rectissime notauit PITCARNIVS.*" Enimuero, vti probe monet ill. *HOFFMANNVS* in de febrium intermitt. hypothesi, §. 21. "*non agit principio quodam styptico, sed blando,* "*terrestri, leniter constringente, amaro, naturæ & neruis* "*amico elemento: dumque leniter constringit, simul ipsis fi-* "*bris robur, motum, & elasticitatem fœnerat, vnde ad ma-* "*teriam inhærentem extrudendam promptiores euadunt.* Id quod effectus probati abunde demonstrant, qui præsertim in exterminatione febrium tam insigniter clari certique sunt, vt, cum ipsa materia harum indolesque nondum satis explorata sit, textura itidem ac mixtio elementorum, remedii non satis perspecta, sed illi effectui singulariter accommoda, præter manifestas, quæ in sensus incidunt, particularum qualitates, omnino subesse videatur.

§. XXV.

De virtute febrifuga specifica, & de asylis ignorantiæ medicæ.

Hanc, *specificæ virtutis febrifugæ* titulo, quem pag. 31. censor carpit, cum summis viris, pro hoc remedio, de quo practicas obseruationes scripsi, sub ista explicatione, quam pag. 262. sqq. exhibui, tantisper, donec theoria clarius explicata sit, appellare non dubitaui. Certum & specificum ea notione dicimus, quæ medicamentis & mortalium rebus apta est, quorum singulis proportio ad res circumstantes limitem ponit. Quo sensu radix ialappæ certo & specifice aluum, ipecacuanhæ vomitum, cantharides vrinam, hydrargyrus saliuam cient, atque hic, cum guaiaco & sarsa, luem veneream sanat; eodem cortex Peruuianus, iusto loco, tempore, proportione, cautione vsurpatus, febres ex genere intermittentium verarum

rum certo & ſpecifice penitus exterminat. Nihil ergo nobis aduerſatur cl. *IACOBAEVS*, medicus Danus, qui in theſ. miſcellan. I. 3. omnium remediorum efficaciam incertam eſſe, ob inſignem temperamenti, victus, ſexus, ætatis, climatis, tempeſtatum, animi pathematum, indolis morborum, aliarumque rerum diuerſitatem, & ob mangonia pharmacopolarum, diſputat, & corticem pariter adeo incertum in febribus intermittentibus remedium opinatur, vt ſpecifici vix mereatur titulum. Probare hanc theſin nititur exemplo, quod in itinere ſtudiorum cauſſa ſuscepto obſeruauit, *febris epidemiæ* Londinenſis autumnalis & hibernæ a. 1727. cum lumborum dolore, horrore, & mox ſequente æſtu, *intermittentis quidem*, vti dicit, *ſed ſine vlla regulari periodo anomalæ (1)*. Hanc cortex, neſcio an integre (2), ſuspendiſſe, ſed, fortius poſt aliquot hebdomades regreſſam, debellare nullo modo potuiſſe perhibetur, quin magnus quotidie perierit ægrorum numerus, aut in tabem, hy-

Iacobæi dubitatio de virtute certa & ſpecifica.

fundatur in vna hiſtoria epidemia febris anomalæ.

G dro-

(1) Quæ nullam plane regularem periodum habent febres, licet intermittentes videantur, non tamen ex verarum intermittentium genere, certe ſolitario, neque corticis vſui opportunæ eſſe ſolent. Subeſſe interdum vero obſeruatoris error poteſt, vt duplices multiplicesque, vel etiam compoſitæ febres pro plane irregularibus habeantur, quod cauemus attente obſeruando morbi indolem epidemiam, ſingularemque, & conſiderando circuituum ſibi inuicem reſpondentium rationem: vid. *obſeru. noſtr.* p. 61. ſqq. 174. 268.

(2) Quod ſi etiam ex vero intermittentium genere ſit febris, eoque ſolitario, cum nulla aliena compoſito, adeoque ad rectum corticis vſum opportuna, ea tamen in re poteſt peccari ab artificibus minus peritis, ægrisque moroſis, ſine culpa remedii, quod minus adæquate, quam pro methodo, hoc eſt, non ad plenam iuuaminis integritatem vsque, adhibeatur. Hinc faciles noxæ morbi ad pericula ſponte proni. v. *obſerv. noſtr.* p. 94. ſqq. 109. ſqq. 228. ſq.

dropemue fuerit prolapſus. cl. *IACOBAEVS*, tunc a pauco tempore Londini degens, viro cuidam eiusque coniugi ex ea febre laborantibus, aliter medicinam fecit. Maritum longo vſu infuſarum cum aqua & vino albo herbar. abſinth. centaur. min. millef. & rad. galangæ; vxorem, enormiter cum febre vomentem, pulueribus tertia quaque hora datis ex rad. contray. drachma dimidia, lap. cancr. gr. XXVII. croc. gr. III. nitr. pur. gr. XII. interpoſito iulapio ex aqua & ſyrupo pœoniæ & meconii, iunctisque conſeruis amaris cum ſyrupo caryophyllorum, intra quatriduum ſanitati reſtituit. v. *Iournal des ſauans* 1732. *Sept.* pag. 47. *ſqq.* & inde illuſtrentur, quæ ex eodem diario breuiter excerpta in *nouis litter. Lipſ.* & inde in *commerc. litter. Norimb.* h. a. pag. 92. referuntur. Febris illa ex genere intermittentium verarum, certe ſolitario, præſertim in infelicibus iſtis reuerſionibus, quæ haud ſcio an iuſta methodo præpediri potuiſſent (3), fuiſſe vix ac ne vix quidem videtur, vt omnino vſus corticis ibi non fuerit

Febres recidiuæ præcauendæ.

(3) Non ſolum corticis vſus opportunus, & primariæ febri adæquatus, verum etiam iuſta ad reuerſiones præcauendas methodus requiritur, vbi indoles ὑποτροφώδης metuenda eſt. Quamuis enim ſæpe vel nulla, vel minus timenda, poſt cortice fugatam febrem, recidiua eueniat, eſt tamen, vbi ſpes apprime fallit, & regrediens morbus vel multis moleſtiis, vel chronicis acutisque periculis ægrotos expoſitos reddit. Exemplum inſigne de ſtatu epidemio periculoſo, reuerſionibus eiusmodi febrium intermittentium obnoxio v. in *eph. cur. nouiſs.* vol. I. pag. 465. ſqq. Iterum igitur moneo, qui noſtra methodo, & corticis ad febres vſu opus habent, ne negligant regulas; vt *(1)* non prius ab vſu ceſſent, quam obtenta integra ſanitate; tunc vero *(2)* continuare præter neceſſitatem nolint; (v. *obſerv. noſtr.* p. 119. §. 8. 120. 128. ſqq.) ac *(3)* vt in tertiano febris genere ſimplici, duplici, multiplici, poſt *vnius*; in *quartano* autem

rit opportunus, adeoque certus ſpecificusque eſſe minime potuerit. Vid. paria omnino in *obſeru. noſtris* p. 50. ſqq. & auctoribus pluribus ibi nota (d) adductis. Vellem tamen hiſtoriam febris epidemiæ iſtius, methodorumque iuuantium vel ſecus, vberiorem, a medico, qui clinicam popu-

 larem-

tem, & rariori *quotidiano vero*, poſt *duarum hebdomadum* intercapedinem, per vnam hebdomadem integram idem medicamentum æque efficaciter, ac prius, repetant: quo facto certe reuerſiones præcaueri obſeruatum eſt, noxasque inde metuendas penitus præpediri. v. *obſeru. noſtr. tota ſectione quinta*, item p. 235. ſqq. 270. ſqq. Medicos clinicos ſinceros iterum hac occaſione rogamus, vt obſeruationes ibi propoſitas de tempore reuerſionum vel motionum recidiuarum exſpectandarum, ex morbi natura, periodice ordinato, methodoque ad huius rationem medendi, attente in ſua quoque praxi conſiderent, &, pro communi vtilitate, ſua obſeruata itidem edant, aut nobiscum communicent. Nobis veritas rei indies magis magisque experientia propria alienaque firmatur. Gratias agimus viris præclaris, qui hanc ſigillatim, de reuerſionibus prænoscendis & præcauendis, practicam obſeruationem ſuis concordibus experimentis, in commune nobiſcum beneuole collatis, iamiam corroborarunt: quos inter cl. *D. GLADBACHIVS*, medicus Mœno Francofurtenſis egregius, cui ante aliquot iam annos notatio illa methodusque noſtra, ante editum librum, transmiſſa fuit, ad fratrem ſuum germanum, chirurgum hic regium primarium, litteratiſſimum, quem amicitiæ cauſſa nomino, nuper ſcripſit, ſibi, & experientiſſimo *D. VON DER LAHR* certam eius rei veritatem non ab eo ſolum tempore indies experiendo eluxiſſe, ſed &, priores praxeos ſuæ obſeruationes memoria recolendo, clare repertum, rem ita plane, vti dicto loco adnotauimus, cum febrium reuerſionibus ſe perpetuo habuiſſe. Ita vero eſt, & nos iſta noſtra methodo adhuc ſemper præcaueri, tum tertianarum, tum, quod minus ordinato vſu, licet copioſiſſimo, ſæpius non fieri ſolet, quartanarum reuerſiones, & molimina recidiua, ita ex ingui obſeruamus, vt plena & conſtans ſanitas impetretur. Præuertuntur ita pericula & noxæ morbi ad reditum proni, immo & ipſe nimis longus tædioſusque remedii vſus, cuius exemplum habet cl. *LANZONVS*, *eph. cur. ioſ.* l. c. vbi propter reuerſionum non præpeditarum frequentiam quidam plures libras pulueris corticis ſenſim deuoraſſe narratur.

laremque praxin ibi tunc exercuerit, deſcriptam adeſſe. Tunc clarius morbi vel methodi vitia, & remedii in illo vires ac defectus, elucerent. "*Neque vero*, (quod cum *b. BOHNIO* de præmatura febr. interm. fuga ſuſpecta p. 22. dicere licet) "*diffiteor, experientia conuictus, cunctas fe-*
"*brium intermittentium haud æque facile cortici illi cedere, vt vt*
"*circa adminiſtrationem & vſum eius ſe omnia recte habeant, ſi*
"*nimirum vel contumacior hoc impediat cacochymia, ſeu crudi-*
"*tatum abundantia, praua diæta, aut conſtitutio aeris epide-*
"*mica ſingularis: quale quid, quum pariter deprehendamus*
"*ſub aliorum remediorum, alias ſatis efficacium, vſu, nec eius*
"*virtuti ac nobilitati aliquid detrahere valebunt hæ circumſtan-*
"*tiæ.*" Talia ergo certæ iuſti vſus efficaciæ nihil derogant, neque, genuina ac pro regulis noſtris limitata notione, ſpecifici titulum, quippe huic remedio, ſi cui alii, debitum, demere queunt. Requiritur vero vſus rectus, tempeſtiuus, efficax, adæquatus, qui, ſi quacunque in re deficiat, remedium ipſum ſuo iure ſpecificum eſſe non deſinit. Nomen hoc aſylum ignorantiæ humanæ phyſicæ theoreticæ, non medicæ practicæ, eſſe dixi, & iterum iterumque dicere, & meam, quæ communis eſt, & in praxi plane non nocet, ignorantiam ſine ambage profiteri, nullus dubito. Vera ſunt verba *VVELSCHII*, obſeru. propr. dec. 10. conſ. 10. "*Natiua hæc*
"*eſt mentis imbecillitas humanæ, quam omnibus communem*
"*nemo non ſentit; quo quisque tamen eſt indoctior aut ar-*
"*rogantior, minus agnoſcit, quo magis ingenuus aut pru-*
"*dens, promtius fatetur.*" Sequor ergo ea in re cordatos medicos fere omnes, immo inter hos ipſum, quem magiſtrum ſuum cenſor venerari debet, ill. *STAHLIVM* imitor,

Specifici titulus cuius ignorantiæ aſylum?

imitor, de quo celeb. *FÜRSTENAV. desiderat. medic.* p. 364. dicit: "*iustam habuit caussam doctissimus STAHLIVS de dy-*
"*senteria, determinatam illam in canalem intestinorum ener-*
"*giam, quæ in purgantibus, ipsaque visitur dysenteria,*
"*ἄρρητον τι appellandi: PAVLVS vero AMMANNVS ingenue,*
"*vt solet, paræneſ. ad disc. p. 329. quæstionem de modo operan-*
"*di purgantium, vt & aliorum medicamentorum, indetermina-*
"*bilem pronuntiat. De modo vero vt sit, & operandi ratione,*
"*hisce fortasse absque singulari careremus incommodo.*" Inter ipsos vero, qui sese principiis *STAHLIANIS* addicunt, cl. *STORCHIVS*, cuius libris, si ab ipsius illustris magistri operibus, & historiis annalibusque Vratislauiensibus recessero, vix quicquam practica vtilitate par ex ista schola sese mihi obtulit, in notis ad *STAHLII* collegium practic. edit. 2. p. 1033. "*corticem Peruuianum*, ait, *non sola vi*
"*adstrictoria, sed tamquam medicamentum specificum, febres*
"*cohibere confido. De eo autem, qua proprie in re specifica*
"*virtus consistat, responsionem exspectabo illorum, qui specifi-*
"*ca antepileptica & antispasmodica reiicere nequeunt.*" Hæc vero sese possidere ipse illustr. *STAHLIVS* laudat, & prædicant sectatores, ægrique curati haud pauci. Quum autem in ista nostra confessione, de modo agendi non satis explicato, sed specifico, se inuenisse putet censor, non, quod pueri in faba, lætiorem personam induit, & incipit iocari, vehementem dolorem comice affectans, quod *MOLERII* comœdi tempore ego non scripserim, forte ne nænias quasdam hodiernas refellere iam possim. Ab illo nempe eleganti, sed hyperbolico, & risum populi captante irrisore medicinæ omnis, in comico examine, indocto candidato propositam quæstionem (*cur opium*

Comicus censoris iocus.

facit dormire ?) addita reſponſione , *(quia habet vim dormitiuam)* cum hac , pæne omnium medicorum more recepta, appellatione virtutis ſpecificæ febrifugæ comparat. Euge quam belle ioco comico epiphonema illud cenſor ſubiungit : *ex vngue leonem !* nempe quia eodem primam vnguiculam artis contra experientiam obloquendi , & ratiocinandi a mutilo ad perfectum, a particulari ad vniuerſale, ex ipſius diſſertatione de vſu corticis recto noxio , per omnia talem artem ſpirante, decerptam, ego primum condecoraram in obſeru. de febribus p. 57 nota (h). Scilicet virtutem adſtringentem , ad ipſius cenſoris modum, vnice allegare difficilius forte fuiſſet, & doctius, & rei enodandæ magis aptum ! Huius vero ego eruditionis, ſi diis placet , quæ vulgo hodie indocto paſſim vno verbo inſtillatur, me non ignarum eſſe iam oſtenderam, adſtrictionisque , & plurium aliarum rerum æque clararum , mentionem ſufficienter feceram inter coniecturas, & qualitates corticis manifeſtas, quæ ad illam vim febrifugam explicandam non ſufficiunt. Vereor autem, ne illud ad animam naturam , febres omnes, omnia ſymptomata, intentione ſemper ſapienti & ſalutari, excitantem, perpetuum refugium, (quod a doctiore præceptore non ita præmonſtratum eſt , neque præmonſtrari pro rerum natura debuit,) medicum vel potius medicaſtrum non vnum, comico illi ſimilem, hoc eſt , ſine labore & ſtudio fungi inſtar natum , facile in ſua caſtra recipiat : qui deinde, limitum indoctus, omnem exin artem præiudicet, iſto glorioſus theoremate, in iſto ſolo , facilibusque ſine limite conſequentiis, theoriam omnem ; in libello vernaculo practico , forte b. *VVEISBACHII* , aut ſimili , omnem

Aſyla alia.

mnem praxin ſecum portare ſibi viſus. Quot & quanta hic ignorantiæ nocentiſſimæ aſyla quæret! Cauent arti a talibus profeſſores, cuicunque theoriæ addicti, qui iuſtos, ex doctrina & experientia antiqua & noua, theorematum experimentorumque laudi & vituperio limites tribuunt, & primum *HIPPOCRATIS* aphorismum ſedulo diſcentibus inculcant. Sed hæc obiter. Vide, ſi placet, quæ eam in rem de abuſu indocto theoriæ organicæ, docto & limitato vſu haud culpandæ, monet celeberr. *STENTZELIVS* in de *glandularum in plurimis viſceribus abſentia* §. 23. Grauior certe eſt, quam iſta ignoratio modi agendi, ignorantia doctrinæ de febribus inutilibus & nociuis, & de potiori earum medela, iuſtaque methodo hanc adhibendi, quam inſcientiam qui habent, immo & lubentes affectant, & theſauri inſtar fouent, ad exſpectationis inutilis, remediorumque nihil aut nil certi agentium, immo ſæpe noxiorum, aſyla confugiunt, quæ alii rectiora edocti merito auerſantur. Eſt & talibus *aſylum ignorantiæ politicum*, Macchiauello medico dignum, quod *b. STISSERVS in febr. conſider. noua* pag. 101. deſcribit: "*credo iam*, ait, *ſupercilioſe hæc contemnere, & in me dirigere tela medicos, quorum phantasma pro piaculo habet curare febres, ne hydrops, paralyſis, phthiſis, aliique morbi chronici grauiores ſubſequantur*;" (docet autem eosdem non curatis febribus accedere, cum pediſſequa morte, ſub cura ipſorum contradicentium) "*ſatius vero eſſe & ſanitati magis conducibile, ægrum a febre aliquamdiu diuexari & labefactari; quemadmodum* indoctis, "& mulierc ularum *quarumdam otium ſequentium* credulitati "*firmiter inculcant, quo*, illarum loquacitate, ignorantiæ *ſuæ* "patrocinium *adipiſcantur*" Alia item ignorantiæ aſyla, ad

quæ

quæ confugere mihi non placet, culpaui in dissertatione de *medicina sectæ methodicæ veteris eiusque vsu & abusu* p. 18. sq. vbi de hypothesibus; alia rursus accusat laudatus *STENZELIVS* in disquisitione *de asylis ignorantiæ in chirurgia & medicina vsitatis*, & in *de naturæ Stahlianæ in chirurgia impotentia*, in quibus vindicandis habebit censor, quod laboret. Oleum enim & operam aduersus me disputando sese perdere, haud inepte dicit.

§. XXVI.

Oleum & opera perdita.

Exhibui p. 182. sqq. cathalogum sat longum partis alicuius celebratissimorum virorum, qui experti nobiscum sentiunt, quorum plurimi medicinam & docuerunt & fecerunt, quod & ipsi mihi propositum fuit, aut etiamnum faciunt docentque: neque vero vsquam dixi, aut vnquam reputaui, quod sibi spectrum impugnandum (p. 32.) sumit censor, pari id applausu fieri non posse. Attamen certum est, si qua sit cathedra, quæ rationis & experientiæ limites negligat; quæ siue hypotheses suas theoricas, siue particularem experientiam, vel aientem, vel præcipue etiam negantem, pro praxeos vniuersæ norma discenti iuuentuti obtrudat; quæ sibi probatarum rerum laudes, improbatarum vituperia, vltra modum profundat; quæefficacium, & recto vsu innocuarum medelarum metu horrifico, immo vel interdictis, loco limitati inter vsum & abusum discriminis, discipulorum imbuat animos; certum, inquam, est, nimium tunc fore inter hos, si a cathedræ subselliis recedant, & inter medicos vere clinicos differentiæ. Si qui ita docti forsan sint, & deinde ad pra-

praxin, præſertim copioſiorem, ad ipſos ægrorum lectos, inter morborum Proteos, & perſonarum, locorum, temporum diuerſitates innumerabiles, accedant; quam hærebit aqua! quæ, ſi ſcholæ ſuæ ſenſu nimium ſibi placeant, aſyla quærent! quot denique & quantas exceptiones practicas a cathedræ ſuæ regulis, ſenſim ſenſimque, lectione, meditatione, experientia potiora edocti, candidi, neque amplius præiudicantes, agnoſcent atque acceptabunt! Mallent tunc aliter didiciſſe prius, quam ad propriam praxin deueniſſent. Cauebunt talia profeſſores prudentes: neque, ſubito conditis aphorismis haud limitatis, oleum & operam perdent, id docendo ex cathedra, cui praxis contradicat. Sed hæc per traſennam dicta ſunto. Præuidere ſe dicit cenſor, obiectum iri, quod ego aliique dudum merito obiecimus: non niſi expertum rite iudicare poſſe, id eſt, oleum operamque perdere, qui nil niſi hypotheſes & alienos abuſus obiiciat. Scimus vero legitime experientem quemuis, & vitia, quæ ipſi cauere docemus, omittentem, conſenſurum nobis eſſe. At, inquis, veſtigia abutentium me terrent: felix, quem aliena pericula cautum faciunt. Terreare veſtigiis, quibus & nos terremur, ideoque ſollicite non niſi recte vtentium tramiti inſiſtimus, neque quemlibet, ſed rectum generoſi medicaminis cuiuscunque vſum probamus; hoc vero, quod medico indignum foret, medicinam miſerosque ægros priuare nolis! Sis cautus, quod & nos omni ſuademus modo; ſed & temeritatem, infido morbo, quem ſanare recte adhibita medela potes, nimis confidentem exuas! Inſcitum eſt, quod cenſor reponit: "*quid opus eſt doloſi medicaminis vires proprio marte experiri?* Non doloſum medicamentum, ſed fidum, quo omnino opus eſt,

quatenus tale, & innumeris experientiſſimorum virorum experimentis ſat exploratum, & contra abuſus limitatum eſt, innoxia imitatione experiri iubemus; aut ſaltim, ſi ſibi ſoli ſapere velit ignarus, alios æque inexpertos, vanis ſine experientia requiſita dicteriis, aut conuiciis, abſterrere ne ſtudeat: quæ quidem expertum & prudentem neminem abſterrebunt. "*Sufficere ad euincendam noxiam efficaciam*, & ad omittendum ſibi vſum omnem remedii eius, mirabili ratiocinatione affirmat, "*quod multi, qui eo adhibito*, "certe peruerſe, ſeu febribus male curatis, *male mulctati* "*ſint*, *aliorum ſine cortice methodice curantium auxilia im-* "*plorent.*" Nullus peritorum medicorum eſt, qui non plurimas febres ſine cortice curare ſciat, nullus, cui talia, ex peruerſo vſu omnis generis remediorum, & ex male, quocunque medicamine, curatis febribus, aliisque morbis, quotidie non obueniant exempla. Et medici & medicaſtri errant in præſtantiſſimorum medicamentorum præbitione, & implorantur alii medici, qui errores corrigant. Ergone quisquam adeo in iudicando præceps eſſe, adeo omnem ratiocinandi artem pedibus proculcare debet, vt ipſam medicinam omnino omittendam, ipſum rectum vſum noxæ conuictum proclamet, eoque plane ſibi aliisque interdicat? Hoc quia apud cenſorem valet ratiocinium, reprobet oportet materiem medicam omnem, quantumcunque generoſam & efficacem, immo aqua & igne interdicat, ſi qui forte miſeri, flamma vel vndis male mulctati, ipſius auxilium emendicent. Non talibus παραλογισμοις, ſed vel analyticis argumentis in contrarium, quæ non dantur, vel conſenſu pleno in æquas limita-

limitationes, & vſuum abuſuumque discrimina, quæ nos vrgemus, reſpondendum erat ad adductas obſeruationes & experientias aientes, felices, innumerabiles, tantorum, quos allegauimus, virorum; vel tacendum omnino. At cenſor noſter, poſtquam ea, quæ hactenus refutauimus, σπερμολογων elocutus eſt, dumque a noſtrum cenſura ad ſuum febris panegyricum reuertitur, quem nos non curamus, "*oleum & operam perditurum ſe* ait, *ſi vanis talibus commentis vellet immorari*". Dignus cenſuræ principio finis! Si obſeruationes & experientiam tot allegatorum teſtium, magnam partem viuentium, medicorum ſui ſæculi principum, commenta vocare voluit, non eum tam impudentem credo, quin ob ſuum ipſe effatum erubeſcat. In eum impoſturæ crimen quadraret, qui obſeruationum commenta orbi obtruderet, & experientiam affirmaret, quæ nulla eſſet. Sed commentum puto vocauit, quam ipſe commentus ſibi eſt, a nemine factam obiectionem, de qua dixi, quaſi medicinam ſimul docere & facere incongruens eſſet: quam ſententiam refutatione non indigere concedo. Neque vero refutationem, & aduerſam diſputationem, ſed ſinceram aſſenſionem, merentur tot noſtra, & luculenta ac inſignia excellentiſſimorum, quos indicauimus, auctorum experimenta. Sane in hac controuerſia de febribus & medela febrifuga, contra exploratas veritates diſputando, oleum & operam perdidit cenſor perdetque. Perdidit item olim, vt alia iam taceam, cum *corpus medicinæ mutilum* fingeret, ac *reſarciendum* eſſe diſputaret, *per pharmaciæ & chirurgiæ* exercitium, ſolis ſimul medicis demandandum, chirurgos & pharmacopœos orbe exterminandos crepans: quam diſputationem ſingulari libello refutauit cl. *D. STOER*, fautor meus & amicus

micus honorandus. Vt alibi operam melius collocet disputator, prius quam oleum lucernæ deficiat, optamus.

§. XXVII.

Votum de licentia corticis vsurpandi limitandum.

Denique alio denuo loco p. 35. ad me redit, innuitque, me *obseru.* pag. 118. contra ill. *STAHLII* mentem explicasse aliquod eius monitum. Simile fere huic esse videtur, quod *SPIGELIVS* in de semitertiana pag. 38. habet, vbi pulueris Cornachini, tamquam remedii generosi, tunc nouiter inuenti, eiusque vsuum insignium, sed & abusuum, mentionem facit. "*Tirones*, inquit, *practicos monitos volo*, "*vt veterum prius medendi normam sequantur; deinde, vbi in* "*hac sese aliquamdiu exercuerint, etiam noua remedia, &* "*quædam meliora, cum fiducia vsurpent.*" *STAHLIVS* in notis ad *HARVEVM* pag. 216. monet: "*vt, qui febres aliis* "*medelis tutis curare ignoret, is etiam a corticis vsu prohibe-* "*retur.*" Idem ego optaui; sed simul, & recte profecto, quomodocunque illustris auctor intelligat, ita votum limitaui: vt, qui artem medicam probe non calleat, neque antiquæ nouæque eruditionis & experientiæ penu instructus sit, atque inde sciat eas febres aliis remediis tutis curare, quæ corticem, tamquam vnice certiorem, non necessario indicent, & sine eo satis tuto, celeriter, & iucunde, curari possint, ille etiam ab huius vsu prohibeatur, & ab aliis generosioribus medicinæ præsidiis. "*Vtinam*, dixi, & adhuc opto, *a potentum liminibus aura* "*votis nostris secunda adspiraret!*

§. XXVIII.

Allegata ex alienis erroribus experientia manea.

Ibidem censor meus vnicam adducit periodum, vbi mentio fit experimenti alicuius, de noxio corticis abusu, quem nos nunquam negauimus. Res vero neque noua nobis est, neque ex propria auctoris experientia, sed ex eodem

eodem, quem diximus, loco ad *HARVEVM*, de *arte cur. per exſpect.* neque ex ipſius illuſtris *STAHLII* teſtimonio, verum ex alterius medici cum altero litigantis imperfecta relatione, deſumtum. Simultas medicorum inter ſe æmulantium impurus cauſſarum in obſeruationibus eruendarum fons eſt. Res ſic ſe habet. Medicus quidam practicus alicubi inſurgebat contra chinchinæ vſum, &, quod lubentiſſime credimus, integre conſtanterque ſuo conſilio, methodo, & remediis curatorum ex tertiana & quartana febre ægrorum catalogum intra ſesquiannum ad C C. producebat; "*dimiſſis interea* "*ex alterius medici manu, e numero paucioribus, plus quam XX.* "*hecticis, œdematoſis, quin actu aſciticis, ſpaſtico aſthmate op-*"*preſſis, qui a febre in tales affectus prolapſi fuerint, adeo* "*vt potior eorum pars deceſſerit.*" Huiusmodi rerum rationem inuenire eſt in experientia antiqua de omnis ἀμεθοδιας in febribus noxa, & in obſeruat. noſtr. p. 57. ſqq. ſect. 3. §. 8. ſq. ſect. 5. §. 7. ſq. Solui iſtiusmodi ſyllogismos iubet cenſor: vt eadem formula obiectiones meas qualitercunque eludat, qua ego de aientibus, neque mutilis experimentis, merito vſus eram, *obſeruat.* p. 256. quamque ipſi, vti alias noſtras, imitari placuit: quaſi in proprio ſtylo non haberet, quod, ſine noſtri imitatione, quam nobis gratulamur, regereret. Soluti vero illi eius pſeudoſyllogismi ſunt dictis obſeruationum locis, quæ, fugitiuo tantum oculo perluſtrans, neglexerit oportet, quum cenſuram præcipitaret. Catalogum illum curatorum febricitantium ducentorum non miror(1). Plures

(1) Ad corticem Peruuianam, mutatis mutandis, recte applicantur, quæ b. F.

heic breuiori temporis ſpatio, ſub epidemia febrium, curamus ſine cortice, quoties iſto opus non eſt (2). Recte b. *BOH-*

b. F. SCHRADERVS, in de *venæ ſectionis vſu & abuſu in febribus* §. 7. eleganter, vt omnia ſueuit, effatus eſt: "etſi rebus ad votum fluentibus toties in febribus, cum internarum partium inflammatione coniunctis, venæ ſectio adminiſtrata fuerit, &, proſperrimo effectu ſequente, adhuc hodie a cordatis medicis, experientiæ ratione ſuffultæ tramiti inſtentibus, adminiſtretur; nihilominus tamen, pudore amiſſo, confidenti lingua, oggannire audent non pauci, qui, ſpreta vulgari, quam appellant, methodo, tot perſanatos pleuriticos, tot angina correptos, aliosque innumeros recitant, quibus ne guttula quidem ſanguinis ſtillauit. Sit vero ita, vt multi ſine venæ ſectione fuerint ſanati! intelliget ſane quiuis prudens medicus, quando admitti debeat, & quando omitti illa poſſit; nec inutilem ac maledictam illam pronuntiabit, quæ tot his morbis grauiſſime decumbentes liberauit. "Ita ſane ſe res cum cortice etiam Peruuiano habet, &, quamuis plurimæ febres ſine eo curentur, haud raræ tamen viciſſim ſunt, vbi id dicere licet, quod nuperrime in ephem. A. N. C. nouiſſ. vol. 3. obſ. 48. de febribus intermittentibus epidemiis Bononienſibus, viceſimæ incolarum parti a. 1729. funeſtis, cl. *Beccano* ſcriptore legimus: "aduerſus has febres vnicum in Peruuiano cortice præſidium fuit. Cetera omnia, ſi minus officere, at certe non magnopere prodeſſe viſa ſunt."

Kergeri febrifuga.

(2) Vt varias extra corticem iuſtas methodos, ac remedia plura in febribus non laudandis, neque naturæ ſoli permittendis, feliciter nobis vſitata taceamus, multas ſuſtulimus perfecte puluere febrifugo *Kergeri*, quo is ſtatu endemio epidemioque felici, vltra mille tertianas, quartanas, aliasque febres ſanauit, ex ἀνὰ coralliis & cryſtallis tartari, in obſerv. noſtris p. 43. memorato, quem, a declinante accesſione, per quadrihoria ad drachmam dimidiam dedimus, cotinuauimusque pro re nata. Quod ſi cenſor noſter non contentus fuerit his, quæ de eo ibi puluere, eiusque auctore, viro præſtantiſſimo, notauimus, ſique nondum ipſi exemta eſt iſta condolens admiratio, quam in de impoſtura corticis §. 5. indigno cum σαρκασμῷ exclamauit; adeat nepotem b. *KERGERI*, celeb. *ALISCHERVM*, medicum Iaurienſem, auitæ famæ æmulum vindicemque ſuperſtitem. Is ſane, quod quidem l. c. irridens cenſor ab hæredibus neglectum condolet, dudum omnes aui loculos medicos excuſſit, atque hoc ipſum, & alia, inde

b. *BOHNIVS* p. 22. in de *præmatura febr. intermitt. fuga ſuſpecta*, "*habitudo*, ait, *cæli epidemia*, (addo, & endemia, & ſingulorum corporum) *febrium medelam aliquando eo vsque faci-* "*litat, vt leuioribus etiam remediis ſoluantur, adeo vt quartanas* "*quoque, vernales pariter ac autumnales, obſeruarim & ego, ſe-* "*ptem, immo quatuor periodis ſæpe numero abſolutas ac ſanatas* "*fuiſſe, in primis ſub conſtitutione epidemica annorum 1681 &* "*1691.*" Vbi vero febres inutiles, intolerandæ, noxiæ, periculoſæ, alii methodo non bene cedunt, & naturæ aliorumque remediorum vis labaſcit; tunc nos quidem integre conſtanterque, methodico corticis vſu, candide a nobis propoſito, medicamur. Quod ad alterius illius medici incuſatum vitium attinet, quem eo remedio, neſcio quomodo, vſum eſſe innuitur, ipſum etiam prius auditum vellem: qui forſan, partim ſingulares rerum cauſſas & circumſtantias enarrando, partim retorquendo, reſpondere potuiſſet, & pares omiſſi corticis noxas oſtendere. Pono vero, male & infeliciter ipſum cum eo medica-

de remedia λειποτυρετα, b. viro feliciter conſueta, publici iuris candide fecit, in actis Vratislau. m. Iun. 1721. p. 649. ſeqq. Inter illa medicamenta cortex Peruuianus non eſt, quippe *KERGERO* ignotus, præſertim a. 1649. quum pulueris ſupra dicti, dudum pro ſcopo digeſtiuo cogniti, vſum febrifugum primo forte fortuna reperit, quo ipſo anno in Italiam primum adlatus eſt cortex, Germaniæ tunc, & ſat diu poſt, plane ignoratus. Egregio ergo ἀναχρονισμῳ l. c. cenſor dicit: "callide a *KERGERO* (cuius librum aut non, aut fugitiuo oculo legit)" reticeri, an puluis ipſius febrifugus "fuerit cortex Peruuianus:" quod & ceteræ circumſtantiæ ſatis refellunt. Interim ipſe cl. ALISCHERVS, licet aui remedia & praxin norit, in diſſert. inaug. de *febris quartanæ tuta ac felici curatione*, præſide ill. *HOFFMANNO*, §. 14. corticem Peruuianum non ſolum vocat "laudatiſſimum "& polychreſtum, & medicamentum re vera diuinum; ſed & *omnibus* "antifebrilibus hactenus notis palmam præripiens."

dicamine curaſſe; ſua id culpa fecit, non remedii, ob ignoratam aut neglectam methodum, forte etiam ob ipſos cenſorum ſtrepitus, minus recte, tempeſtiue, ſufficienter, adæquate vſurpati. Oſtendantur ſigillatim morborum hiſtoriæ, & adhibita vtrimque methodus! tunc rei & cauſſæ veritas eluceſcet. Vtrumque cum omiſſum ſit, ecquid ex vaga illa accuſatione colligi poteſt? immo quid vnquam contra nos poteſt, ex particularibus abuſuum exemplis? Probe ſcio, & obſeruat. de febr. p. 118. monui, "*multas eſſe "febres, cum vel ſine cortice tutas, quæ, ἀμεθόδως adhibitis remedi- "diis quibuscunque, cum vel ſine cortice, indolem minus ſecu- "ram induant.*" Artificum ita errantium culpam arti ipſi recte medicandi imputare, vaniſſimum eſt. Subruat in perpetuum ſimilia terricula ill. *TORTI*, qui therap. ſpecial. p. 186. "*quod ſi*, inquit, *aliquibus cortice perperam vel lan- "guidiuſcule, doſique irregulari, aut prius quam, plus quam- "que deceat, imminuta vtentibus, vel præſcribentibus vbi "non conueniat, ille non videatur proficere; non id in me- "dicaminis, vel methodi meæ vitium vertant, ſed in culpam me- "thodi ſuæ, ſi quam habent, aut habere credunt. Si enim huic, "quam protuli in eum finem, vt qui eam non ſatis callent, "callere poſſint, fidem velint adhibere, eamque integre non re- "nuant amplecti, feliciores procul dubio poſthac curationes ab- "ſoluent.*" Conf. obſeruat. noſtr. p. 222. ſqq.

§. XXIX.

De argumentis a priori.

Argumenta a priori, pro vniuerſali febris laude & damnatione corticis Peruuiani, deducta, admittere nos non velle queritur cenſor. Admitteremus, ſi *το prius* aut eſſet

eſſet aliquod axioma, aut eiusmodi theorema, quod ſiue ex axiomatibus, ſiue ex experientia generali, vel ſaltim non niſi rariſſimis exceptionibus obnoxia, eaque tamen ad modulum exceptionum limitata, rite fluat, ſique conſequentiæ inde deductæ analytica demonſtratione cohærerent. Verum enim vero id, quod ipſi *prius* eſt, nihil eſt alliud, niſi theoria illa, ingenioſe excogitata, & paſſim hodie varie expolita, qua anima rationalis ipſa hominis natura eſſe, atque, pro morali commodorum aut damnorum corpori imminentium æſtimatione, motus tum ſanos tum morboſos eligere, moderari, & ad iuſtos ſcopos, pro conſeruanda aut depuranda corporea machina, cum ſalutari intentione dirigere ſtatuitur. Accedit theorema alterum, opinio de modo operandi, quod cortex nulla memorabili virtute, præterquam adſtrictione polleat, & huius præpotente contra animam, motus febriles ſpiritali potentia molientem, obſtaculo febres prohibeat, inſtrumenta corporea ad has faciendas neceſſaria, tamquam capitis Meduſæ incantamento, obrigeſcere iubens. Haſce vero theoricas ſententias axiomata eſſe, aut ex vllo axiomate, vel experientia generali, per analyticam conſecutionem demonſtrari poſſe, nego omnimodo. Sunt manentque coniecturæ, nunquam analytice demonſtrandæ, neque apud candidam poſteritatem, aut quemquam ſine præcepta opinione examinantem, aliud nomen merebuntur. Sint autem, ſi ita placet, veræ! (quamuis nobis plurimisque aliis plane probabiles haud fiant) (1) iterum tamen affirmo, cuius affir-

 mationis

(1) De primo eorum theorematum vid. *diſſertatio noſtra his animaduerſionibus*

mationis rationes ſupra, & in obſeruationum libro, oſtendi, ex ipſis illis theoricis hypotheſibus ſuppoſitis nihil quicquam per iuſtas analyticasque conſequentias deduci poſſe, quod noſtris regulis practicis aduerſetur. Multo minus id ex iis hypotheſibus, cum vlla apud æquos iudices veri ſpecie, conſequitur, quod cenſor tribus ſuis ſchediasmatis pro principio petiuit: "*nihil nempe corticem* "*niſi per impoſturas agere; ipſum rectum eius vſum eſſe noxi-* "*um; & febrim ſua indole, ſuis motibus, nunquam nocere;* "*ſed ſemper laudabilem eſſe naturæ ſapientis conatum, nequa-* "*quam medicina febrifuga auertendum aut cohibendum, dum* "*hæc ſolam, ſine vlla bona conſecutione, motus ſtringendi vim* "*in ſe habeat.*" Enormem illam ſine limite laudationem fe-

onibus, præfationis loco, præmiſſa; de altero, præter plures ſupra adductos, vir πολυμαθεςατος & πρακτικωτατος b. *VVEDELIVS*, in de *auſterorum & acerborum natura vſu & abuſu*, pag. 24. "*ſi*, ait, *fateri* "*volumus, quod res eſt, non vna ſola qualitas ſapida ſufficit indicationi fe-* "*brifugæ; ſed compoſita magis, quali ex ſimplicibus omnibus præcellit cortex* "*chinæ de china. Liceat nobis aſſerere, eſſe in eodem, quod PERGAMENVS* "*de corticibus capparum affirmat, leuem amaritiem, cum acrimonia leui &* "*acerbitate coniunctam. Fixior enim eſt, vnde, a modo miſcela, ita aperit,* "*vt adſtringat ſimul; ita motum inhibet, vt ſimul annihilet fermentum aci-* "*do biliоſum, quo compoſitionis & texturæ modulo nullum addum æquale, ne-* "*dum ſuperius, inter plurima alia huc innotuit. Temperat enim, aperit, ro-* "*borat, & præcipitat fermentum febrile.*" Nihil intereſt, fermentum an aliter vocemus ſpecificum illud μιασμα, quod febres ex intermittentium genere, natiua ſua indole, inducit, & cui ſpecificum hoc medicamen in aduerſum progenuit natura. Sufficit heic notaſſe, medicis præcipuis plerisque, iisque non hypotheſium fauore, aut opinione theorica, aut ſola fere alienorum errorum ſpeculatione, proprio vero eius remedii vſu vel nullo, vel imperfecto, ſed penitiori experientia ductis, probari id, quod nobis: corticis Peruuiani rectum adæquatumque vſum non ſtringere ſolum aut coercere febriles motus; ſed ipſam inſuper corrigere materiem, ipſum morbi fomitem delere.

febris ſatis hactenus ſubrutam, & intra ſuos terminos coarctatam eſſe, confido. Hac vero corruente, immo vel vllo modo limitata, concidit ſimul vno ictu generalis illa remedii criminatio, quæ ſola generali illa laude nititur. Nam, licet ex adſtringente vi ſola virtutem corticis febrifugam deriuare velis; falſum tamen eſt, inde nihil boni, nihil niſi noxas & impoſturas colligi poſſe. Hæc ipſa enim vis, adſtringendo motus ſiſtens, ad noxiam vel inutilem febrim, ſub naturæ erroribus & imbecillitatibus, coercendam, requiri videbitur. Atque vel ex ſola tonica adſtrictione corroborationeque, coctioni ac euacuationi materiæ præſtandæ apta, & ex conſequente, per febris ceſſationem, natiua œconomiæ tranquillitate, & feliciori tunc ſperando naturæ & medicinæ ſucceſſu, facile ſalutarem, ſine impoſturæ crimine, efficaciam explicare poterit, ſi cui ratiociniis de modo agendi a priori rem placuerit abſoluere, vbi experientia clara eſt.

Fabio vel iudice vincam (2).

Quicquid, ex quacunque theorica hypotheſi, a priori pro laudanda febre argumenteris, manet tamen ſemper pro limitatione vel ſolum ſufficiens, quod in obſeru. de febrib. p. 135. ſcripſi: "*ecquis vero ſponſor eſſe velit, naturæ humanæ vel ſapientiam, ſi qua proprie eſt, vel potentiam, & niſum ſpontaneum eo pertingere, vt nihil inconſuetis illis, & ſæpe, pro rerum circumſtantium ratione, anomalis febrium motibus impotenter moliatur, aut moueat, quod moueri non deberet, promoueri non poſſit?*" Manet, ſub his aliisque limitationibus, ſua recto medelæ febrifugæ, quantumuis adſtringentis, vſui vtilitas atque neceſſitas. Magnum

(2) HORATIVS ſatyr. I. 2. add. *obſeru. noſtr.* p. 196. *nota* (a)

gnum vero præterea limitationum, præcipue practicarum, numerum eodem libro oſtendimus, quibus theoria *Stahliana*, aut alia quæcunque, neque poteſt aduerſari, neque debet. Meri dialectici ſophismatici itaque hac in re ſunt ſyllogismi cenſoris, a priori, vt dicitur, deducti. Etenim, ſi præmiſſæ propoſitiones vniuerſaliter & ſine limite accipiantur, falſiſſimæ ſunt, & ſola negatione refutantur, nunquam demonſtrandæ; ſi limites admittunt, (quos maximos plurimosque admittere per experientiam debent) ecquid a particulari priori ad vniuerſale poſterius, & contra aliud particulare ſub limitatione comprehenſum, concludi poteſt? Reminiſcatur velim, quæ ipſe cl. *GOELICKIVS* in proœmio diſſertationis de *phlebotomiæ in variolis vſu & abuſu* ſcripſit: (3) "*rationem ſibi relictam admodum fallacem, & iudi-*
"*cium, quod medicus de rebus, quæ agendæ ipſi incumbunt,*
"*ferre debet, difficile eſſe: permulti inſuper errores, illique pra-*
"*ctici, in medium produci haud difficulter poſſunt, quos ſola ra-*
"*tio, fictionibus atque ſpeculationibus ſuis nimium indulgens,*
"*infelici ſidere parturiuit.*" Applicet hæc ad ſuam de febris

(3) Varia in illa diſſertatione ſunt obſeruata, quæ commendari merentur, præſertim ipſa ſat æqua limitatio inter vſum & abuſum medelæ generoſæ: quam inde laudo etiam in libro *de variolis*, quem prælo paratum habeo. Cordate laudo aduerſarium ipſum, vbi laudem meretur, ſine ironia, quacum ille in ſua febris laudatione *vires ingenii mei* non mediocres eſſe iudicat, pag. 30. quæ, quantulæ ſint cunque, ab ipſius iudicio nihil mutuatæ ſunt; & quacum p. 31. me *non poſtremum inter ſummos viros locum occupare* dicit, apud quos quem ipſe occupat non inuideo. Neque ab eo laudari geſtio qui febris laudi limitem neſcit, neque cenſuram horreo illius, qui ipſos rectos medelæ vſus cenſura vexare non erubeſcit. Igitur de limitandis ſententiarum cenſoris mei tum laudibus, tum cenſuris, æquiter per omnia ſecure ſentio, limites, pro data occaſione, vberius explicare ac confirmare paratus, ſi his acquiescere nolit.

bris indole, deque modo, quo cortex operatur, theoriam, ſine præiudicata opinione, & errores ſuos in cenſenda aliena praxi, rationi & experientiæ coniunctim congruente, agnoſcat! quicquid etiam denuo forſan aduerſus noſtra hæc declamet, ne conceſſiſſe videatur, more eorum, quibus errorem agnouiſſe pudori eſt. Immo potius reſpondebit forte ſibi ipſe ad tres illas ſuas diſſertationes, quas ludicras & exercitii cauſſa ſcriptas dici nondum paſſus eſt: reſpondebit, inquam, per ea, quæ repoſiturus eſſet, ſi quis, contra laudatam de *venæ ſectione in variolis* diſſertationem inſurgens, de *impoſtura venæ ſectionis*; de *eius vſu noxio, licet recto*; & de *laudibus variolarum, plethoræ, & ſymptomatum phlebotomiam vrgentium falſo ſuſpectis* diſputaret. Certe, talia ſi quis conſcribillaſſet, neque ludicra dici pateretur, vaniſſima tamen ipſe cenſor meus pronuntiaret. Sapienter, vt ſolet, *HIPPOCRATES* in *præceptionibus*, ſub initium: "*qui*, inquit, *tempus & occaſionem nouit, medicinam facere* "*debet, non priori ratiocinationis perſuaſioni* (λογισμῳ πρότερον "πιθανῳ) *ſe applicans, ſed vſui cum ratione. Ratiocinatio e-* "*nim eſt ſynthetica quædam, ſeu ordinate compoſita, recordatio* "*eorum, quæ ſenſu percepta ſunt. Senſus enim, ideis perceptis,* "*primam de rebus obiectis perpeſſionem ſuſcepit, & ad intelle-* "*ctum transmiſit. Hic autem, vbi frequenter recepit, quibus,* "*quando, & quomodo (ſcilicet res euenerint, ſenſu docente) aſ-* "*ſeruatis hiſce, & in ſeſe repoſitis, recordationem ſibi ordina-* "*uit. Collaudo igitur equidem quoque ratiocinationem, ſi* "(ἐκ περιπτωσιος) *ex obſeruationibus initium ducat, & ex* "*phænomenis ipſam deductionem methodo proſequatur. Quod ſi* "*enim ab iis, quæ manifeſte percipiuntur, originem duxerit ratio-* "*cinium, tunc in intellectus poteſtate eſſe deprehendetur, qui ipſe o-*

"*mnia ab aliis recipit. Sic igitur ſtatuendum eſt, naturam a*
"*pluribus & omnis generis rebus ita moueri ac doceri, vt vis*
"*ipſi inferatur*". (βιης ὑπεϱϐασης: hoc eſt, perpeſſiones ipſius actionesque, quamuis doctæ hæ & ſapientes videantur, non a morali quadam æſtimatione propria, ſed a neceſſitate phyſica & mechanica diuinitus diſpoſita, dependere) "*Intellectus vero, vbi res a natura accepit, ſicut ante*
"*dixi, a poſteriori ad veritatem deducit: ſin contra non ab eui-*
"*dentibus factis, ſed a perſuadente rationis fictione accipiat,*
"*grauem ſæpe ac perniciosam affectionem inducit. Tales enim-*
"*uero extra viam operantur.*" Huius priſcæ veræque ſapientiæ medicæ meminerint velim hypotheſium veneratores, ſed contemtores euidentis experientiæ recta ratione applicatæ, quam non habent, neque habere volunt, ratiocinniis a priori ſine æquo limite præiudicantes, quibus nihil in medicina iudicari debet, niſi quatenus priori experientia poſteriora ſunt, & huic adæquate reſpondent, vt poſteriori pariter rurſum applicari queant.

§. XXX.

Concluſio de merito limitanda febris laude, & cenſura medela febrifuga.

Valeat ergo cenſor cum iſta generali laudatione & damnatione; valeat cum ſua larua iſti obducta, partim ex meris theoricis hypotheſibus, partim ex naturæ & febrium ſalubribus ſæpe effectibus, quos nemo negat, aut ex hominum erroribus, quibus omne remedium ſubiacet! Valeant omnes & ſenſu ſuo abundent, qui generalia interdicta medicaminum, tot aliis vtiliter vſitatorum, dictatoria cum auctoritate pronuntiant! Declamet *PARACELSVS* cum ſua ſchola contra Galenica, *ERASTVS* contra chemica remedia

Interdicta remediorum non limitata.

fere

fere quæuis! Proſcribat *GEHEMA* Helmontianus,&,crudo libri titulo, crudelia homicidiorum medicorum inſtrumenta vocet, ſanguinis miſſiones, vomitiones, purgationes, clysmata, reliqua! Deteſtetur *PATINVS*, in *epiſtolis*, quemlibet aloes,opii, & antimonii vſum! Exſequias *potui calido theæ*, ipſis diu ſuperſtiti futuro, parent, ſingulari de eius *vſu & abuſu* diſſertatione Vitembergenſi, *THILIVS & KIRCHMAIERVS!* Explodat *LISTERVS*, in *itinere Gallico*, eam herbam vna cum fructu cafe, & ideo a prouidentia Europæ data ludat, vt hominum genus nimis paſſim auctum ſenſim contabeſcendo extinguatur! Releget easdem merces *SIMON PAVLI*, in de *vſu & abuſu tabaci & theæ*, vna cum nicotiana & ſuccolata, ad natiuum quamque ſolum! Exterminare medica arte cogitauerit allegatus a modo dicto auctore *RENATVS MOREAV* duodecim medicamina, quæ inter antimonium, thea & china china primas tenebant! Damnet omnimodo, peculiari libello, *HEINSIVS* lacteam diætam; *FERNELIVS*, in de *luis venereæ curatione* mercurium; *BONTEKOEVS*, in *de acido & viscido*, acida quæuis; *VVALDSCHMIDIVS*, in *epiſtolis amœbæis*, acidulas omnes, & potum frigidum quemcunque; quidam medici, apud *SCHELHAMMERVM* de *natura*, pag. 247. omnes operationes chirurgicas; obſeruator aliquis in *annalibus Vratislauienſibus* cinnabarim, quam *pulchrum illud toxicum rubrum* vocat; alii alia, thermas, martialia, camphoram, caſtoreum, arnicam; exotica, domeſtica, calida, frigida, fixa, volatilia! & quid non? quod & vſui ſit gnaris & abuſui imperitis eſſe poſſit:

At quanto meliora monet pugnantiaque iſtis
Diues opis natura ſuæ, ſi tu modo recte
Diſpenſare velis, & non fugienda petendis
Immiſcere. Tuo vitio rerum ne labores,
Nil referre putas? (2)

Næ illi, etſi cetera bene meriti, in his artem artem,(3) & medicum artificem genuinum eſſe, hoc eſt, hominum vitia a vitiis innocentis rei, vſus remediorum ab abuſu ſecernere, & generoſas, quibus, deo dante, pollet, & ſæpe in naturæ ſubſidium indiget, medelas poſſidere, noſſe, moderari, vſurpare vetant: vſum rectum vna cum noxio abuſu, ſeu, vti in prouerbio eſt, lotum infantem vna cum inquinato balneo, in profluentem abiicere iubentes. Si quis medicus ſupra dictarum vetuſtiorum condemnationum vnam, vel alteram, vel plures, vti non fieri nequit, erroneas eſſe agnoſcat, & explodendas iudicet, ipſe vero hodie eadem alicubi chorda oberret, is ſibi ipſe merito illud applicabit:

- - - mutato nomine de te
Fabula narratur.

Neque enim vnquam generali remedii cuiusquam, quod ſæpe vtile eſſe experientia teſtatur, damnatori vlli orbis medicus, vſum abuſumque experiendo limitans, candidaque poſteritas applaudet. Ego vero, quemadmodum generatim

(2) HORATIVS l. c.

(3) *HIPPOCRATES* de *arte*: "*non minus quæ offenderunt, quam quæ profue-*
"*runt, artem eſſe comprobant. Siquidem hæc, quod recte adhibita ſint, pro-*
"*fuerunt; illa vero ob incommodum eorum vſum nocuerunt. Enimuero vbi*
"*rectum & prauum ſuis finibus circumſcribitur, quis hoc artem eſſe non ex-*
"*iſtimet? Neque enim artis nomine iſtud donandum exiſtimo, in quo neque*
"*rectum, neque prauum ineſt.*"

neratim medicinam, ob hominum vel opiniones theoreticas, vel diſſenſiones ſingulares, vel circa medelarum vſum errata, pauperiorem mihi reddi nolo; ita etiam materiam medicam febribus efficaciter medentem mutilari generoſo ſubſidio non ſino. Quantumcunque etiam naturæ febricitantis, vel febriferæ, bona intentio prædicetur, & quantacunque ſanitatis munera a febribus exſpectari queant, quæ ipſe lubens accepto; attamen ſecure fidi non poſſe exploratum habeo: *Limitanda febrium laudatio.*

timeo Danaos & dona ferentes, (1)

ac molimina omnia, vbi etiam ad bonum exitum collineare reor, haud ſine rite moderata incendii & cladis formidine attendo. Ipſe id ſuadere videtur ill. *STAHLIVS*, qui in principio diſſertationis de *hiſtoria febris in genere*, & morbum eam eſſe fatetur corpori infenſum, &, genere ſuo ſpeciebusque omnibus, omnium familiariſſimum, impetuoſiſſimum, & euentus maxime dubii. Limites laudum ibidem inſignes ponit §. 14. ſed & alios plures ponendos eſſe, ex propria alienaque experientia, haud inficias ibit, ſpero. *Tertianam vniuerſum febris genium manifeſtare*, ab eodem peculiari diſputatione expoſitum eſt. Quam parum tutus vero genius ille ſæpiſſime ſit, quantopere ſalubritatis laudatio limitari mereatur, per obſeruationes noſtras, hasque animaduerſiones, & per vtrobique adductos omnium ſæculorum nationumque obſeruatores, abundanter comprobatum eſt. Recte *BOHNIVS*, in de *officio medici*, p. 171. "*exſpectatione*, ait, *frequentiores ſunt, non modo febres* "*tertianæ intermittentes*, *omnis periculi* (in hominum

(1) *VIRGILIVS.*

"quorumdam opinione) *expertes, quas nihilominus in-*
"*opinato duplicari, & in continuas abire, ac enecare,*
"*mecum alii norunt*; *ſed tales quoque, quæ ſub indole ter-*
"*tianæ genuinæ*, (hoc eſt, legitimæ, ne quidem duplica-
"tæ, aut in continuam mutatæ) *& in huius acceſſu*, (id
"eſt, in paroxysmo tertianæ legitimæ,) *eamdem tragœdi-*
"*am agunt.*" Hanc ipſam rem propoſitum obſeruatio-
nibus noſtris problema, eiusque reſolutio confirmat.
Haud ſine cauſſa vel iccirco ill. *BERGERVS*, in de *laude*
febris merito ſuſpecta, poſtquam ſalubritatem febris ter-
tianæ legitimæ & grauedinis dilaudauit, "*ſed malim*,
"inquit, *cum SOLENANDRO, vtraque; vt af-*
"*fectibus præternaturalibus, carere*:" ſcilicet ſi, rite
obſeruatæ, inutiles eſſe, vel vllo periculi acuti aut chro-
nici ſigno metuendæ, pro experientiæ analogia, videan-
tur, vti non nunquam eſſe conſtat; vel ſi par vtilitas
medicatione minus moleſta obtineri poſſit. Quanto ve-
ro magis ceteræ, ne dicam quidem ex alio, ſed vel ex
ſolo intermittentium genere febres, tertianæ ſua ſponte
nothæ, extenſæ, multiplicatæ, continuæ, & quartanæ
quotidianæque ſimiles, limitatione laudum indigent?
quicquid etiam cenſor meus de ſemper laudanda inten-
tione ac voluntate naturæ ſuæ, ſeu animæ, au-
dacter prædicet ſpondeatque, quaſi arctam cum
oc-

(2) Si quis lectorum ſit, cui iſta mirabilis ſine limite laudatio in mentem hominis, natiuorum humanæ naturæ vitiorum, & affectuum in propriam ſæpe noxam tendentium gnari cadere non potuiſſe videatur, legat velim ipſam diſſertationem de *laude febris falſo ſuſpecta*, quam quicunque pro luſu ingenii habebit, indignationem auctoris mecum incurret, eademque audiet, quæ ego ſupra §. 11. 12. a me remoui conuicia. A p. 32.

ad

occulta illa intelligentia consuetudinem haberet, sciretque humanum esse, animam intellectu vel voluntate ἀναμαρτητον habere. Neque vero, licet id ita se habere

re

ad finem vsque nihil agit, nisi vt, eundo per singula febrium nomina generalia, intermittentium, continuarum, continentium, malignarum, inflammatoriarum, exanthematicarum, puerperalium, lentarum, hecticarum, curiose disputet, naturam vbique melius artifice quouis motus sibi vtiles eligendosque intelligere, & "*febres*, vt ait, *omnes bonum laudabilemque scopum sibi habere præfixum, ac salutarem earum indolem, & naturæ finem intentionemque, satis superque comprobari, licet suo, quem propositum sibi habet, scopo non semper potiatur, vt proinde, si desint vires, conatus tamen omni modo laudari mereantur.*" Concludit denique §. vltimo: "*atque ita confido me hoc pensum meum rite absoluisse, atque tam de febri in genere, quam per singulas eius species eundo, satis demonstrasse, INTENTIONEM, FINEM, ATQVE SCOPVM IN ILLIS VBIQVE BONVM, LAVDABILEM, AC SALVBREM ESSE*". Demonstrauit vero, si diis placet, ex hypothesibus non demonstratis; ex caussarum, quibus motus febriles opponi videntur, prauitate; ex successibus horum felicibus; & ex medicaminum repugnantium noxis. Ne quis vero ita ab opinione ad naturam, a particulari ad vniuersale concludi iu licet, propediem spero talia per singulos febricitantium casus demonstrata dabit disputator: vt pateat, omnium hominum animas naturas ea pollere sapientia, quæ recte æstimandis materiis motibusque febrilibus vbique sufficiat, nec vnquam intentione erret. O sanctas animas, Platonis re publica, & Mori Vtopia dignas! Mirum ni censor meus, *Molerii* comœdi lusus amans, homines febricitantes singulos, per tot quæ de animis ipsorum prædicat miracula, cum isto medico comici inuito (*medecin malgré lui*) exclamare cogat: propriusne me sensus fefellerit, vt medicus factus sim, ipse facti non conscius? (*Seroit-ce bien moi, qui me tromperois, & serois-je devenu medecin sans le savoir?*) Vereor tamen, ne rursus plerique febrientium, vbi ad propriæ intelligentiæ vires, suasque volitiones veras, serio attenderint, cum eodem medico coacto, incredduli ex censore nostro eiusque opinionum sociis quæritent: numquid vero vos, o boni, potius erratis? certumne bene est medicum me esse? (*Mais, Messieurs, ne vous trompés-vous point vous mêmes? est-il bien assuré, que je sois medecin?*)

\- - - ridendo dicere verum
Quid vetat?

re posse largiremur, de naturæ intentione ita gloriandum fuerit, vt inde remedium aduersus malos bonæ, si qua est, voluntatis effectus, præiudicetur. Quasi vero vulneris auersio ac medicatio negligenda sit, quod præter malam intentionem infligatur; quasi ab incendii periculo arcendi non sint, qui bono animo ignem accendunt! Aberrant certe a salubritatis scopo sponte facileque febres innumerabiles, (3) & perinde tunc est, naturæne intelligentis intentio erronea, an salutaris, sed mechanicas ob causas impotens, an mechanica necessitas sola errorem inducat,

iussæne an sponte vagentur & errent (4).

Neque enim natura proprie & directe moralibus adminiculis, sed physicis, ab errore impeditur ac reuocatur

(3) Nego mira illa generalia edicta, & negat mecum generis humani experientia, & rei ratio, quæ censor pag. 33. sqq. iactat: "*febres intermittentes omnes non tantum in se nihil sontici periculi in-*"*uoluere; sed & fomitem mali, cuius gratia suscipiebantur, potius con-*"*sumere: quotidianas sibi relictas, vel congruis artificiis*, sine medicatio-"ne febrifuga, *adiutas, mali successus compotes non esse: tertianas quasuis* "*post septimum paroxysmum sponte vt plurimum conquiescere, & efficacissime* "*totius corporis salubritati prospicere: quartanas nihil eminentis periculi in-*"*uoluere, dummodo prauis medentium consiliis successus non perturbetur; im-*"*mo rarissime per se oriri, sed vt plurimum tertianis, vel aliis intermit-*"*tentibus male curatis, succedere: continuas & acutas raro salutari sco-*"*po excidere, & vt plurimum circa dies criticos salubriter solui, nisi pati-*"*entes errore commisso successum turbauerint: exanthematicas; quascun-*"*que, si naturæ soli relinquantur, vt plurimum intra XIIII. dierum spatium* "*ægros pleniſſime sibi restitutos relinquere, &, si nonnullis fatales sint, id in-*"*tempestiuis pellentibus, vel regimini nimis calido, vel similibus causſis deberi.*" Quasi vero nullus sit naturæ error, nullum aliarum causarum vitium, nullum in febrilibus motibus periculum arte medica curandum, nisi arte ipsa, vel praua diæta superinducatur! Non patie ur, puto, auctor ista sua pro ludicris, vel exercitii causſa scriptis, accipi. Ex supino igitur errore scripta sunto!

(4) HORATIVS.

tur. Moralium medicinæ auxiliorum longe alia ratio eſt. Quid ad nos occulta illa, ſi qua eſt, animæ voluntas, quæ medici ſuaſiones non audit? Obſequuntur vero ſæpe motus morboſi, vndecunque profecti, corporeis artis auxiliis, neceſſitate phyſica, quorum boni vel mali effectus non ab inſita quadam ſine limite vi iuuandi aut nocendi, ſed ab hominum vtentium vel abutentium ſcientia & arbitrio, dependet. Mirus itaque eſt cenſoris παραλογισμος, quo in de *laude febris falſo ſuſpecta* p. 34. exinde, quia "*febres, peruerſis artificiis adſtrictoriis in ataxias* "*coniectæ, variorum malorum ſonticorum promicondi eua-* "*dant, atque hæc totidem quaſi corpora delicti conſtituant,* "*abſonum fore* colligit, *multum diſputare velle, an ex ſe* "*& ſua natura, an vero peruerſe tantum adhibitus, cortex* "*ſit nociuus.*" Dubitare de eo, an plurimum interſit, numquid ſanæ rationi conſonum fuerit? Ipſas febres laude ſalubritatis ſæpe inde exſpectandæ non priuo, licet *corpora delicti* ſui, ſuæque materiæ & motuum, ſpontanei, immenſum quot & quanta vbique gentium per omnia ſæcula exhibuerint. Multo minus earum tutiorem medicinam laude merita priuari patior, cuius vis ſine hominum vſu vel abuſu nulla concipi poteſt: licet hominibus male abutentibus, vti quicquid fere in rerum natura eſt, inſtrumentum fieri queat, quo delinquatur. Si clariſſimus morbi laudator remediique cenſor ignorauit inexpertus, aut *fugitiuo oculo ſuo* per opinionum velum non vidit, quæ per propriam totque aliorum experientiam probaui; prouoco iam ab ipſo præiudicante ad iudicantem, a non experto ad experientem, a generalis regulæ amatore incenſo ad receptorem diuerſitatum limitantium contem-

Limitanda cenſura medicinæ febrifugæ.

peratum, a ſpeculatore alienorum abuſuum ad lectorem obſeruatoremque vſus recti & adæquati. Reminiſcetur ſpero *HIPPOCRATIS* in *de arte* dictum ingenuum: "*medi-*
"*ci, quæ ipſi ignorant, ea falſa in arte eſſe ne opinentur!*"
Cogitabit, quod illuſtr. *TORTI* in *therap. ſpecial.* edit. anni 1732. p. 14. de talibus opinionibus, quales ſibi hodieque aliqui, inuita clara experientia, ſeruant, merito effatur.
"*Huiuscemodi equidem terriculamenta imaginaria circa*
"*vſum corticis facile condonarim CHIFLETIO, PLEMPIO,*
"*SERPONTO, MAGNENO, PARAVICINO, CASATO;*
"*ſicuti nimiam forte circumſpectionem ſuam cenſeo condo-*
"*nandam IO ANN. FORTI, ſuam, vt leuiſſimam, cun-*
"*ctationem VVILLISIO, ſuam cautelam MALPIGHIO,*
"*omnemque tandem trepidationem aliis quibuscunque ma-*
"*gnis viris, qui vel tempore tantum primi aduentus & na-*
"*ſcentis vſus huiusce febrifugi floruerunt, vel ſaltem non-*
"*dum plenam experimentorum illius notionem habuere.*
"*At poſtquam, diuturna & crebra medentum experientia,*
"*vtilis ac innocens illius operatio recepta eſt, nullus profecto*
"*amplius trepidationi aut hæſitantiæ locus poteſt ſupereſſe:*
"*niſi laruata ſub ſpecie panici timoris lateat peruicacia,*
"*& adeo adſueti ſint medici vti remediis, quorum virtus*
"*creditur potius atque ſupponitur, quam dignoſcitur, vt*
"*de hoc, cuius virtutem in omni ſexu, ætate, temperamen-*
"*to, ac climate ſenſibiliter tangunt, præ admiratione me-*
"*tuant (quaſi foret aliquid in natura præſtigioſum) ne quid*
"*mali, vel doli, ſubſit.*" Quod ſi vero bonus vir ab immodica febris laude & medelæ cenſura poſthac ſibi temperare nihilo minus non vult; refellat oportet experientiam plurimorum teſtium candidiſſimorum expertiſſimorumque,

quam

quam neganti, ſiue contra opponenti, incumbit ἀνθ' ὑπάρξεως probatio, ſeu ἀδύνατον id eſſe, quod alii ſibi expertum affirmant: probet, contra ipſam euidentem experientiam aientem, nullas, aut etiam, ſi poſthac forte aliquem limitem admiſerit, non multas, pro temporum, locorum, perſonarum diuerſitate, dari febres, ex ipſo etiam intermittentium genere, quæ ſua ſponte, ſuorum motuum violentia vel peruerſitate, ſuæ materiæ prauitate, aut ad corpus ægrum, ceterasque res circumſtantes habitu, & naturæ errore vel imbecillitate, ſine diætæ aut medelæ culpa, inutiles, infidæ, nociuæ, pernicioſæ euadant: probet nullas, aut non multas eſſe harum, neque ceterarum, quæ, præter genuini medici conſilium, regimine & medicatione peruerſis turbatæ, aliis quibusque extra corticis vſum remediis (4) fruſtra & perperam tententur; nullas aut non, multas

(4) De comparata vi aliorum remediorum febrifugorum vid. obſeruat. noſtr. ſect. 2. §. 3. 4. ſect. 5. §. 4. ſect. 6. §. 1. Proxime ad corticis Cinchinæ virtutem accedere etiam perhibentur aurantiorum cortices, quos quidem nos, tamquam remedium innocuum, temperate tonicum, & ori ac ſtomacho gratum, in moderandis menſium hæmorrhoidumque fluxibus immodicis, ſed & moliminibus aberrantibus, & quibus fere ſcopis millefolium a cl. *STAHLIO* aliisque deſtinatur, feliciter aliquoties vſurpauimus, exemplum præcunte viro illuſtri, *STEIGERTAHLIO* noſtro, conſiliario aulico & archiatro regio, fautore venerando. Imitati ſumus formulas decocti apud *SEPTALIVM, animadu.* lib. 7. art. 144. *RIVERIVM, prax.* lib. 15. c. 3. *HAMILTONVM de praxeos regulis* p. 14. præſcriptas. In febribus vero quartanis aliquoties ſine notabili ſucceſſu præbuimus eorum corticum puluerem, quem ad eas inſigniter laudat, & Gallorum quinquinam Americanæ æmulam vocat, candidiſſimus DVBEVS, in *medecin des pauvres* p. 285. ſqq. quo ipſo loco tamen præſtantiores corticis Peruuiani virtutes atque vſum pauperibus ſuis oſtendit. Experientiæ vero vlteriori, pro digeſtiuo, tonico, febrifugo ſcopo, commendandum id medicamen eſſe videtur, vtique poſt nota- *Febrifuga alia comparata.*

multas, quæ promtius certiusque aliquod medicamen ληξιπυρε-

notabiles obſeruationes cl. FRANC. MARIAE NIGRISOLII, quas ex eius libro, *febris chinachinæ expugnata*, Ferrariæ 1700. typis expreſſo, his in oris rariori, p. 276. ſqq. huc excerpere liceat, vt aliorum ea de re obſeruationes efflagitemus. *Verba NIGRISOLII de corticibus aurantiorum.* "*Poſt corticem*, inquit, *Peruuianum, cui vltro palmam deferimus, nullum adhuc mihi occurrit "maioris efficaciæ, & cui potiori iure vera febrifugi ratio conueniat, quam "aurantiorum cortex, cuius tanta eſt efficacia in edomando febrili fermento, "atque exſtirpandis febribus, vt illum cortici Peruuiano parem facere pane "auſerim. Non raro enim contumaces febres atque rebelles, ipſique cortici Pe"ruuiano refractarias, huiusmodi cortice feliciſſime curatas vidi, & potiſſi"mum ſummæ efficaciæ expertus ſum in illis febribus, quæ vitio ventriculi, & fluido"rum, quæ chyloſin promouent, contingunt. Neque mirum, quod febrifuga "vi adeo efficaci polleat huiusmodi cortex, quando acida quæcunque extranea "in corpore deliteſcentia potenter adeo emendat & exterminat, vnde etiam "ex ipſo, in colicis & ſtrangurioſis affectionibus ab acido ſilueſtri excitatis, vali"diſſimum paratur remedium, vti notant* ETTMVLLERVS, HOFFMANNVS, "*& alii. Huiuſce corticis vim febrifugam mihi primo indicauit doctiſſimus vir D.* "OCTAVIVS CAPPELLVS, *in hoc noſtro Ferrarienſi gymnaſio lector & praxis me"dicæ profeſſor eximius. Factis exinde poſtea pluribus experimentis, tandem comper"tum habui, quod non ſolum in febribus chronicis, & ad longum tempus pro"tractis, verum etiam in quibuscunque aliis febribus, ſi potiſſimum de intermit"tentium genere fuerint, ſummæ actiuitatis eſt & efficaciæ, & equidem raro "admodum fruſtraneo euentu irritoque conatu vſus ſum huiusmodi cortice: "cuius apud me varius fuit, & adhuc eſt vſus, pro varia febrium indole "atque natura, variaque ægrotantium conditione atque natura. Sed quo"cunque modo in vſum ducatur, nunquam ſpem fallit euentus, nunquam "eiusdem efficaciam febris eludit: vnde placet varios hic eiusdem in vſum du"cendi modos afferre, atque recenſere. Poſſumus igitur vti, & de facto vti"mur quandoque, cortice adhuc recenti, recenter ſcilicet a pomis detracto, vel "eodem iam exſiccato, & in ſubtiliſſimum puluerem redacto. In primo caſu, "quando ſcilicet recenti cortice vti placeat, ſeu expediat, accipiantur duo po"ma aurantia, ab iisdem detrahatur cortex, (aurantia in tali caſu eligan"tur probe matura) detractus cortex ab interiori pellicula alba mundetur, de"inde in fruſtula diuidatur, & tandem in libris quatuor vini generoſi illa "fruſtula infundantur. Facta per horas XXIV infuſione, per vices exhibeatur "vinum, ter ſaltem in die, ea prorſum ratione, atque iisdem adhibitis cau"tioni-

ληξιπυρετον, hoc eſt, corticem Peruuianum, periculi vel mali

"tionibus, quas in exhibitione corticis Peruuiani obſeruandas diximus. Do-
"ſis pro vnaquaque vice ſit ad vncias quatuor, donec febris curata fuerit.
"Sublata febre, ad præcauendum eiusdem reditum, rurſus exhiberi poteſt, &
"ſufficit, quod exhibeatur ſemel, vel bis in die. Si ſemel tantum exhibea-
"tur, doſis ſit ad vncias ſex; ſi bis, ad vncias quatuor. Poteſt etiam in-
"fuſio fieri in aquæ, & potiſſimùm cardui benedicti, centaurei, & ſimilibus.
"Quod ſi corticem iam exſiccatum vſurpare placeat, hic in ſubtiliſſimum redu-
"catur pulueren, eiusque vncia vna infundatur in libris tribus vini gene-
"roſi per horas XXIV, ſeu etiam in aqua cardui benedicti: poſtea infuſio in ea-
"dem doſi, vt ſupra, per partitas vices vſurpetur. Vel etiam ex eodem pulue-
"re cum aliquo conuenienti ſyrupo fiat maſſa, ex qua boli parui, qui vel bis,
"vel ter in die exhibeantur, cum hauſtu vel vini generoſi, vel aquæ cardui
"benedicti. Doſis ſit ad drachmam vnam pro qualibet vice. Plurimi vſus
"etiam eſt in febribus eſſentia corticis aurantiorum, ad aliquot guttas in flui-
"do conuenienti exhibita. Tandem in febribus valde contumacibus, longius-
"que protractis, plurimum confert vinum corticibus aurantiorum alteratum,
"& pro potu ordinario in prandio & cœna adhibitum. Præter huiusmodi cor-
"tices, auranticrum ſcilicet & Peruuianum, plura alia e vegetabilium fami-
"lia fuerunt queſita febrifuga, in quem finem, cum in celebri quadam aca-
"demia plurima facta fuerint experimenta, tandem vis febrifuga deprehenſa
"fuit in nucibus ſeu conis cupreſſus, vti notat eximiæ eruditionis vir, ALEX-
"ANDER PASCOLVS Peruſinus, in patria vniuerſitate ordinarius profeſſor,
"in ſuis obſeruationibus practicis, quas addidit doctiſſimo ſuo de febribus tra-
"ctatui, ad leges geometricas, Carteſianorum ſyſtemati ſuperſtructo. Ibi enim
"non ſolum huiusce remedii efficaciam pro febribus edomandis exponit, pluri-
"maque affert experimenta in hanc rem, a plurimis doctis viris habita: ve-
"rum etiam docet, quomodo in vſum duci poſſit, ac debeat. Inquit igitur,
"quod huiusmodi nuces ad vmbram exſiccatæ atque in pulueren redactæ vi-
"no infundi debent, quod per vices poſtea exhibeatur, ea prorſus ratione,
"qua infuſio vel corticis Peruuiani vel aurantiorum exhibetur: notat tamen,
"quod ſecurior habetur effectus, ſi in forma ſolida exhibeantur, factis ſcili-
"cet ex eodem pulueren bolis cum aliquo conuenienti ſyrupo, & in tali caſu di-
"midiam exhibet pulueris drachmam, horis quatuor ante cibum, addito
"poſtea largiori hauſtu vel brodii, vel aquæ Nuceriana, aut hordeacea.
"Concludit tandem, quod plurium medicorum voto tutior atque felicior
"habetur febrium curatio huiusce medicaminis vſu, quam habeatur cortice
"Peruuiano exhibito. Reuera tamen, licet tantæ ſint efficaciæ, pro curandis fe-

De nucum cupreſſi vi febrifuga.

inutilis promtius certiusque auertendi cauſſa, indicare; ſed

"bribus, & aurantiorum cortices, & nuces cupreſſus; adhuc tamen omnibus "præſtat cortex Peruuianus, eumdemque cæteris omnibus huc vsque notis fe- "brifugis præferendum exiſtimo, quando indiscriminatim in omnibus febribus "conuenit, & febres quascumque, vti dicunt, humorales, a fluidorum ſci- "licet vitioſa diatheſi ortas, infallibiliter adeo ſanat, & non in intermit- "tentibus ſolum, aut etiam in contumacibus, ſed & in acutis atque conti- "nuis, vti vidimus, ſuas exerit vires: & RICHARD. MORTON notat, quod fe- "bres continentes inflammatoriæ, æque ac intermittentes, hac andidoto penitus, "absque vlla recidiuatione, quotidie euincuntur ac extinguuntur. Verum de "hac re experimentum facere nondum auſus fui. Iure merito igitur chinæ- "chinæ triumphum cecinit poſtremis hisce diebus doctiſſimus vir ANSANVS "FRANCISCVS de HIERONYMIS, philoſophus ac medicus Senenſis, eruditiſſimo "vulgato opusculo de chinæchinæ viribus & efficacia in febribus edomandis. "Aequum enim erat, quod, febre toties expugnata, chinæchinæ litterarius orbis "triumphum caneret."

Epicriſis. Nondum ſatis experientiæ nobis de vtroque illo remedio cortici Peruuianæ ſurrogato ſuppetit, vt alienas obſeruationes regulasque iudicare ſuſtineamus. Nunquam ſpem fallere cortices aurantiorum, neque febres, potiſſimum intermittentes; eorum efficaciam eludere affirmat cl. *NIGRISOLIVS*, immo ſuperaſſe hos aliquarum vim, quæ Peruuiano reſtiterint; nihilo tamen minus hunc ipſe multis elogiis præfert. Ita ergo illam aurantiorum laudem limitandam intelligere debet, vt ſæpius nec ita promte, nec ita perfecte febres tollant; licet ſenſim certe minuere, ac ſæpe ſat cito penitusque ſuperare videantur. Ipſe vero, dum vtrumque remedium ad omnes febres prodeſſe dicit, inflammantes tamen, continentes, & ex ſolidarum partium putredine vel induratione oriundas, haud obſcure excipit: ſed & aliæ excipiendæ ſunt. v. *obſeruat. noſtr.* pag. 50. ſqq. De *MORTONI*, quem cl. *NIGRISOLIVS* memorat, vſu corticis Cinchinæ in febribus continentibus, error in nomine eſt. Continuæ ex intermittentium genere periodicæ intelliguntur. v. *obſeru. noſtr.* l. c. De inflammantibus, vbi proprie non conuenit, legatur ipſa candidiſſimi eius Angli pyretologia. Curauit eo remedio intermittentes vel remittentes inflammationem minantes, certe primo principio incipientes, & cum magna remiſſione adhuc clare periodicas, συνεχεις, ex intermittentium genere degenerantes. Alioqui ipſe in inflammatoriis corticem prohibet. add. *obſeruat. noſtræ* pag. 50. 51. 63. 139. Nuces cupreſſi clar.

LAN-

ſed illas omnes ſine eo æque curari poſſe, vel dari aliam

medi-

LANZONVS etiam cortici fere æquauerat, in *ephem. curioſorum*; hunc tamen deinceps prætulit in *iisdem nouiſſ.* vol. 2. pag. 209. deſcripta *hiſtoria epidemia Ferrarienſi* febris ex intermittentium genere grauiſſimæ & plurimis exitioſæ: vbi ſibi ipſi, in proprio etiam corpore, aliisque vſitatam chinchinam, aliis cortices aurantiorum, aliis alia amara laudat, cupreſſi nuces plane ſilentio prætermittit. Adeo adhuc verum eſt, fatentibus viris candidis, qui vel maxime alia item extollunt, corticis Peruuiani vim febrifugam ceteris, quæ adhuc nouimus, omnibus potiorem eſſe. Haud diu eſt, quod cl. *ANDRIOLLVS*, Carinthiæ protophyſicus, in *de febribus & morbis acutis* p. 127. remedia euacuantia perhibet certa fere febrifuga eſſe, pertinaciſſimasque febres quascunque, præcipue quartanas, fugare: vti *CORNACHINVS* fere olim de puluere ſuo, item *KLAVNIGIVS* de ſuo mercurio vitæ cæleſti, perhibuit. v. *obſerv. noſtr.* p. 322. & *act. med. Ber.* vol. 9. pag. 36. Laudatus *ANDRIOLLVS*, ſi vna ante paroxysmum hora propinetur infuſio croci metallorum cum vino ad vnciam vnam, raros eſſe ſcribit, qui tertia vel quarta doſi non ſanentur, plurimos prima ſanari: adeo vt ipſe, huius artificii felicitate, refugium deſperatorum febricitantium ſalutari penes plebem meruerit, quæ turmatim ex vrbe & pagis ad ipſum iccirco confluat. Pro delicatis pari fere ſucceſſu, quinque poſt acceſſionem horis, bis vel ter, pulueris Cornachini drachmam dimidiam, cum mercurii dulcis granis XII vel ſcrupulo, præberi docet, Rationem, inter alias, curioſam, ſed audacius & nimis late pronuntiatam ſuperraddit: "*quod ſi*, inquit, *forte fortuna materia quartanæ ortum* "*ſuum ducat a ſero albo ſemel antecedenter contaminato a lue venerea,* "*prout ſæpiſſime contingere ſolet in hoc deprauato ſeculo, in quo rari nume-* "*rantur, qui contaminati non fuerint, tunc certiſſimam victoriam quarta-* "*næ tibi promittere potes, quia mercurius eſt certiſſimus fugator huius peſti-* "*feræ veneris, quæ pantomorphos ſub larua variorum morborum comparere* "*ſolet.*" Ipſe tamen tum pag. 129. tum pag. 156. ſqq. certiorem præ omnibus aliis medelis methodisque corticis vſum dilaudat, eumdemque ſuæ vomitioni & purgationi ſubiungit, ſed &, vbi ea non conuenit, (nam quis vbique conuenire putet?) miniſtrandum præcipit, præſertim in febribus continuis, vel ad pericula viriumque proſtrationem pronis. De febribus, quæ cum omnis generis morbis infeliciter coniugari poſſunt, cum malo venereo etiam ſæpiuscule complicatis, & permixtam, quum ſua vterque affectus remedia ſpecifica poſcat, medicinam curandis, vid. *obſerv. noſtræ* p. 110. ſqq. nota (b). Ea quoque complica-

Emetica, pulvis Cornachini, mercurius dulcis, febrifuga.

tio-

medicinam febricitantibus in ſanitatem reſtituendis æque expeditam & adæquatam: probet denique, methodum a nobis deſcriptam, rite & plene vſurpatam (1), id non præſtare, quod de ea toties experti affirmauimus. Probari

Electuarium mundificans, & καλομελι.

tione, aliisque, naturæ febricitantis vis ſecura & ſalubris limitatur. Obiter moneo *electuarium BIERLINGII*, ex *huius thesauro practico*, & *LENTILII iatromnematis* ibi a me laudatum, neutiquam ex corticePeruuiano fieri, neque hunc ad mala venerea commendari, quod lectori cuidam per errorem viſum fuit; ſed conſtare id electuarium, non febrifugum, ſed per παρεκβατιν memoratum, antaphrodiſiacum, ex rad. ſarſæ vnciis tribus, ligni ſancti vna, foliorum ſennæ ſescuncia, rhei drachmis duabus, ſeminis aniſi drachma, quæ, in tenuem pollinem redacta, excipiuntur mellis deſpumati libra vna. Addidi, proportionis ponderum cauſſa, drachmam corticum ſaſſafras, & ita, *electuarii mundificantis* titulo, in pharmacopolia noſtra introduxi, vnde a medicis & chirurgis, pro iuſtis ſcopis, præſcribi iam ſæpe ſolet: egregium ſane in affectibus ſine febre venereis, aliisque impuritatibus, vbi lignorum, ſarſæ, & catharticorum blandorum continuatus vſus conuenit, medicamen, iuncto, ſi opus eſt, mercurio dulci, ad granum indies vnum vel alterum, aut quarta quaque die ad ſcrupulum circiter interpoſito. Hunc ipſum, eodem obſeruationum loco, καλομελιτος nomine indicaui, vbi item lectorum aliquis hæſitauit. Απο μελιτος, a melleæ dulcedinis metaphorica notione, ænigmatico chemicorum more, olim ita vocatus eſt; non, vti ἀνελληνιστῳ appellatione paſſim ſcribitur, calomelanos, quaſi ἀπο μελανος, a nigro, dictus eſſet, quod neque in re, neque in nomine eſt.

Periodorum recidiuarum regularis ratio.

(1) Nequaquam noſtra in rei cardine differt ab aliorum præſtantium virorum, quos adduxi, methodis; licet quilibet medicus in quouis fere medicamine aliquid ſibi peculiare obſeruet. Plerique omnes enim tum eosdem opportunitatis vſusque tempeſtiui limites, tum efficacis adæquatique ſecuritatem, vtilitatem, neceſſitatem, agnoſcunt, & praxi probant. Si quid aliquo modo ſingulare in noſtris apparere queat, id in illa non noua, nec diuerſa ab aliis, ſed egregie conſpirante, at accuratiori, interuallorum vſurpandæ, pro præcauendis reuerſionibus, medelæ febrifugæ præſcriptione eſſe videatur. Curioſiores vero illas

de

bari ista nullo modo posse scio, non præiudicatis aut præiudicantibus opinionibus, laudibusque aut vituperiis

limide reuersionibus obseruationes, de quibus præcipue alienam experientiam, pro propriæ confirmatione, illustratione, aut limitatione, mihi & orbi medico expetii, & iterum iterumque expeto, meæ inuentioni, quasi primæ nouæque, neutiquam duxi tribuendas; sed, quamuis passim negligantur, vt ab ordinata methodo recedant artifices, aliis tamen multis, virisque summis, simili dudum practica ratione obseruatas demonstraui, & tutius certe salubriusque in vsum duci, quam omitti, per *obseruat. de febr.* sect. 4. integram, item p. 177. sqq. 234. sqq. 303. nota (a). vid. etiam supra harum animaduersionum pag. 49. Obseruatio, verbi caussa, illa, quæ quartanas cortice profligatas, si deinde a continuatione cesses, reuersionem neque prius, neque serius, quam tertia post cessationem hebdomade moliri, & facta tunc repetitione remedii iusta præpediri, nos docuit, vtilis vel maxime videtur, quum vix vnquam non moliantur, atque ita, nisi præcauere scias, σκανδαλον medici & medicamenti euadere possint. Illam vero obseruationem, æque ac alteram de tertianis per alternas hebdomades reditum molientibus, perque alternas repetito remedio sanandis, indies magis magisque per experientiam, & felices constantesque repetitionis nostræ methodicæ successus, corroborari merito testor, &, cum pluribus, præcipue testatur ill. *HVGO* noster, quotidie mecum experiens, quem ego

Arte ducem studioque sequor, non passibus æquis.

Illa etiam notatio, quod perdurantis febris ex genere tertiano alternæ, ex quartano tertiæ quæque hebdomades sibi inuicem motuum violentia magis respondeant, frequenter obuia est, licet haud perpetua. Certior est altera, febres etiam imperfecte profligatas, & remedio tantisper pressas, eumdem euidentis commotionis typum seruare. Certissimum reperitur, quod de perfecte profligatis scripsimus, quæ, nobis cum molimina recidiuorum typum seruare millies obseruatæ, per eam methodum nostram constanter curantur. Consspirant nobiscum nuper demum reperta apud cl. *ANDRIOLLVM*, curiosum corticis per formulas ægris gratas præbendi arrificem, in opere de *febribus & morbis acutis*. Ibi nempe pag. 86. de primis temporibus, vbi cortex adhuc *ad solam quartanam*, neque diutius exhiberi solebat, quam *donec febris fugata esset*, eamdem quam nos obseruationem clare indicat. "*China*, inquit, *versus excre-*"*menta febrilia pugnando, massæ sanguineæ optimam & naturalem crasin,*

limite experientiæ carentibus, non mutilis ambiguisque experimentis, non alienorum abusuum auricularia captatione nixus; sed certa, accurata, plena, repetita, iudicata plurimorum obseruatorum experientia, & perfectarum obseruationum ex genuino vsu millibus, & his multoties oculis, abunde conuictus. Hi sunt regularum, quas scripsi, fontes. Iudicabit id ipsum, spero, & manibus palpabit quilibet, qui æquæ illi postulationi locum dabit, quam in *obseruationum* epicrisi posui, quaque has *animaduersio-*

"& compagem firmiorem largiendo, febres efficacissime tollit. De modo ad-
"hibendi solummodo penes medicos magna controuersia est, propter quam dein-
"de hoc præstantissimum & certum auxilium febrium omittunt, velut fallax &
"incertum, propter recidiuas. Primis temporibus exhibebatur in vino Malua-
"tico aliquot horis ante infusa; deinde sine colatura duabus horis ante paro-
"xysmum exhibebant, quo paroxysmo cessato non amplius comparebat febris, nisi
"post exactum semicirculum lunæ, scilicet circa diem XIIII vel XV. quæ iterum cer-
"ta ratione redibat, sicuti certa ratione cesserat." Hoc, quocunque modo & formula cortice vtaris, etiam hodie eadem certa ratione contingere videtur, modo ne inordinata remedii continuatione ordinem perturbes, febrimque premas potius, quam debelles. Ratione vero æque certa præpeditur, si repetitionem remedii eiusdem efficacem tota illa tertia hebdomade reuersionem minante, pro regulis nostris, præcipias, quibus rite obseruatis, integra & constans sanitas consequetur, quæ neglectis vel minus perfecta sæpe, vel inconstans, vel saltim minus certo constans, futura videtur: quamuis, quem diximus, *ANDRIOLLVS*, vti & alii, præmissis euacuationibus, & longiori post fugatam febrem corticis continuatione non interrupta, id obtinendum speret. Illas etiam nos sæpissime suademus, si indicantur, tutæque sunt; hanc minus commodam minusque certam reperimus ordinata ista interpolationis methodo. Recte enim de ea ill. *TORTVS* therap. special. pag. 163. "*alterna*, ait, *reci-*
"*procatio temporarii vsus & omissionis illius mirifice conducit ad intentum,*
"*præstatque vsui non interrupto.*" Huius aliorumque virorum eximiorum, verbi caussa, *SYDENHAMII*, *MORTONI*, *PITCARNII*, *LEMERII*, *MANGETI*, *HOFFMANNI*, in ordinanda pro reuersionibus præcauendis methodo, licet curatius a nobis distincta, consensum sat clarum exhibuimus in *obseruat. de febrib.* sect. 4. §. 5. 6.

aduerſiones iterum finire licebit : "*obſeruationes meas ne-*
"*que ex mea, neque ex aliena theoria iudicari volo; ſed ad tri-*
"*bunal ſolius ſinceræ experientiæ prouoco, cui ratio ἀναλογιαν,*
"*prudentia moderationem miniſtret, neque vlla opinio domine-*
"*tur.*" Quisquis ex eo tribunali pronuntiauerit, eius ego ſententiam ambabus acceptabo.

Si quis inexhauſtæ cultor genuinus Hygeiæ
Dogmate diſſideat, ſtudiis ſed iunctus amicis, (1)
Vel nutans dubitet, vel ſurroget altera noſtris
Conſilio potiore potens, perſcribat in albo
Candidus, expertusque, & limite terminet æquo!

Frugi

(1) Eleganter & iudicioſe cl. *FRID. PHILIPP. SCHLOSSERVS* in de *commerc anim. & corporis* loquitur. "*Aut vehementer ego fallor, aut opportune aliquan-*
"*do accidit veritatibus, ſi quando ab eruditis, ſed ingenuis viris, veritatis-*
"*que amantibus, in controuerſiam vocari incipiant, atque de iisdem vltro ci-*
"*troque diſputandi campus aperiatur. Abſit a me quam longiſſime, vt ina-*
"*nes ego hic intelligam ſtrepitus, aut moroſas illas altercationes & rixas, quas*
"*hinc inde excitari videas a maleferiatis quibusdam hominibus, qui, non ve-*
"*ritatis amore, ſed infelici quodam altercandi pruritu ducti, diſſentientes non*
"*argumentorum vi ac pondere, ſed numero, non ratiociniis ad normam lo-*
"*gicæ ſanioris compoſitis, ſed contortis potius conſequentiarum conſequentiis,*
"*& neſcio quibus infauſtis nominibus, onerare magis quam refutare conſue-*
"*uerunt. Tantum abeſt, inquam, vt ex his talibus eruditorum vulgi cla-*
"*moribus quicquam veritati lucis affundi poſſe mihi perſuadeam, vt potius*
"*hac ratione veritatem magis obfuſcari, ac tantum non penitus oppri-*
"*mi poſſe, certo certius iudicem. Hoc iſtud vero eſt, quod experientia duce*
"*hic affirmare audeo, controuerſiis legitime tractatis, atque dubitationibus e-*
"*ruditorum modeſte propoſitis, permagna non raro veritatis ipſius incrementa*
"*deberi. Non omnia poſſumus omnes, & oculi plus vident, quam vnus.*
"*Quid ergo mirum, ſi nihil propter ſolas externas admittatur rationes, nihil,*
"*niſi diſtincte explicatum, niſi rigoroſe ſufficienterque probatum, pro certo affir-*
"*metur, emendari hypotheſes, excoli poſſe artes, & amplificari ſcientias, hoc eſt,*
"*ipſas veritates in apricum produci, atque in tuto tandem collocari.*

Frugiferum moderamen amans (3) sine felle reponam.
Si quis in aduersum iudex iniurius arti,
Probra Meditrinæ tribuens, altaria morbo,
Commoda confundens nocuis, & recta recuruis,
Exspuat ampullas, ventis mandamus & vndis.
Pars errare volens erret; qui febris amore
Vritur, ardescat; bona munera numinis almi
Qui renuit, careat! nostros non subruet vsus.

(1) Laudum vituperiorumque moderamen in rebus medicis amo, sine quo nihil frugi præstatur; sed & alterum illud, de quo *ENTIVS*, in *antidiatribe* ad *THRVSTONI diatrib. de respirat.* in biblioth. anat. T. II. p. 192. *Verborum*, ait, "*asperitate exardescunt lites, dum dissidia animorum comitate sopiuntur. Nam "etiamsi aliquis trahi velit a Nymphis, tamquam Hylas; nolit tamen ra- "pia Furiis, tamqum Orestes.*" Placet mihi illud Catonis apud *PLVTARCHVM*, ad quemdam probris ipsum impetentem, "*impar mihi tecum certandi con- "ditio est: nam, vt & male dicere & male audire tibi est familiare, ita male "dicere insuaue est mihi*".

CORRIGENDA.

P. 8. lin. 5. lege: vti vult *auctor*, p. 13. lin. 1. *ferre* ibid. *quam* pag. 20. lin. 10. pro *Giessæ* l. *Marburgi* pag. 24. lin. 26. *prorsus inde* ibid. lin. 28. *redundant* p. 25. l. 3. *hecticas coniiciantur* ibid. lin. 15. *nullis* pag. 28. lin. 26. *vsus* pag. 30. lin. 6. *corroboretur* pag. 31. lin. vlt. *peruertit* pag. 32. l. 27. *inducere* pag. 34. lin. 15. *in medicinal.* ibid. lin. 25. *a bello* pag. 39. lin. 27. *corruunt* pag. 47. lin. 13. *de inflammatione* p. 56. *catalogum* pag. 57. lin. 7. *aliud* pag. 72. not. lin. 2. *offenderunt* p. 74. lin. vlt. *spondeatque*, (2)